
ANNALES
ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE,

Ann. CIↃIↃCCCXVIII-CIↃIↃCCCXIX.

GERARDO MOLL,
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICO,

IANO BLEULAND,
SENATUS GRAPHIARIO.



TRAIECTI AD RHENUM,
APUD OTTON. IOANN. VAN PADDENBURG,
ET I. VAN SCHOONHOVEN,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.
MDCCCXX.

HOC ANNALIUM VOLUMINE CONTINENTUR.

Responsiones ad Quaestiones Academicas

HENRICI CAROLI VAN DER BOON MESCH, *ad quaestionem Chemicam.*

IOACHIMI SANDRA, *ad quaestionem Iuridicam.*

BAVII ANTONII NAUTA, *ad quaestionem Literariam.*

Typis mandata IOHANNIS RUDOLPHI THORBECKE, *ad quaestionem Literariam.*

AN-

ANNALES

ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE:

CIƆIƆCCCXVIII - CIƆIƆCCCXIX.

§ I.

In *Academia Traiectina a die* XXVI *Martii A.* CIƆIƆCCCXVIII. *ad diem* XXVII *Martii, A.* CIƆIƆCCCXIX, *munus obierunt docendi,*

MATHESIN ET PHILOSOPHIAM NATURALEM,

Gerardus Moll., *h. t. Academiae Rector.*

Ioannes Fredericus Ludovicus Schröder.

Ianus Kops.

Theodorus Gerardus van Lith de Ieude, *Professor extraordinarius, munus suum ingressus est solemni oratione die* XXI *Ianuarii* CIƆIƆCCCXIX.

THE-

THEOLOGIAM,

Hermannus Royaards.

Iodocus Heringa, e. f.

Gabriël van Oordt.

IURISPRUDENTIAM,

Cornelius Wilhelmus de Rhoer.

Hermannus Arntzenius.

Ioannes Richardus de Brueys.

MEDICINAM,

Ianus Bleuland, *h. t. Acad. Graphiarius.*

Nicolaus Cornelius de Fremery.

Bernardus Franciscus Suerman.

Ianus Isaacus Wolterbeek.

Iacobus Vosmaer, *Professor extraordinarius, munus suum auspicatus est oratione solemni die* xiv *Oct.* cIↃIↃcccxviii.

PHILOSOPHIAM THEORETICAM ET LITERAS HUMANIORES,

Philippus Gulielmus van Heusde.

Dith-

DITHMARUS HUISMAN.
IOANNES HENRICUS PAREAU.
ANTONIUS VAN GOUDOEVER.
ADAMUS SIMONS.

LECTORES,

PHILIPPUS FRANCISCUS HEYLIGERS, *Professor extraordinarius designatus.*

SAMUEL NYHOFF, *Linguae Graecae.*

LUDOVICUS PINO, *Literarum Italicarum.*

MARIE FRANCISCUS XAVIERIUS D'ANGELY, *Literarum Gallicarum.*

CAROLUS THOMPSON, *Literarum Anglicarum.*

MAGISTER ACADEMICUS.

IOHAN SALENTYN HOFFMAN, *Equitationis.*

§ II.

Quaestiones ad certamen literarium singularum disciplinarum studiosis in Academiis, et Athenaeis Batavis, ineunte anno CIↃIↃCCCXIX. *fuerunt propositae his formulis.*

PHY-

PHYSICO-MATHEMATICA.

Exponantur leges atque formulae, quibus definiantur velocitas angularis, atque angulus rotationis, descriptus corpore rigido, sive systemate corporum rigidorum, si eiusmodi corpus aut systema corporum, viribus quibuscunque, quarum directiones parallelae sunt, agitatum, rotatur circum axem mobilem aut immobilem. Ostendatur harum formularum usus in motu pendulorum, vectium, aliisque motibus.

C H *Y* M I C *A.*

Quum recentiorum Chymicorum plerique, duce eximio H. DAVY, *acidum, quod hactenus* muriaticum oxygenatum *dici consueverat, simplex esse principium,* Chloricum *nuncupandum, statuant; nonnulli tamen cum Cl.* BERZELIO, *veterem Theoriam Bertholettianam, hic etiamnum esse sequendam autument; quaerit Facultas: quaenam harum doctrinarum, si ipsa spectentur experimenta, si ad integrae Theoriae Chymicae analogiam adtendatur, si denique ratio habeatur baseos acidi Fluorici* (phthoricum *prin-*

principium nonnulli dicunt) et haud ita pridem detecti principii Iödici; *praerogativam mereatur?*

THEOLOGICA.

Quibusnam e fontibus Lucas hausit, quae in Actorum Apostolicorum libro tradidit? Quaenam ei fides habenda est, praesertim in referendis orationibus, precibus et collocutionibus, illic obviis?

IURIDICA.

Quae videtur ratio fuisse, quod Romani in infantia Iurisprudentiae simplicitatem iuris naturae non aeque servaverint in negotiis stricti iuris, atque in iis, quae bonae fidei dicuntur? Qua ratione, salvo iuris principio, iniquitatem inde oriundam correxerunt Romani? An modus procedendi apud Romanos vim habuit diversam circa valorem negotiorum, circa petitionem actoris, remedia defensionis et officium iudicis, prout negotia erant bonae fidei vel stricti iuris? An mutato procedendi modo, cessavit etiam actionum bonae fidei et stricti iuris differentia?

MEDICA.

Quid est putredo animalis? An locum habet in corpore humano vivo? Qua ratione explicari debet actio remediorum, quae dicuntur, antisepticorum?

LITERARIA.

Ex iis, quae in libris Ciceronis de Oratore a Crasso, Antonio, Caesare, aliis, de eloquentia disputantur, ipsius efficiatur Ciceronis de perfecto Oratore *sententia.*

§ III.

Lectionum a finitis feriis aestivis, A. CIƆIƆCCCXVIII, *ad ferias aestivas A.* CIƆIƆCCCXIX, *habendarum fuit ordo propositus, quem in docendo sequerentur.*

In FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS, docebunt

Elementa Matheseos I. F. L. SCHRÖDER, d. lunae, martis, iovis et veneris, h. VIII.

Ste-

Stereometriam, *Trigonometriam rectilineam et ſphaericam*, *adhibitam ad Aſtronomiam*, *et Geographiam Mathematicam*, I. F. L. SCHRÖDER, diebus mercurii et ſaturni, VIII. et I.

Elementa Mechanica atque Optica I. F. L. SCHRÖDER, diebus martis et veneris, h. IX. vel alia hora, auditoribus magis commoda.

Mechanicae ſublimioris alteram partem, *atque nonnulla capita ſelecta Caleuli Integralis et Variationis* I. F. L. SCHRÖDER, d. mercurii et ſaturni, h. X.

Phyſicam experimentalem G. MOLL, d. lunae, martis, iovis et veneris, h. I.

Aſtronomiae primas notitias G. MOLL, d. lunae, martis, iovis et veneris, h. IX. vel alia auditoribus magis commoda.

Aſtronomiam theoreticam et practicam G. MOLL, iisd. d. h. III.

Chemiam generalem et applicatam N. C. DE FREMERY, diebus lunae, martis, iovis et veneris, h. XII.

Botanicam et Phyſiologiam plantarum I. KOPS, d. lunae, martis et iovis, h X.

Zoologiam, cum *Anatome comparata* coniunctam,

tam, N. C DE FREMERY, diebus lunae, martis, iovis et veneris, h. I.

Mineralogiam N. C. DE FREMERY, bis per dierum hebdomadem, hora auditoribus commoda.

Oeconomiam ruralem I. KOPS, diebus mercurii et faturni, hora VIII et XII.

In FACULTATE THEOLOGICA, docebunt

Theologiam naturalem G. VAN OORDT, d. lunae et martis, h. XI. (d, iovis et veneris eâdem horâ eiusdem doctrinae felecta tractabit).

Historiam ecclefiafticam D. HUISMAN, d. martis, mercurii, iovis et veneris, h. III. aut aliis, auditoribus commodis.

Fundamenta interpretationis N. T. I. HERINGA, E. F. d. lunae, martis, iovis et veneris, h. XII.

Davidis Pfalmos, in temporis ordinem redactos, I. H. PAREAU, interpretabitur d. lunae, martis, iovis et veneris, h. I.

Introitum in Novi Foederis libros I. HE-

RIN-

RINGA, E. F. diebus lunae, martis, iovis et veneris, h. VIII.

D. Ioannis Euangelium interpretabitur H. ROYAARDS, d. mercurii, h. XII.

Theologiam Dogmaticam docebit H. ROYAARDS, diebus lunae, martis, iovis et veneris, h. IX.

Collocutionibus de *Locis theologicis* vacabunt I. HERINGA, E. F. d. iovis, horis vefpert. a VII. ad IX. et G. VAN OORDT, die mercurii vel faturni, horis vefpertinis a VI. ad VIII.

Christianam morum disciplinam docebit G. VAN OORDT, d. lunae, martis, iovis et veneris, h. X.

Praecepta *homiletica* tradet H. ROYAARDS, d. mercurii, h. X.

Exercitationes Oratorias Sacras moderabitur I. HERINGA, E. F. die faturni, h. I. vel alia magis commoda.

Officia nuntiorum Euangelii exponet H. ROYAARDS, d. mercurii, hora IX.

Puerorum doctrinae Chriſtianae initiis *erudiendorum* exercitationem inſtituent I. HERINGA, E. F. die veneris, hora XI. et G. VAN OORDT, die mercurii hora XI.

Ora-

Orationibus Sacris pronunciandis praeerunt H. ROYAARDS, d. martis, h. XII, I. HERINGA, E. F. die lunae, hora XII. et G. VAN OORDT, die mercurii, hora XI.

Disputandi exercitationibus praeerunt H. ROYAARDS, d. veneris, h. I.; I. HERINGA, E. F. privatim die ſaturni, h. VIII. vel alia commodiori: publice data opportunitate, die mercurii, hora I. et G. VAN OORDT, publice eadem die ac hora: hi vero alternis hebdomadibus.

In FACULTATE IURIDICA
docebunt

Inſtitutiones, Westenbergio duce, H. ARNTZENIUS, diebus martis, iovis et veneris, hora IX. mercurii et ſaturni, hora X.

Pandectas, eodem duce, H. ARNTZENIUS, diebus martis, iovis et veneris, hora X. mercurii et ſaturni, hora IX.

Ius Criminum et poenarum C. W. DE RHOER, diebus mercurii et ſaturni, hora XI., vel alia, auditoribus forte magis commoda.

Ius naturae C. W. DE RHOER, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora XI.

Ius

Ius gentium et publicum C. W. DE RHOER, iisdem diebus, hora I.

Ius Belgicum I. R. DE BRUEYS, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora XII.

Historiam iurisprudentiae Romanae, H. ARNTZENIUS, d. mercurii et ſaturni, hora XII.

Encyclopaediam et Methodologiam Juris I. R. DE BRUEYS, diebus lunae et iovis, hora XI.

Disputandi exercitationibus alternatim praeerunt H. ARNTZENIUS et I. R. DE BRUEYS.

In FACULTATE MEDICA
docebunt

Anatomiam B. F. SUERMAN, quater per dierum hebdomadem, h. IV.

Phyſiologiam I. BLEULAND, quater, h. VIII.

Pathologiam B. F. SUERMAN, quater, h. IX.

Praxin medicam I. I. WOLTERBEEK, die lunae, martis, mercurii et iovis, horâ XII.

Pharmaciam, ſecundum Pharmacopoeam Batavam, vernaculo ſermone, N. C. DE FREMERY, diebus martis et veneris, h. III.

Materiem Medicam, ſive *Historiam Remediorum* I. I. WOLTERBEEK, enarrabit diebus mercurii et veneris, horâ I.

In-

Institutionibus Clinicis vacabit I. I. WOLTERBEEK, ſingulis diebus, in Noſocomio Academico.

Chirurgiam tradet B. F. SUERMAN, quater per dierum hebdomadem, h. VIII.

Institutioni clinicae in arte chirurgica, quovis die, vacabit B. F. SUERMAN.

Artem obſtetriciam theoreticam et practicam docebit I. BLEULAND, ter quavis hebdomade, h. I.

Institutionibus Clinicis in arte obſtetricia vacabunt I. BLEULAND et I. I. WOLTERBEEK.

Politiam Medicam tradet N. C. DE FREMERY, diebus lunae, mercurii et ſaturni, h. VIII.

Disputandi exercitationibus alternis hebdomadibus die ſaturni hora I. Profesſores in Facultate Medica alternatim praeerunt.

In FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM

docebunt

Philoſophiam moralem D. HUISMAN, d. lunae et mercurii, h. VIII.

Li-

Literas Latinas A. VAN GOUDOEVER, d. lunae, martis, iovis et veneris, h. XI. interpretandis cum Ciceronis libris de Legibus, tum ſelectis Horatii aliorumque Poëtarum locis.

Antiquitatem Romanam A. VAN GOUDOEVER, d. mercurii, h. IX. et I., die vero ſaturni h. IX. et XII.

A. VAN GOUDOEVER, die lunae, hora IX. et mercurii, hora I. univerſe de eloquentia Romana disputabit, et inprimis de iis, qua ad orationem bene Latinam videntur pertinere.

Exercitationes Oratorias moderabitur A. VAN GOUDOEVER, d. ſaturni, h. I. vel aliâ magis commodâ.

Literas Graecas tradet Ph. G. VAN HEUSDE, interpretandis cum locis ſelectis N. Foederis, Luciani et Herodoti, die lunae et iovis, horâ X: tum Platonis Critone et ſelectis Homeri et Theocriti locis, die martis et veneris, horâ X.

Antiquitatem Graecam Ph. G. VAN HEUSDE, d. mercurii et ſaturni, h. X.

Literas Hebraicas I. H. PAREAU, ita ut *Grammaticam* exponat d. lunae et iovis h. IX. eademque hora, d. martis et veneris, quaedam tractet capita e posteriore *Samuelis* libro.

Literas Chaldaicas et *Syriacas* I. H. PAREAU, d. lunae et iovis, h. XI.

Literarum Arabicarum initia I. H. PAREAU, d. martis et veneris, h. XII : et *carmina quaedam Arabica*, diebus et horis deinceps definiendis tractabit.

Antiquitatem Hebraicam I. H. PAREAU, d. lunae, martis, iovis et veneris, h. IV.

Historiam universam Ph. G. VAN HEUSDE, d. lunae, martis, iovis et veneris, h. XII.

Historiam Artium et literarum antiquarum, Ph. G. VAN HEUSDE, die mercurii et saturni, hora XI.

Historiam Patriae A. SIMONS, d. mercurii, iovis, veneris et saturni, h. VIII.

Literas Belgicas et Eloquentiam A. SIMONS, d. martis, mercurii, iovis et veneris, h. III.

Historiam Poëſ. Belgic. A. SIMONS, d. martis et iovis, h. IV.

Praecepta ſtyli bene Belgici tradet A. SIMONS, d. mercurii et veneris, h IV.

Disputandi exercitationibus praeerunt, alternis hebdomadibus, die saturni, hora I. alternatim Ph. G. VAN HEUSDE et A. VAN GOUDOEVER.

Ph.

Ph F. HEYLIGERS, *morbos osſium* exponet, bis per dierum hebdomadem, diebus et horis deinceps indicandis.

Ph. F. HEYLIGERS, *artem obſtetriciam* theoreticam et practicam docebit, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora X.

Ph. F. HEYLIGERS, *eandem disciplinam*, vernaculo ſermone, obſtetricibus tradet, die mercurii et ſaturni, hora I.

Ph. F. HEYLIGERS, *chirurgiam*, vernaculo ſermone tractabit, die mercurii et ſaturni, hora XII.

Ph. F. HEYLIGERS, *operationes chirurgicas* in cadavere humano publice demonſtrabit, tempore hyemali, earumque encheireſium rationem, vernaculo ſermone exponet, quater per dierum hebdomadem, hora X.

L. PINO, *Literas Italicas* docebit diebus martis et veneris, hora IV.; horis vero deinceps indicandis historiam earum literarum ſermone Gallico et Italico tradet.

Literas Gallicas tradet F. M. D'ANGELY, diebus lunae et iovis, hora IV.

Literas Anglicas tradet C. THOMSON, diebus lunae et iovis, hora V.



Bibliotheca Academica, in Aede D. Iohannis, diebus Lunae et Iovis, ab hora I. in II. et diebus Mercurii et Saturni ab hora II in IV, et, feriarum tempore, singulis diebus Iovis ab hora II, unicuique patebit.

§ IV.

A die XXVI. *Martii, Anni* CIↃIↃCCCXVIII, *ad diem* XXVI *Martii, A.* CIↃIↃCCCXIX, *disputationes publice defensae sunt hoc ordine.*

Anno CIↃIↃCCCXVIII.

XV. *Iunii, Dissertationem de* secunda epistola Iohannea *pro gradu Doctoris Theologiae,* in auditorio maiore *defendit* IOHANNES IACOBUS RAMBONNET, Campensis, *Doctrinae Christianae interpres in vico* Eemnes Binnendyk.

XVII. *Iunii,* De vi Legis novae in ultimas voluntates ante conditas, post eam morte confirmatas *pro gradu Doctoris Iuris Romani et hodierni in* auditorio maiore, *defendit* HARMEN HIDDINGA, Heerenvena Frisius.

Eodem die Specimen Varii Argumenti *pro gradu Doc-*

Doctoris Iuris Romani, *et Hodierni defendit* Constans Sigismundus Wilhelmus Iacobus van Nagel, Vada Gelrus.

xix. *Iunii*, *Specimen Hermeneutico Theologicum*, *quo* Vaticinationes Iesu Christi de perpessionibus suis, morte, et in vitam reditu illustrantur et vindicantur *pro gradu Doctoris Theologiae in* auditorio maiore *defendit* Henricus Egbertus Vinke, Amstelaedamensis, *Doctrinae Christianae interpres in vico* de Vuursche.

xx. *Iunii*, *Specimen Iuridicum* de iure accrescendi inter Collegatarios ex dispositione Codicis Civilis *pro gradu Doctoris Iuris Romani et Hodierni defendit* Hermannus Gulielmus Ioannes van Lynden, Arnhemensis.

Eodem die Quaestiones iuridicas, *pro gradu Doctoris Iuris Romani et Hodierni defendit* Ianus Sloet van Tweenyenhuizen, Transiselanus.

x. *Nov. Specimen Chirurgico Medicum*, de caussis, cur laesionibus capitis, quae initio haud periculosae videbantur, frequenter sero symptomata gravia, in mortem desinentia, aliquando accedant, *pro gradu Doctoris medicinae*, in auditorio maiore, *defendit* Iacobus Carolus Broers, Rheno-Traiectinus.

XI. *Novembris Specimen Pathologico-Therapeuticum* de morbis convulſivis, *pro gradu Doctoris Medicinae*, in auditorio maiore, *defendit* IOANNES VAN REES, Neomago Gelrus.

XII. *Novembris. Specimen Medicum*, de Peritonaeo eiusque inflammatione, *pro gradu Doctoris Medicinae*, in auditorio maiore, *defendit* DIDERICUS GULIELMUS VAN LEEUWEN, Alcmarâ Hollandus.

XIII. *Novembris. Specimen Medico Chirurgicum*, de fungoſo Menyngis excreſcente; *pro gradu Doctoris Medicinae*, in auditorio maiore, *defendit* CHRISTIANUS BERNARDUS TILANUS, Harderovicenſis.

XVI. *Decembris. Specimen Politico-Historicum*, de propria reipublicae Romanae conditione in Tribunorum plebis inſtitutione obſervanda, *pro gradu Doctoris Philoſophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum*, in auditorio maiore, *defendit* ROELANDUS SCHEERS VAN HARENCARSPEL, Neomago-Gelrus.

Anno CIƆIƆCCCXIX.

XXVII. *Ianuarii. Specimen* de diverſa Iuris Romani et codicis civilis Doctrina, circa culpam conductoris ex incendio praeſumendam; *pro gradu Doctoris Iuris Romani et Hodierni*, *defendit*

dit GYSBERTUS PETRUS MARTENS, Traiectinus.

XXVI. *Februarii. Specimen* de conditione et iuribus liberorum illegitimorum secundum codicem civilem, *pro gradu Doctoris Iuris Romani et Hodierni*, *defendit* I. F. W. VAN NES, Rheno-Traiectinus.

XI. *Martii. Specimen* obſervationum, quibus illustratur Hiſtoria iuris dotium apud Romanos, *pro gradu Doctoris Iuris Romani et Hodierni*, *defendit* LUDOVICUS HENRICUS RAMBONNET, Campenſis.

§ V.

Die XIV *Octobris* CIƆIƆCCCXVIII. IACOBUS VOSMAER, *Vir Clarisſimus*, *deſignatus Profesſor Medicinae extraordinarius in hac Academia ſolenne ius, iurandum ſolito more in Senatu praeſtitit; deinde munus ſuum auſpicaturus oratione ſolemni dixit*: de Medicina recentiore cum antiqua comparata.

Die XXI. *Ianuarii* CIƆIƆCCCXIX. THEODORUS GERARDUS VAN LITH DE IEUDE, *vir Clarisſimus*, *deſignatus in hac Academia Philoſophiae Naturalis Profesſor extraordinarius adeundi muneris causa ſolemni oratione dixit* de Ioanne Swammonerdamio egregio Naturae Cultoris *exemplo*.

Quum in annum Academicum, a natali incipientem Academiae die, qui est XXVI. *menſis Martii*

tii Anni CIↃIↃCCCXIX., *Rectoris Magnifici munus ex decreto Regio delatum esſet* HERMANNO ROYAARDS, *V. Cl., atque in conſesſu Curatorum, Rectoris atque Adſesſorum, Graphiarii Senatus partes mandatae esſent* PHILIPPO GULIELMO VAN HEUSDE, *V. Cl., die* XXVIII. *menſis Martii huius anni in Senatu facta est horum virorum ſolennis inauguratio. Qua peracta*, GERARDUS MOLL, *V. Cl., munere Rectoris ſe abdicaturus, orationem habuit:* de vitanda, in astronomiae ſtudio, fingendi temeritate, et coeli obſervatione quam diligentisſime inſtituenda, *atque enarratis, quae ipſo Rectore, Academiae acciderant tum adverſa tum prospera, victoribus in certamine literario*, HENRICO CAROLO VAN DER BOON MESCH, IOACHIMO SANDRA, BAVIO ANTONIO NAUTA, *praemia distribuit, atque promeritis laudavit* IOHANNEM RUDOLPHUM THORBECKE. *Quibus omnibus rite, atque ad rem accommodate peractis, munere ſuo ſe abdicavit, et datum ſibi ſuccesſorem* HERMANNUM ROYAARDS, *V. Cl., proclamavit Academiae Rectorem Magnificum.*

§ VI.

Deletis vi Regii Decreti titulis Athenaei Harderoviceni, Profesſores, qui in eo docuerunt, vel alio ſunt evocati, vel rude donati. Vid. Oratio G. MOLL pag. 31.

GE-

GERARDI MOLL

ORATIO

DE

VITANDA, IN ASTRONOMIAE STUDIO, FINGENDI TEMERITATE, ET COELI OBSERVATIONE QUAM DILIGENTISSIME INSTITUENDA,

DICTA PUBLICE

die XXVIII m. Martii, a. CIƆIƆCCCXIX.

QUUM ACADEMIAE REGUNDAE MUNUS SOLENNI RITU DEPONERET.

* * *

ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE CURATORES, VIRI GRAVISSIMI, AMPLISSIMI, MAGNIFICI!

QUI IN REGNO BELGICO, IN HAC REGIONE, AUT IN HAC URBE, REBUS PUBLICIS ADMINISTRANDIS, IUSTITIAEVE VINDICANDAE, PRAEESTIS, VIRI NOBILISSIMI, SPLENDIDISSIMI!

QUARUMVIS DOCTRINARUM PROFESSORES CLARISSIMI, COLLEGAE CONIUNCTISSIMI!

LECTORES ERUDITISSIMI, EXPERTISSIMI!

SACRARUM LITTERARUM INTERPRETES FACUNDISSIMI!

QUARUMCUMQUE DOCTRINARUM DOCTORES, CONSULTISSIMI, EXPERTISSIMI, ACUTISSIMI!

VOS ETIAM CIVES ACADEMICI, PARENTUM AMOR, PATRIAE SPES, NOSTRA CURA!

CIVES ET HOSPITES, OMNIS ORDINIS, LOCI ET DIGNITATIS, ACCEPTISSIMI!



Omnes fere quibus contingit, in coetu illustrium et doctorum virorum, publice de rebus gravissimis disputare, fateri solent quae sit animi perturbatio, quae sint curae quibus agitentur. Et profecto quod suscipiunt negotium, est illud arduum et difficile. Est enim Oratoris, placere, commovere, persuadere. Oratione utendum est pura, tersa, eleganti; quae suavitate, gravitate, evidentia se commendet. Eiusmodi etiam eligendum est dicendi argumentum, quod omnibus aeque auditoribus iucundum accidat, omnium captui sit accommodatum, nec minus simplicitate quam gra-

gravitate praeſtet. Quae difficultates, ſi ſaepe terreant viros in graecis latinisque literis verſatisſimos, quasnam esſe cenſetis A. A. H. H. illas, quibus prematur is, cuius vires in dicendo perquam ſint exiguae; quique vitae et disciplinae, quam colit, ratione, durior ad haec ſtudia videatur.

Illi enim dulcedine tenentur continuo graecarum et latinarum literarum. Quotidie legunt, relegunt, quin in ſuccum et ſanguinem vertunt, aeterna illa veterum pulcri venustique monimenta. Vel ſi aliquando delectentur recentiorum ſtudiis, illos maxime legunt ſcriptores, qui ad normam veterum ſcriptorum ſe totos compoſuerunt.

At nobis, qui ſeverioribus doctrinis, operam navamus, longe alia ineunda est via. Praeclara ſane monimenta ſibi poſuerunt viri incomparabiles, qui in disciplinis phyſicis provehendis, bene de genere humano meruerunt. Verum ſi opera eorum, latino ſermone conſcripta, evolvimus; illico barbaris vocibus terretur is, qui venustati veterum ſcriptorum ſit asſuetus. Quis enim ſine taedio ferat barbaram et prolixam dictionem Kepleri, Hevelii, Gueri-

rickii? Abundant profecto Newtoni ſcripta optimis praeceptis ratiocinandi et provehendi disciplinas phyſicas. Exempla vero ſtyli latini fruſtra quaeras in immortalibus Viri incomparabilis ſcriptis. Quid plura? Galilaei dialogis praeclara continentur ſummi Viri de rebus gravisſimis placita; ſin vero orationem ſpectemus, hos dialogos inter et Ciceronianos illos de oratore et rebus philoſophicis, quantum est diſcriminis! In commercio epiſtolico quod inter Newtonum, Leibnitzium et Bernouillios inſtitutum est, inventa occurrunt, in quibus ad extremam metam progresſum videatur ingenium humanum; ſed compara has epiſtolas cum epiſtolis Ciceronianis:, in tota rerum naturâ vix ulla unquam inveneris disſimiliora. Sed in legendo, et ſcribendo non ſolum verſantur nostrae disciplinae ſtudioſi, agendum etiam iis est quam ſaepisſime. Nova enim continuo experimenta ſunt excogitanda, inſtituenda, repetenda, ab omni parte conſideranda; quotidianis obſervationibus nocte dieque in Obſervatorio vigilandum est; adhibenda etiam Geometria est, ut ea quae obſervavimus ad calculi leges adſtringantur; longis-

gisſimae computationes ſunt ineundae, in tabulis et numeris quaſi est habitandum. Dum autem frigeſcit astronomus in ſpecula, incertam ſcilicet obſervationem exſpectans, literator nocturna ſaepe manu, veterum ſcriptorum verſat paginas, atque asſidua lectione ad antiqui elegantiam aevi informatur.

Equidem ſcio, paucos esſe, ſed fortunatos mortales, quibus contigerit, raro connubio, antiquitatis ſtudium cum mathematicis disciplinis coniungere. Sed nobilia illa exempla, quae ut digito quaſi vobis indicem, vix erit necesſe; exceptiones ſimul esſe et confirmationem eorum quae dixi, ſponte patet omnibus.

Intelligitis igitur A. A. H. H., quantum me commoveri par ſit, quum grave hoc negotium peragere inſtituam: praeſertim, cum inſolitum ſit illud mihi et novum plane. Septem iam fere exacti ſunt anni, quod primum in hac muſarum ſede, publice mathematicas disciplinas docere coepi, et contra maiorum prudentisſimum inſtitutum, nunc primum hanc cathedram conſcendo, e qua ſapientisſimi Viri doctores publicos iusſerunt, muneris ſtadium ſolenniter intrare. Scilicet illo tempore, vi exterorum

tris-

tristis oppresſa flebat patria. Alma Academia, antiquis orbata honoribus, non niſi umbram veteris ſplendoris referebat. Si nunc timidus, tenuitatis meae in dicendo conſcius, in hunc locum adſcendi, tunc pestis alicuius inſtar, aufugi occaſionem publice pronuntiandi orationem, quam niſi commixtam et inquinatam nefarii hominis laudibus, tolerare plane non potuisſent diri tyranni administri.

Disquirenti autem de dicendi materia, expromenda mihi viſa est ex iis, quibus maxime delector ſtudiis: nec a munere quo in hac Academia fungor, aut huius loci dignitate alienum iudicavi, ſi verba facerem, *de vitanda in astronomiae ſtudio fingendi temeritate, et coeli obſervatione quam diligentisſime inſtituenda.* Quod dum agere inſtituo, ſpero fore, A. A. H. H. ut benigno animo audituri ſitis orationem tenuem hominis, magis in computando, obſervando, experiundo, quam in dicendo, verſati.

Est haec nobilisſima, eademque prudentisſima Ciceronis ſententia „ *Opinionum commen-*

menta delet dies, naturae iudicia confirmat. In artibus doctrinisque, gravioribus illis in primis, quae ad naturam cognoscendam pertinent, ut Physica, Chymia, Medicina, quicunque fingendi opinandique audaciae sese dederunt, moverunt illi multum, promoverunt parum, nec posteris reliquerunt nisi turpem vanitatis memoriam. Nulla autem disciplina observandi diligentiam et constantiam sibi expostulare magis videtur, quam quae ab astris observandis, principe quo fungitur munere, Astronomia dicta est. Recludit haec enim immensum, in quem ingenium exspatietur, campum: invitat levioris indolis homines, ut alas sibi adaptent, quibus sublimes per infinitum spatium volitent. Quodsi quis, in hacce doctrina, fingendi cupiditati voluptatique indulgeat, nae ille, ut H o r a t i a n o illo utar,

—— ceratis, ope Daedalea
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.

Nolim equidem memorare, qui antiquo ac recentiore aevo hac temeritate tractare astronomiam ausi sunt, quorumque fama ut subito evolavit, ita subito lapsa est. Malim discipli-

nae

nae huius ſtudioſis etiam atque etiam commendare, quae commendari ſatis non poſſe videantur, inquirendi diligentiam atque asſiduitatem. Quod quo certius praeſtem, primum percurremus astronomiae historiam, ut pateat, obſervando illam in primis incrementa cepisſe; tum porro ex ipſa doctrinae indole demonſtrare ſtudebo, niſi per obſervandi ſtudium, veros eius fructus exſistere atque ad vitae uſum conferri nullo modo posſe.

Nata videtur Astronomia in illis regionibus, quarum ſuavis et lenis aëris temperies pastores et pecudum custodes, ſponte ad coeli contemplationem invitare atque excitare debuit. Serenitas noctium, ſublime ſpectaculum agrestibus illis praebuit mortalibus, eosque naturali quodam impetu, ad ſidera tollere vultus iusſit. Solis, lunae et ſtellarum circuitus, mutationes anni et tempestatum nuntiantes, et tempora rusticis operibus aptisſima indicantes, ſua ſponte obſervabant homines. Ad ſacra ſi rudiores illae notiones fuerint translatae, non est quod miremur, in hac ſcilicet humani generis infantia. Arctum igitur fuit operum rusticorum cum ſacris et astronomia vinculum. Utilitas ſuadebat as-

tro-

tronomiae diligentem curam, ſed cum notionibus illis, ſimplicitas vetustarum gentium, multa ſuperſtitioſa commiscuit. Difficultatibus illis, quibus diu laboravit, vix ſe extricare potuit ſcientia. Nuda contemplatione astrorum, praedictis fallacibus et vaticiniis, omnis continebatur astronomiae peritia. Tandem in Graecia, artium matre ſimul et nutrice, novam faciem ſcientia induit. Exſtitit enim ibi ſummus Hipparchus, cuius gloriam ſucceſsores ut aemulari potuerunt, ita aequare aut ſuperare non potuerunt. Tunc demum crebrior calculi ad obſervationes evaſit applicatio. Tunc tandem creata est trigonometria ſphaerica. Hipparchus enim omnia ea praeſtitit, quae illo aevo a felicisſimo ingenio praeſtari poterant. Is enim leges motuum corporum coelestium definivit, is tabulas condidit, is accuratiora inſtrumenta invenit, is redacto catalogo omnium quas obſervare potuit ſtellarum, fundamenta poſuit astronomiae, et opus peregit, quod Plinius etiam *Diis improbum* vocare haud dubitavit. Laudent igitur poëtae Homerum, medici Hippocratem, mathematici Archimedem; celebretur divinus Plato a philoſophis, ſed ſuo etiam iure colendus est Hip-

par-

parchus, tanquam verae Astronomiae parens et conditor. Sic floruit disciplina in ſcholis Rhodiana et Alexandrina, eademque ſervata medio aevo ab Arabibus, tandem post renatas in Europa literas, in clientelam et fidem nothae ſororis, *Astrologiae* ſe commiſit. Ita languescere pergit in umbra ſuperſtitionis, donec caput novo ſplendore extulit, tempore illustrium duumvirorum, Tychonis Brahei et Kepleri. Quorum prior perfectiori apparatu novorum inſtrumentorum et asſiduis obſervationibus, inaudita adhuc accuratione inſtitutis, alter vero acumine excellentisſimi ingenii, in rimandis motuum corporum coelestium legibus, tantum profuerunt ſcientiae, ut neminem inde ab Hipparchi aevo cum clarisſimis illis astronomis comparandum esſe cenſeamus. Novas ab illo inde tempore in dies ſcientia vires cepit. Keplerus, veris planetarum curſus legibus detectis, tamen deſperans de inventione principii, ex quo haec omnia, tanquam ex fonte, deduci posſent, exclamasſe fertur, „ qui haec mihi expediet, hunc Appollonio longe maiorem habebo". Intellexit nempe Vir acutisſimus, rem iam ad mathematicos redire, atque ex perfectis et ampli-

fi-

ficatis geometria et analysi, explicationem unice peti posse. Ita via reclusa et patefacta fuit Hugenio nostro et Newtono, quorum hic inventis Kepleri et praecedentium astronomorum usus, longe maiorem se praestitit Apollonio Pergaeo illo, ex cuius de sectionibus conicis doctrinâ, solam ingentis huius problematis solutionem sperare ausus fuerat Keplerus. Ita immensis incrementis analyseós scientiam auxit Newtonus; ut inveniret tandem principium adeo simplex, adeo clarum, adeo legibus mathematicis conveniens, ut omnis astronomia facta sit *problema mechanicum*, cuius solutio e sublimiori mathesi pendeat. Sed quemadmodum, in omnibus matheseos adplicatae partibus, multa sunt quae mathematici ex observatione et experientia depromere debeant, ita maxime in astronomia innumera fere sunt, quae sola vi ingenii mathematici nunquam detegere possit, nisi auxilio adiuvetur observationum. Qui mathematicarum formularum dicuntur coëfficientes, assidua et accuratissima observatione sunt definiendi. Hoc igitur molientes astronomi, in hac investigatione noctibus et diebus versati sunt, ut magis magisque

accu-

accurate definirent ea, quae fundamentum geometrarum disquisitionibus praeberent. In arduum illud opus vitam impenderunt Flamsteedius, Bradleyus et Cassinorum in astronomia nobilis familia. Hoc consilium fuit Lacaillii, Maskelinii, Lemonnierii, Mechini, Lalandii. In his perficiendis occupati tenentur nostro tempore Pondius, Bodius, Herschelius, Besselius, Piazzius, Olbersius, *Zachius*, Orianus et Bouvardus. Hoc strenue per omnem vitam praestitit optimus Delambrius, quem praeceptorem et amicum habere in praecipua felicitatis meae parte semper posui.

In corporum coelestium motibus, multa adeo lente peraguntur, ut evolvantur duntaxat diuturnitate observationum. Patent scilicet illa tandem nostrae investigationi post longam seriem annorum. Ab anno vero 1750 ita instituere inceperunt astronomi observationes, ut ad perfectiorem theoriam accommodatae haberi possent. Tum demum melioribus instrumentis uti coeperunt astronomi. Birdius enim, Grahamus, Dollondus, Shortus, Ramsdenus

nus apparatum astronomicum, horologia, telescopia, caetera, quibus ſplendescunt obſervatoria, perfecerunt, ut cum iis quibus utebantur antea Hipparchus, Ptolemaeus, Tycho, Keplerus et Hevelius, vix comparari queant. Ab illo tempore novum ſtadium ingresſi ſunt astronomi. Labores Lacailli et Bradleyi novum prorſus exemplum dederunt ſuccesſoribus. Illos labores perſequi, magis magisque in dies perficere nostrorum temporum annituntur astronomi. Intelligitis A. A. quam breve adhuc accuratarum ſit curriculum obſervationum, quam latus adhuc pateat campus in quo exſpatientur astronomi. Etenim ſpatio octoginta annorum tantum, phaenomena coelestia, perfectiori apparatu fuerunt obſervata. Nimis breve certe tempus ad mentiendum et computandum tam varios et tam lentos motus, quorum multi tam lente peraguntur, ut non niſi diuturnitate obſervationum detegi posſint.

Fuerunt, fateor, cum antiquo aevo, tum recentiore, qui palmaria parerent in rebus astronomicis inventa, nec tamen coelo obſervando ſe totos darent. Vaticinabantur antiquitus Pythagorei, quod vidit ac probavit ſeculo XVI.

Co-

Copernicus, terram hancce non in medio versari universo, sed circum solem moveri atque agitari. Erat autem nec Pythagoreus Philolaus, nec ipse etiam Copernicus observandorum astrorum magnopere studiosus. Autumavit Kantius praecedente aevo, et oraculi instar praedixit, latere etiamnunc in solari nostro systemate planetam, eumque aliquando detectum iri. Et idem Kantius, quamvis menti magis humanae explorandae, quam coelo intuendo operam dederit, verissimus tamen repertus est vates.

Valent haec exempla auditores, ut praeclare existimemus de ingenii humani vi et sublimitate, ad refutanda ea quae posuimus non valent. Palmariis nonnullis ingeniis concessum est, ut, vel sine adminiculis, quibus caeteri nituntur mortales, sponte pervenirent ad verum divinandum, percipiendum, cognoscendum. Nec ulla est facile ars, aut doctrina, quin excellentibus huiusmodi viris et paene divinis, gravissima inventa accepta referre debeat. Veruntamen, nisi ipsis his inventis deinceps accessisset diligens et accurata doctrina, indefessa prudentium hominum naturae investigatio: felicis inge-

ge-

genii foetus habita fuisſent; ſed arti doctrinae-que vere prodesſe, nunquam potuisſent. Et vero niſi viam veluti aperuisſent et munivisſent antecedentium ſaeculorum diligenter inſtitutae obſervationes, mirer equidem, primarios illos viros ad tanta pervenire inventa potuisſe.

Accedamus iam porro ad ipſam astronomiae indolem atque naturam, ut quanti quamque ſalutiferi ſint asſiduae obſervationis fructus, apte inde cognoscamus. Nam voces iam audire mihi videor reprehendentium et cavillantium: „Quousque tandem perges in culmine turris inutili negotio operam impendere? Quid iuvat ſidera verſus dirigere telescopia, de quorum effectu multa quidem mirifica praedicare ſolent astronomi, ſed quorum ope nemo fere niſi ipſi astronomi aliquid in coelo videre potest? Quid iuvat noctu in obſervatorio obrigescere, vel interdiu ſolis obſervatione oculos vitiare? Quid interest ad minima temporis ſcrupula horologii oscillationes numerare, dum ubique locorum habeamus horologia vel ſolaria, vel alia, quae nobis accurate ſatis horarum cur-

ſus indicent? Cognita iam ſatis est corporum coelestium theoria! Scimus omnes, obſervationes congruere cum tabulis! Calendaria et ephemerides omnia iam continent, quae de his rebus ſcire vel utile vel iucundum ſit hominibus! Cui bonum iterum iterumque repetere astronomorum labores, atque continuis lucubrationibus invigilare obſervationibus, quas a priori iam ſcimus cum theoria congruere? Defectus ſolis et lunae praenuntiari ſolent, in ephemeridibus et tabulis astronomicis non tantum, verum etiam in annuis illis libellis, qui omnium manibus teruntur. Inſpiciendis illis libellis, ſi quis talibus rebus delectetur, horas immo et minuta, quibus illa ſint futura, cognoscere potest. Quid igitur opus est, ut quae adeo abunde ſint cognita, explorentur denuo atque investigentur? Etiam imperitus, ſi eiusmodi rerum curioſus paulo ſit, dirigere potest telescopium verſus ſolem aut lunam, et ea intueri perinde atque astronomus, ſuis cum pretioſis inſtrumentis. Quod ſi quis ſemel bisve inſpexerit eius generis phaenomenon, difficile videtur intellectu, cur iterum iterumque cupidus ſit eadem cernendi. Sol interpoſitione lu-

nae

nae obtegitur, vel luna terrae umbris per aliquod tempus obſcuratur, cauſam ſimul et effectum cognoscimus. Quid igitur necesſe est, ut ea tam intento animo, ut ſolent astronomi, exſpectemus et obſervemus? Multa quidem in ſtudio rerum naturalium nos latent adhuc, et incognita ſunt, cur igitur ad ea investiganda non potius omnem impendamus curam, quam ad obſervationem ſive contemplationem eorum, ex quibus nihil novi, nihil quod non diu ſit cognitum, ſperare posſimus!"

Audio equidem A. A. H. H. obiectiones, ſed quae reponam iam habeo.

Queri ſolent imperiti, nec immerito, per telescopia illa quae admodum laudant astronomi, vix quidquam ſe conſpicere posſe. Sed illa obiectio non tantum ad nostram disciplinam, ſed ad omnia ea pertinet in quibus inſtrumenta cuiuscunque generis adhibentur. Uſus rerum atque exercitatio adſint oportet, etiam ſi fabrorum inſtrumenta adhibere velimus; quidni igitur etiam, ſi de astronomorum organis agatur. „Quam multa, ut cum Cicerone loquar, vident pictores in umbris et in eminentia, quae nos non videmus? Quam multa, quae

 nos

nos fugiunt in cantu, exaudiunt in eo genere exercitati? Qui primo inflatu tibicinem agnoscunt, cum id nos ne ſuſpicemur quidem?" Igitur ſi quis tiro equitare tentet, vel in navi ventis quasſata incedere, ſuo periculo diſcet, quid in omnibus rebus valeant uſus atque exercitatio. Igitur illi, qui ipſi cognoscere cupiunt ea, quae astronomi referunt de corporibus coelestibus, adhibita exercitatione et arte, cernere iam discant, quanta ſit illorum inſtrumentorum vis et efficacia.

Ad alteram obiectionem quod attinet, facilis mihi videtur eius refutatio. *Intueri* enim coelum, non est astronomi officium, ſed *obſervare.* Ad minima ſcrupula temporis notare initium et finem phaenomenorum coelestium, atque cum iis comparare quae ex theoria in tabulas relata ſunt, et in ephemeridibus praenuntiantur, in hanc rem maxime incumbit astronomus. Hinc efficiuntur et deteguntur diſcrimina theoriae et obſervatorum phaenomenorum. Sic tandem cognoscimus, quid adhuc in tabulis corrigendum, in theoria perficiendum ſit. Cum illis vero hominibus qui rogant, quid referat an adeo perfecta ſit noſtra disciplina, vix mihi ul-

lus

lus disputationis locus relictus est. Illi enim dubitare mihi videntur, an utile ſit humanae cognitionis extendere fines. Haec vero quaestio ſpectat non ad nostram ſolam disciplinam, ſed ad omnem omnino philoſophiam. Quid refert, eodem iure dici potest, quid refert cognitio plantarum, quae in regionibus longinquis, in ultimis terrae finibus floreant? Quid interest nostra, quaenam ſit forma, vivendi ratio, animalium, piscium, immo et inſectorum, quae in disſitis illis regionibus degant? Nulla enim causſa est, cur exploremus tanta cura vicisſitudines, quae olim hanc terrae faciem adeo mutarunt, et quarum vestigia ubique obvia ſunt. Irrita et vana igitur ea ſunt, quae ab acutisſimis viris in his investigationibus tanta diligentia efficiuntur. Frustra tantos labores, tot itinera ſuscipiunt optimi naturae ſcrutatores. Male ſanus igitur merito Humboldtius habeatur, qui vix ex campis aequatoreis redux, nova iam molitur itinera verſus incognitas Aſiae plagas. Nullius pretii ſunt igitur Reinwardtii labores, qui quem ardorem olim eleganter et facunde deſcripſit, eundem nunc indefesſus adhibet in Indicarum coloniarum

pa-

pacificis ſpoliis in patria muſaea deportandis. Praeterea de utilitate et necesſitate doctrinarum, non est quod in hac muſarum ſede, vobis coram A. A. H. H. disputemus. Feruntur enim naturali quodam impetu ad haec ſtudia, omnes illi qui ſemel his ſacris initiati ſunt in eisque verſati. „ Haec enim, Tullii ut verbis utar, ſecundas res ornant, adverſis perfugium ac ſolatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur".

Sed ne illi, qui utilitatem ſolam in doctrinis perficiendis quaerunt, putent nil nostris disciplinis inesſe, cuius utilitas oculis pateat, uno alterove exemplo hanc utilitatem ostendemus.

Nemo qui mercaturae rationem perſpectam et cognitam habeat, ignorat quam utilis ſit navigantibus, accurata globi quem incolimus cognitio Geographica. Geographi autem et rerum nauticarum periti ſciunt quam imperfecta et rudis ſaepe ſit illa cognitio. Pauci ſunt loci, praeſertim in India et America, quos ita accurate exploratos et in mappis depictos habeamus, ut plane tollantur, vel maxime minuantur pericula, quae immineant navigantibus,

velis

velis iter facientibus ad longinquas illas plagas. In ſinu Mexicano inſula est, Colonia Hispana, ſummi Columbi navigatione clara, Porto Rici nomine celebrata, nobilis imprimis mercatura. Ante paucos annos huius inſulae ſitus valde erat incertus. Nam neque inter ſe congruebant mappae, neque de magnitudine erroris conſtabat. Hispanus Astronomus paucos ante annos ibi forte occultationem illius ſtellae quam oculum T a u r i Graeci, A l d e b a r a n vero Arabes appellarunt, obſervavit. Diu postea cum Gallis et Germanis astronomis hanc ſuam communicavit obſervationem. Celeberrimus Z a c h i u s ſuas pervolvens obſervationes invenit ſe in ſpeculâ Gothanâ eandem inſtituisſe obſervationem. Hanc igitur cum illa Hispani obſervatoris comparavit, et computatione facile inde deduxit verum Porto Rici Coloniae, immo et totius ſinus Mexicani, ſitum. Igitur Astronomus Germanus, procul ab Oceano et navigantibus remotus, auctor erat, ut accurate cognoscerent geographi longinquae illius inſulae ſitum. Intelligant igitur illi, qui omnia ad utilitatem communem referunt, quid valeant nostrae lu-

cu-

cubrationes, in promovendis artibus humanae ſocietati maxime necesſariis.

Obiectio denique, quam a perfecta iam ſatis atque expolita disciplina, ducere ſolent harum rerum imperiti, nullius prorſus momenti videtur. Quis enim, niſi imprudens dicat perfectam ſatis esſe ullam cognitionem humanam? Innumera enim in theoria ſunt expolienda magis et perficienda. Theoria obſervationibus ſuperſtruitur, cum iis creſcit, ab iis vim et auxilium petere poteſt. Obſervationes, ſine theoria, nullam probabilem explicationem phaenomenorum praebere posſunt. Illae autem ſtabilire et firmare debent theoriam. Exemplo denuo illuſtrare, ea quae dixi, liceat.

Leges Kepleri, ex obſervatione deprompiae, et theoria Newtoniana explicatae, indicant quidem relationes inter tempora quibus ſinguli planetae circuitus circa ſolem abſolvant, et inter eorum ab ipſo ſole diſtantias, ſed *relationem* ſolam inter tempora revolutionum et diſtantias a ſole, his legibus cognoſcimus, *veram abſolutamque distantiam*, quae vulgo dicitur, ſingulorum planetarum non ſatis indicant.

Ita

Ita medio feculo praecedente, incerta adhuc erat prorfus distantia folis a terrâ. Halleyus fummi Newtoni alumnus, indicavit methodum, quâ ex obfervationibus, fingulis fere aevis inftituendis, demetiri posfemus inter hanc terram et folem intervallum. Planetam Veneris nempe, fingulis fere aevis, per discum folis transire videmus. Si accurata huius phaenomeni diverfis in terrae locis inftituatur obfervatio, calculo et theoria deducere inde posfumus veram distantiam folis a terra, atque omnino dimenfiones totius fystematis planetarum. Igitur omnes astronomi monitum Halleyi fecuti, indicato tempore difficillimum illud opus aggresfi funt. Sumtibus et patrocinio fummorum imperantium, astronomi mittebantur ad oras remotisfimas. Iccirco qui per totam illo tempore terram disfipati fuerant, in Indiam, Lapponiam, Californiam, Siberiam, ad mare pacificum laeti fuscipiebant iter. Et fic diligentia eorum et ardore, ea tandem demonftrata funt ac cognita, quae fola theoria nunquam eruere potuisfet.

Figurae telluris investigatio, in quam tot la-

labores impenderunt astronomi, aliud est exemplum eorum, quae theoria, nisi fulciatur observationibus, nullo modo detegere posfit. Rudior quidem observatio veteres docuit, terrae figuram ad sphaeram accedere. Cognita deinde ipsius rotatione, facile erat theoretice concludere, eam in regione polorum esse planiorem. Veras autem huius, quem incolimus, globi dimensiones nullo modo theoria demonstrare potest. Ad observationes, easque accuratisfimas, recurrendum est. Igitur Willebrordo nostro Snellio monstrante viam, sub zona frigida et aequatore, perinde atque in cultisfimis Europae campis, iterum iterumque hoc opus tentarunt astronomi, et dimensiones et observationes instituerunt; in quibus perficiendis, perpoliendis et corrigendis, etiam nunc versantur, optimi Angliae, Galliae, Germaniae et Italiae astronomi.

Sed ne amore dilectisfimae disciplinae capti, nimis haereamus in expositione eorum, quae nobis prae caeteris cordi sint; paucis significemus quae maxime officia esse astronomi putemus. Quantum viribus et ingenio valet, in dies per-

perficit et corrigit ea, quae in theoria adhuc desiderantur. Phaenomena continuo cum illa comparat, minimas notat differentias. Omnem curam impendit ut magis magisque perficiantur instrumenta; omni modo perscrutatur errores, qui ex eorum usu et constructione nasci et observationes vitiare possint. Prae caeteris studet eam, quam profitetur, disciplinam, ad usum societatis humanae convertere. Perficit igitur quantum potest methodos, tabulas, instrumenta, quibus utuntur navigantes. Praescribit hominibus illis, matheseos saepe imperitis, observandi rationes et computandi formulas, quarum ductu in alto Oceano tuto viam invenire et sequi possint. His igitur laboribus faciliora redduntur commercia etiam inter longissime a se invicem remotas gentes. Nostrorum hominum lucubrationibus efficitur, ut Oceanus *dissociabilis*, uti voluit Horatius, non amplius sit habendus. Securi enim peragunt mercatores longissimas navigationes. Fruges longinquarum regionum commune bonum omnium populorum fiunt. Ita ubique humanitas, doctrinae, bonae artes per totam terram disperguntur, ferarum ita gentium emolliuntur mores. Notiones deni-

que

que immenſitatis et perfectisſimi ordinis quem in rerum hac univerſitate ubicunque cernimus, clariores purioresque fiunt. Ita enim astronomus quando ſilentio noctuum, ſidera cuncta tacito labentia coelo notat, ſuum etiam confert ad expolienda et perficienda omnia ea, quae ad humanitatem pertinent.

Illas dotes astronomiae, nostro aevo, perſpectas et cognitas iam habent fere omnium gentium Europearum ſummi Imperantes. Publicis ſumtibus, ubique ſplendescunt obſervatoria. In Anglia, Gallia, Germania, Dania, Rusſia, Italia, publico conſilio, honore et praemiis ornatur astronomorum industria. Hoc etiam optimi Regis nostri fuit conſilium, quando in Academiis Belgicis, ſpeculas astronomicas, diu in nostra patria neglectas, exſtrui et emendari, novisque inſtrumentis ornari voluit, quando Regio ſuo patrocinio excitavit ardorem et ingenium rusticorum illorum quidem, ſed dexterrimorum Friſiorum artificum; quorum industria et ingenium ſperare nos iubent, fore ut aliquando aequent optima, quae apud exteros conſtruuntur, telescopia.

Talibus notionibus inſtructi, ſi conſcendamus

ali-

aliquando obſervatorium, iam aequius forte iudicemus de iis, qui hic peraguntur, laboribus. Iam intelligimus quid ſibi velint inſtrumenta ibi diſpoſita, et quae tanta cura ac prudentia ab astronomo tractari videmus. Altum hoc loco regnat ſilentium, nullus niſi lenis horologii ibi auditur ſonus. Nullus motus praeter illum, quo agitantur corpora coeleſtia, diſtrahere atque turbare debent attentionem aſtrorum periti. Punctum enim temporis, nunquam rediturum, notare cupit. Oculo ad tubum admoto, flexo ſaepe corpore, patientia, attentione et cura, omnem animum in organa viſus quaſi intentum habet. Figuram enim, magnitudinem, locum, motus, intervalla ſiderum definire eius eſt conſilium atque propoſitum.

Ex lege iam mihi ennarranda ſunt, quae exacto hoc anno, Univerſitati noſtrae cum

pro-

prospera tum adversa acciderunt. Et prospera quidem quae memorem permulta habeo; adversa vero vix ulla.

Laetamur salvos esse Curatores omnes et Professores. Venerandus etiam senex, qui Curatorum Collegio praeest, quamvis corpore paullo infirmior, iuvenili ardore academiae prodesse, et scriptis suis ad religionis cultum, ad bonos mores adhortari omnes pergit; exemplo ita suo docens, quid vita bene peracta faciat, ad suavem illam ac lenem senectutem, quam Cicero laudavit.

Professorum ordinem vero cum intueor, universos huc convenisse valentes gaudeo, ut unum desiderem Rhoerium, qui pedum valetudine retinetur constanter, sed constanti alacritate pergit ad summum studiosae iuventutis emolumentum, egregiis lectionibus, praeceptis et consiliis munus illud sustinere, quo per complures annos in hac nostra academia, tanta gloria perfunctus est.

Ordinem hunc nostrum brevi augeri videbimus novo Collega, viro doctissimo et expertissimo Philippo Henrico Heiligers, qui artis chirurgicae et obstetriciae praecepta, lec-

to-

toris titulo, dudum explicuit, et nuper Regia auctoritate earundem doctrinarum extraordinarius Professor est creatus. Auctum iam nunc cernimus Ordinem nostrum Viris Clarissimis Iacobo Vosmaer et Theodoro Gerardo van Lidth de Ieude, qui antea, dum exstaret, Harderovicenum Athenaeum ornarunt, sublato vero illo, huc evocati sunt, ut extra ordinem docerent, ille salutarem artem, hic historiam illam naturalem, qua merito adeo delectatur. Vos igitur, Duumviri Clarissimi, qui muneris stadium iam feliciter intrastis, publice nunc salutare et congratulari mihi liceat. Pergite, ut iam diu fecistis, eruditione vestra et ingenii dotibus, gravissimis doctrinis prodesse, ad Academiae non minus ornamentum, quam ad uberrimum alumnorum nostrorum emolumentum.

Antequam vero ad caetera enarranda pergam, grata mens mihi, nunc primum ex hoc loco dicenti, suadet, ut palam tester, quantum vobis debeam Professores Clarissimi, pro benevolentia, qua me, inde ab illo tempore quo ordini vestro adscriptus sum, ornare voluistis. Be-

ne-

nevolentiam a vobis omnibus expertus ſum, amicitiam veram illam et ſinceram, a compluribus. Et tuum hic nomen reticere, amicisſime Schrödere! vetat, quae nobiscum intercedit, cum animorum tum ſtudiorum coniunctio. Laudant omnes boni tuam in philoſophando prudentiam, in mathematicis disciplinis eruditionem, in litteris humanioribus elegantiam; quas praeclaras ingenii tui dotes, ut univerſi fatemur, mirifice valere ad Academiae nostrae augendum ſplendorem, ita equidem lubentisſime addo, cumulari etiam illas humanitate tua et modestia, quam aemuli etiam in te admirari coguntur. Gratus ita acceptusque ſis porro omnibus, et cedant labores nostri, quos communiter ſuscepimus, in verum Academiae, Patriaeque nostrae, commodum.

Inſignia hoc anno ceperunt incrementa, quae in hac muſarum ſede, doctrinarum exſtant adminicula. Locupletata est bibliotheca Academica, cum aliis in ſuo genere praeſtantisſimis operibus, tum praeclaris etiam, quae ad mathematicas, phyſicasque doctrinas et historiam naturalem referuntur. Quod eo lubentius commemoro,

ro, quandoquidem ante hoc triennium prorſus propemodum, iis diſtituta fuerat. Quod autem ei deſtinatum eſt amplum et vero magnificum aedificium, proximo, autumamus, anno ad librorum hunc theſaurum recipiendum, tum etiam ad legentium uſum et commoditatem, rite erit inſtructum et accommodatum. Quam iuvat autem in bibliotheca invenire, quibus patet horis, egregios iuvenes legentes, libros inſpicientes, pervolventes, excerpentes, et ita familiaritatem quamdam contrahentes cum optimis in quâvis disciplinâ auctoribus, quos colligere posſidere et legere privato homini raro, ſtudioſis fere nunquam conceſſum eſt. Hoc ſibi enim maxime proponere videtur Vir humanisſimus, qui bibliothecae praeeſt et ſingularum Facultatum Profesſores, ut non tam iis bibliothecam exornent libris, qui ſe raritate, antiquitate aut pretio commendent, ſed potius ut principum in quovis doctrinae genere virorum congerant ſcripta, quorum lectio ſummae ſit alumnis noſtris utilitatis.

Laboratorium Chemicum ornari pergit variis inſtrumentis ad hodiernum artis uſum pertinentibus. Inſignis numerus praeparatorum Che-

micorum, quam Geunſii, Viri celeberrimi, dudum collegerat diligentia, nunc auget hunc noſtrum apparatum.

Zoölogicum huius Academiae Muſeum, multis ſpeciminibus, avium praeſertim, nonnullorum etiam mammalium et vermium inteſtinalium fuit auctum. Quum publice diſtraheretur Cl. Geunſii Muſeum, permulta etiam exempla foſſilium rerum fuerant coëmta, quae in collectionibus noſtris plane deſiderabantur aut minus perfecta aderant.

Hortus etiam botanicus per huius anni decurſum ornari et ditari pergit. Ne dicam de aditu, antea aedificiis penitus fere obſtructo, nunc ſublatis illis aperto et amplo, ipſius horti area, ad praeſentem artis emendationem tota eſt compoſita. Rectanguli forma, quam referebant quondam areolae et tramites, in involutam et curvatam commutata eſt: quo non tantum varietati ambulandique ſuavitati conſultum eſt, ſed aptius etiam plantarum claſſes, claſſiumque extenſiones diſtinctae ſunt, et botanicum ſyſtema quaſi oculis ſubiiciunt. Seminibus etiam et ſtirpibus quam plurimis ex India, America, Promontorio bonae ſpei, ex horto

Re-

Regio Parisino, aliisque ex locis collatis, augetur iam numerus plantarum, quae hunc locum ornant ibique coluntur.

Ad observatorium astronomicum vero quod attinet, renovatum est illud maxima ex parte; ut commodius et certius iam ibi liceat observare corpora coelestia. Pleraque instrumenta, quae ibi iam adfuerant sic reparata sunt et emendata ut quotidianis observationibus sidera inserviant. Novus tubus meridianus, achromaticus, Dollondianus, veteris telescopii culminatorii iam occupat locum. Horologium oscillatorium et compensatorium, quod ibi collocaverat iam Calkoenius, cuius intempestivam mortem luget adhuc severior musa, ab ipso Knebelio auctore emendatum, asserit optimi artificis famam.

Expectamus etiam nunc ex celeberrimis officinis Reichembachii repetitorium qui dicitur circulum, diu iam nobis promissum, quam procrastinationem gravius quidem ferremus, nisi sciremus astronomos Parisienses per viginti scilicet annos expectasse et ab artificis successore tandem accepisse, quem Ramsde-

nus promiserat tubum culminatorium. Quae ad metereologiam pertinent instrumenta, iam possidemus, iisque utimur diligenter. Alia adhuc expectamus.

Museo instrumentorum, quae pertinent ad physicam experimentalem, multa hoc anno accesserunt incrementa, novis ex Anglia praesertim coëmtis instrumentis. Ex Gallia expectabamus alia multa, quae ad nova experimenta optica pertineant; sed procrastinationem illam artificis solitam, etiam hic valde dolemus.

Neque reticendum hic est, liberalitate Regia, et benevolentia Curatorum, studio optimorum quorundam in hac urbe virorum, qui excolendis disciplinis physicis delectentur, brevi omnem nostram suppellectilem physicam translatum iri in locum ampliorem, magis illum et auditoribus acceptum et experimentis instituendis aptum.

Museum Anatomicum in quo peregrini perinde ac cives mirantur Bleulandii industriam et dexteritatem, ornatur nunc optimi Viri imagine, qui tantos collegit thesauros indefesso labore. Et vero splendidum illud Academiae

miae nostrae ornamentum hoc anno auctum est variis ſpeciminibus cum ad pathologicam tum ad comparatam anatomiam pertinentibus.

In noſocomio vero Academico, Medicinae Profesſores ſalutiferae artis praxin, curandis aegrotis, alumnos ſuos docere feliciter pergunt. Aegroti quam plurimi hic ſolatium malorum quaerunt et ſimul uberrimam occaſionem praebent medicinae ſtudioſis, ut artis praecepta in vitae uſum conferant. Neque ad ſolos illos aegrotos qui in ipſo noſocomio decumbunt, vel ibi conſultare cupiunt de adverſa valetudine, reſtringitur huiu s inſtitutionis Academicae utilitas. Amplisſimi Viri Conſules Medicinae Profesſoribus, id petentibus, curam commiſerunt, opem cum ſtudioſis nostris iuvenibus ferendi egenis aegrotantibus in vico quodam huius urbis. Ita ſalutiferae artis alumnis copia facta est inviſendi plures quam trecentos aegrotos, variis laborantes morbis, etiam iis qui epidemici dicuntur. Quamvis utilia haec iam ſint, alia, eaque maiora nobis expectare fas est, quae ut proſpere cedant in emolumentum inſtitutionis Clinicae in hac Academia, uti etiam in aegrotan-

tantium egenorum curam, etiam atque etiam optamus.

Quod autem multo etiam magis ad Academiae florem et prosperitatem confert, laudanda multis nominibus fuit hoc anno, studiosae iuventutis industria. Plerique, publicis examinibus, temporis bene acti tulerunt testimonia. Quaestiones et dissertationes, quae sive sub praesidio, sive pro doctoratus gradu fuerunt defensae, abunde testantur litterarum et bonarum artium in hac musarum sede studia.

Sed alia etiam eaque non leviora explenda mihi sunt officia. Praemiis ornare oportet praestantissimos iuvenes, qui in nostro literario certamine palmam hoc anno meruerunt.

Recordamur insigni voluptati, fuisse in alumnis nostris, magistratus mei tempore, qui in inclyta Academia Groningana, literarum certamen ineuntes, rem illic praeclare agerent Nam ut proxime ad victoriae honorem accessit eximius L u d o v i c u s G e r l a c h P a r e a u, omnium suffragiis, plenam reportavit victoriam

vic-

victor ille praecedenti anno in nostra palaestra, Henricus Cock. Verum enim quo hoc nobis gratius iucundiusque accidit, eo dolemus magis, tam paucos, eodem hoc anno, apud nos in arenam descendisse. Fuerunt qui ne hoc agerent gravibus caussis vel impedirentur, vel retinerentur; sed quam plurimos absterruit rei novitas, virium suarum diffidentia, difficultas rite explicandarum, quae ptopositae essent, quaestionum. Utinam ex animis horum iuvenum expellere possemus timorem illum et haesitationem, praesertim cum tot in iis reperiantur, qui cum ingenio, tum progressibus suis, aptissimi videantur, qui vires periclitentur suas. Scio equidem fuisse omni tempore iuvenes, et esse etiam nunc, qui de doctrina ipsi sua et eruditione satis praeclare existimarent. Sed ut vitanda est vanitas illa et insolentia, ita non minus cavendum a nimia et intempestiva modestia, quae a tentandis magnis et praeclaris animum avocet.

Si quid mea apud vos valuisset auctoritas, haud dubitassetis, optimi iuvenes! vobiscum invicem ad summam gloriam contendere. Nam ut ardua sunt haecce, ita praeclara sunt pariter

et

et honesta et pulcra. Nec vinci turpe est. Si quis ſtrenue pugnavit, exercitaverit etiam ſimul vires ſuas: victori autem illustris conceditur triumphus.

Sed ad vos iam accedo, qui in hoc certamine ſtrenuos vos milites praeſtitistis. In vos iam omnium, qui hoc loco adſunt, oculi animique converſi ſunt. Amici iam celebrant victoriam vestram. Vestris honoribus iam exſultant affines et cognati, Parentes vero, talibus ſe filiis felices et beatos praedicant. Quae ſane paterni amoris indicia ipſis his aureis nummis longe vobis esſe debent gratiora. Spero equidem fore, ut quae nunc accipietis doctrinae praemia, fausta ſint omina maiorum etiam honorum, quos deinceps in vitae curſu nacturi ſitis Et ſane ipſa hac concertatione exercitati estis ad maiora etiam et praeclariora peragenda. Nam ſtudiis hisce formantur iuveniles animi ad laboris conſtantiam et asſiduitatem, ad interiorem rerum investigationem: cui quicunque ſint asſueti, nae illi ad optima quaeque et gravisſima aditum ſibi muniverunt.

Antequam vero vobis tradam praemia, quae vestra industria meruit, legam quid quisque or-

do

do censuerit de dissertationibus sibi pro praemiis missis.

IUDICIUM FACULTATIS MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

Facultas Matheseos, et Philosophiae Naturalis ad quaestionem Chemicam *de principii Chlorici indole*, superiore anno propositam, unam Commentationem accepit, hoc symbolo: *pauca sunt etc.* Whyte. Examine instituto non potuit non laudare maximam auctoris diligentiam, qua omnia, quae ad rem, de qua quaerebatur, pertinebant, congesta atque probaliter explicata fuerunt. Quamvis igitur nonnulla loca, praesertim doctrina determinatarum, quae vocantur, proportionum, minus accurate atque dilucide exposita essent, eam tamen commentationem, ex legis Academicae ratione, praemio decorandam omnino censuit. Aperta, quae ei adiuncta erat, schedula, patuit, eam compositam fuisse ab Henrico Carolo van der Boon Mesch, Medicinae Candidato in Academia Leidensi, qui deinde, causa sua felici-

citer defenſa, et ſe auctorem et ſuam univerſae rei Chemicae peritiam, Facultati abunde probavit.

IUDICIUM FACULTATIS IURIDICAE.

Facultas iuridica ad quaestionem, anno praecedenti MDCCCXVIII propoſitam, tres accepit commentationes.

Prima hoc lemmate distincta:

Spe alor.

ſatis latina et perſpicua dictione conſcripta, ſingulas quidem partes propoſitae quaestionis perſequitur, ſed adeo leviter perſtringit, ut festinationis apparere videantur vestigia, et merito dubitetur, an opusculum plane ſit abſolutum. Univerſe tamen de ingenio et diligentia commentatoris bona quaevis augurari licet.

Altera inſcripta fuit dicto:

Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſſas.

Non una ſane dote commendanda est haec diatribe. Laudem meretur a perſpicua et ſatis castigata oratione, rerum per partes iusta dispo-

poſitione, et argumenti ex legum fontibus facta tractatione. Forte tamen non in omnibus vim quaestionis perſpexit auctor huius ſcripti. Deſiderantur etiam quae ad illustrandas ſingulas partes propoſiti argumenti, ex univerſo iure debuerant peti.

Tertia inſignita fuit verbis Ciceronis:

Leges nobis carae ſunt non propter literas; quae tenues et obſcurae notae ſunt voluntatis, ſed propter earum rerum quibus deſcriptum est utilitatem, et eorum qui ſcripſerunt ſapientiam et diligentiam.

Laudes, quae prioribus commentationibus ſunt tiibutae, ad hanc inprimis pertinere cenſuit ordo ICtorum: ceteris vero multo ſuperior est in rerum tractatarum varietate et delectu, iisque confirmandis auctoritate veterum ICtorum et varia lectione praeſtantisſimorum librorum: in quibus omnibus ſcriptor non vulgarem probavit doctrinam, et cum acumine ingenii feliciter coniunxit iudicii modestiam. Iccirco, comparatis cum ea ceteris, huic praemium fuit tributum. Reſignata ſcheda lectum fuit victoris nomen

Ioachim Sandra,

Iuris Candid. in Acad. Traiectina,

qui

qui in examine, ſecundum legem inſtituto, industriae ſuae et in iure progresſuum ſpecimina egregie confirmavit

IUDICIUM ORDINIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE THEORETICAE.

Ad quaestionem: „ *ex iis quae in libris Ciceronis de Oratore a Crasſo, Antonio, Caeſare, aliis de eloquentia disputantur, ipſius efficiatur Ciceronis* de perfecto Oratore *ſententia*" quatuor accepit reſponſa Ordo Phil. Theor. et Litt. hum., de quibus ſingulis in hunc modum iudicavit.

In commentatione, cui ſymbolum: *est facienda ſua cuique vis, ſua ratio*, placuit nobis inquirendi diligentia, iudicandi prudentia, nec minus orationis bonitas et evidentia; deſideravimus vero in ea laboris asſiduitatem, quae propoſito argumento esſet conſentanea.

Iisdem videtur laudibus celebrandus auctor disquiſitionis, cui ſententia adſcripta: *certamen praemia magna movent*; ſed interior accedit Ciceroniani operis notitia. Exordium elegans est et eiusmodi refert cum ingenii vim, tum dis-

disserendi facultatem, quae perquam sit idonea ad perfectum Oratorem rite describendum. Utinam quo coepit modo, eodem perrexisset auctor! At vero ut multas argumenti partes levius adumbravit, ita postremam festinantius quam diligentius tractavit.

Quae in utraque hac scriptione desideratur laboris constantia et assiduitas, hanc minime requisivimus in disputatione, his verbis inscripta: *qui verae eloquentiae dat operam, dat prudentiae.* Sic autem probavimus, imo admirati sumus scriptoris eruditionem et vero industriam, qua ad Ciceronis illustrandos de Oratore dialogos undique omnia contulit, ut dignam censuerimus disceptationem hancce, quae typis mandaretur describenda. Caeterum scriptorem eius esse cognovimus

Iohannem Rudolphum Thorbecke
Phil. Th. et Litt. hum. in Acad. Lugduno-Batava Candidatum.

Quominus autem doctae huic et elaboratae scriptioni praemium assignaremus, praestantia fecit dissertationis, Ciceroniana sententia distinctae: *honos alit artes*, quae eruditionis sedulitatisque laude, nec vero minus distribu-

tio-

tione, perſpicuitate, orationis Latinae puritate et elegantia, ordine omnino quo ſingula ſunt explicita et illustrata, ita ſe nobis commendavit, ut victoriae ei palmam tribuere nulli dubitaverimus. Eximii huius opusculi auctorem ſe nobis probavit

Bavius Antonius Nauta,
Phil. Th. et Litt hum. in Acad. Lugd. Batava Studioſus.

Ad te igitur primum me converto, Ornatisſime van der Boon Mesch! qui nunc iam quartum in honesto illo certamine palmam reportasti. Semel in iuvenilibus illis exercitiis praemium reportare glorioſum est, ſed quater victorem ex hac palaeſtra decedere, ſummum decus habetur. Sed quanto laudabilius in hac disciplina verſatus es, tanto plura etiam, iure quodammodo nostro, a te porro expectamus. Clara ſemper fuit nostra Patria inclytis Chymicis. Quae fama, ut ab omnibus qui exercitatione in hac arte, diligentia et ingenii viribus polleant, ita a te etiam tuenda est et augenda. Et vero in urbe tua natali nobile exemplum tibi os-

ostendit quam feliciter chymiae ſtudium cum artis ſalutiferae praxi coniungi queat. Aureum hunc accipe nummum, ut honoris praemium, et incitamentum ſimul, ad nova eaque graviora etiam in his disciplinis tentanda.

Summo gaudio, quicunque huic nostrae Academiae bene cupiunt, eriguntur, cum te hoc honorifico loco adſpiciunt, Ornatisſime Sandra! Ornamentum huius Academiae, exemplum commilitonibus te praebuisti. Praeceptores ut laudant diligentiam tuam, ita omnes tui familiares diligunt te ob modestiam, comitatem et raram quamdam hac iuvenili aetate vivendi agendique prudentiam. Perges igitur, ut facis, egregium te exemplum praebere alumnis nostris. Decus et honor ſic eris prudentisſimae matris, quae iure nunc gloriatur, ſe talem nactam esſe filium. Laetus tibi trado aureum hocce donum, industriae ſimul et virtutis nobile premium.

Exemplum egregium commilitonibus praebes, Ornatisſime Nauta! qui per breve adeo tempus in Academicis ſtudiis verſatus, tamen aemulis palmam praeripuisti. Et ſane, quod de ſcriptione tua iudicium pronuntiavit Ordo litera-

rarius, praeclarum est illud tibique perquam honorificum. Accipis ita igitur, tuo iure, doctrinae hocce praemium: excitet autem te porro ad gnaviter persequendam, quam laudabiliter adeo intrasti, verae gloriae viam. Ab egregiis huiusmodi initiis futuros successus, eosque praeclaros augurari, imo expectare nobis licet.

Tu Ornatissime Thorbecke! sentis, quam levis sit fortunae aura. Cuius rei experientia iuvenibus perinde atque aetate provectioribus, utilior saepe auro est. Sed quamvis non summos nunc feras honores, ut praecedente anno in Leidensi certamine, haud frustra tamen apud nos pugnasti. De tua enim scriptione, quomodo idem exstimaverit literatorum ordo, et tu audivisti et omnes iam intelligunt hoc loco praesentes. Quamobrem nec tibi deest quo laeteris, nec nobis omnibus quo te gratulemur.

Distributis ita, auditores, certaminis huius praemiis, age, ad quaestiones iam attendatis, quae in proximum annum, Academiarum et Athenaeorum Belgicorum alumnis explicandae proponuntur.

Vi-

Vidistis Iuvenes, quantam ex hacce commisſione gloriam reportent victores. Ne dubitetis igitur, ſive primum, ſive denuo, vestras periclitari in optimis his ſtudiis ingenii facultates. Nec ſubverendum ne forte vincamini. Qui victi decedunt, magnos tamen ex arena fructus reportant, virium exercitationem, quâ ad maiora praeparati ſint, tum vero temporis bene acti recordationem. Quae praemia ſi imperitis non magnifica videantur, peritisſimis tamen quibusque optimisque hominibus maxime ducuntur expetenda. Agite vero iuvenes, laudis quod aperitur ſtadium intrate, contendite vobiscum invicem ſtrenue, naviter, feliciter!

QUAESTIO THEOLOGICA.

Strictim discribatur librorum veteris foederis praeſtantia, et uſus in doctrina Christiana intelligenda, aeſtimanda, tuenda et ad virtutis ſtudium adhibenda.

QUAESTIO IURIDICA.

Quid ſtatuerunt Auctores Codicis civilis de rerum mobilium vindicatione? Quibus de cauſſis hac in re a iure Romano receſſerunt? Qua tandem ratione utriusque iuris doctrina optime temperari poſſe videtur, ut tum in iure dominii tuendo, tum in libero rerum mobilium commercio haud impediendo, aequitatis et boni publici, quoad eius fieri poſſit, habeatur ratio.

QUAESTIO MEDICA.

Indicentur: 1°. *labii leporini varia exempla, a praecipuis de re chicurgica Auctoribus enarrata, atque in ſpecies quasdam diviſa.* 2°. *de huius vitii congeniti origine, in primis recentiorum, anatomico-pathologicae opiniones.* 3°. *Belgarum merita in hocce morbo curando.*

QUAESTIO LITERARIA.

Disquiratur, quaenam univerſe fuerit Tragoediae Graecae ratio; ad eamque exigatur

no-

nobilisſima Vondelii *fabula:* Gijsbrecht van Aemſtel.

QUAESTIO MATHEMATICA.

Comparatio inſtituatur parabolae, ellipſeos, circuli atque hyperbolae, ut vel ex coni ſectione, vel ex earum curvarum aequatione, vel ex utraque appareat, quaenam proprietates his curvis, vel omnino, vel quadam ratione communes ſint. Brevitatis ita ratio habeatur, ut coniuncta ſit cum perſpicuitate et accurata rerum expoſitione, atque ut ea, quae comparationi inſerviant, diligenter congerantur. Non requiritur, ut calculus differentialis et integralis in auxilium adhibeatur, neque tamen eius uſus prohibetur; dummodo quae in propinquo ſint, non ex remotioribus fontibus hauriantur.

QUAESTIO BOTANICA.

Conficiatur brevis enarratio ſyſtematum botanicorum, quae inde a Caeſalpino usque ad Linnaeum inprimis inclaruerunt. Addatur expoſitio praeſtantiae ſyſtematis ſexualis Linnaei, qua

non tantum perſpiciatur, quibusnam in rebus praecedentia ſystemata ſuperaverit, verum etiam, quaenam ipſi deſint, atque impediant, quo minus perfectum dici posſit.

Explendum iam mihi est ultimum Rectionis meae officium, ut moderamen Academiae ſucceſſori a Rege deſignato ſolemniter tradam.

Virum igitur Venerabilem et Clarisſimum Hermannum Royaards, in ſequentem annum, huius Academiae Rectorem Magnificum publice dico, pronuntio et proclamo.

Salve Magnifice Rector, occupa hanc quae tua deinceps erit honoris ſedem! Accipe fasces academicos et omnia quae ad Rectionis munus ſpectant, et quae tibi laetisſimus cedo!

Faxit autem Deus O. M., ut Magistratus tui tempore omnia proſpere tibi cedant, ut incolumis ſervetur cum Rege nostro dilectisſimo, univerſa patria; et floreant hic non tantum, ſed ubivis, in nullis non Muſarum ſedibus, bonae artes atque doctrinae!

D I X I.

IACOBI VOSMAER

ORATIO

DE

RECENTIORI MEDICINÂ CUM ANTIQUÂ COMPARATÂ,

DICTA PUBLICE

die XIV m. Octobris, a. CIƆIƆCCCXVIII.

QUUM EXTRAORDINARIAM MEDICINAE PROFESSIONEM SOLENNI RITU AUSPICARETUR.

❁ ❁ ❁

ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE CURATORES, VIRI AMPLISSIMI, MAGNIFICI!

QUI IN REGNO BELGICO, IN HAC REGIONE, AUT IN HAC URBE, REBUS PUBLICIS ADMINISTRANDIS, IUSTITIAEVE VINDICANDAE PRAEESTIS, VIRI HONORATISSIMI!

ACADEMIAE RECTOR, CAETERIQUE ARTIUM AC DISCIPLINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI!

ARTIUM ET LITTERARUM LECTORES EXPERTISSIMI, ERUDITISSIMI!

DIVINORUM ORACULORUM INTERPRETES ET PRAECONES DOCTISSIMI, REVERENDI!

ARTIUM DOCTRINARUMQUE DOCTORES CONSULTISSIMI, EXPERTISSIMI!

CIVES ET HOSPITES OMNIS LOCI ET DIGNITATIS ACCEPTISSIMI!

VOS ETIAM CIVES ACADEMICI ORNATISSIMI, SPES PARENTUM, PATRIAE, HUMANITATIS!



Qui bonis abundans artibus, tantarum deliciarum diligentius explorat fontes, vel invitus etiam ad antiquam trahitur Graeciam, gratusque innumera et prorſus magnifica agnoscit, quae generi adtulit humano. Quidquid enim posteriores ſibi ſumant aetates, quidquid augmenti ad rerum ſcientiam, ſuâ operâ, acceſsiſſe ferant, uno id confitentur ore, quae ad humanitatem pertinent, artium disciplinarumque omnium Graecos auctores exſtitiſſe et magistros. Antiquisſimis quidem temporibus, Aegyptus, India, Phoenicia ſplendida emiſerunt humanae cognitionis lumina; verum haec ſolers Graecorum industria tanquam in ſpeculum collegit.

At-

Atque hinc viribus illa auctis ad remotisſimas aetates, terrarumque plagas pervenerunt. Unde universus terrarum Orbis, maxime haec nostra Europa, clarisſimâ luce collustratus est. Ut illi adeo, qui disciplinae cuiusdam aut artificii primas ſcrutantur origines, ipſâ historiâ iudice, recte agant, ſi ad Graecos, tamquam ad eruditionis omnis, humanitatisque parentes, adſcendant.

Hinc itaque A.! religioſum intelligimus, quod multorum adeo pectora tenet, antiquitatis ſtudium, eiusque permagnam apud plurimos auctoritatem. Quae ſi ex iustâ antiquorum aestimatione oriantur, verisque ipſorum meritis metiantur, quis non laudet? Ea vero ſaepe tanta deprehendimus, ut nihil praeclarum, nihil abſolutum habeatur, niſi quod ſuâ ſe vetustate commendet, aque primis artis auctoribus profectum ſit. Isti quidem homines unum Homerum, quarumvis cognitionum humanarum uberrimum extollunt fontem. Isti a Platone nihil provenisſe putant, quod non penitus perfectum et perpolitum ſit, omnemque adeo orationis vim atque elegantiam, cum Demosthene et Cicerone periisſe. Atque ita nihil omnino probant, niſi quod magni cuiusdam

in

in antiquitate nominis auctoritate firmetur. Quam inepte! Itane illos, quod sanum neminem fugit, non facile, quodcumque inchoatur, id eo ipso perfici, raroque inveniri humani opus ingenii, quin seculorum tantum perficiatur labore? Ut adeo nihil magis alienum sit, quam artis alicuius perfectionem a primis eius exspectare auctoribus.

Hoc autem si de omni eruditionis genere valet, praecipue de naturalium rerum valet cognitione. Etenim in aliis doctrinis, plurimum ingenio praestamus, in hac vero nihil sine diligenti possumus et saepius repetitâ rerum contemplatione. Hic aliorum, qui ante nos fuerunt, labores, parum nos iuvant, nisi nostros addamus, quibus corrigantur illi, illustrentur, augeantur. Hic itaque artis augmento nihil magis nocet, quam magni alicuius Viri auctoritate ita teneri, nihil ut comprobemus, quod ab eo non profectum sit, artiumque patres tam religiose colere, ut ab eorum vestigiis recedere, summum ducamus nefas. Et vero quam frequenter insanum hoc tenuit antiquitatis studium naturae scrutatores non modo, verum et ipsos adeo medicos; medicos, inquam, qui

totam artis ſuae ſcientiam ab experientiâ habent; qui nihil ſapere ſe niſi naturâ edocti, ac penitus informati, ipſi confitentur, integra quorum vita naturae obſervatione atque indagatione continetur!

Equidem illorum hominum rationem vehementer laudo, qui Divi Hippocratis auctoritate percusſi, aut copioſâ capti Galeni eruditione, ad antiquos illos artis magistros perpetuo recurrunt. Modo ne ſic integram ſe tenere artem, cuius initia vix tetigerint, putent. Modo ne iis, quae antiquorum invenit ingenium, contenti, quae recentiorum adiecit diligentia, ſpernant. Quoties vero hoc agunt inepti Hippocraticae, quam dicunt, rationis laudatores! Quos ſi audias, vix quidquam, pene immenſis ſeculorum laboribus, medicae arti accesſisſe credas; immo vero quamcumque in eam nostri collocarunt operam, reperias ipſi nocuisſe. Nimirum recentioris medicinae obtrectatores hanc e phyſicorum natam ſcholis, in iisque enutritam, ſuis ſtare pedibus negant; quodque peius est, ab hac ſuâ matre non modo non erudiri ac firmari, verum fasciis tantum vinculisque impeditam, ſibi relinqui aiunt. Nihil enim dum medicinam ae-

gris

gris faciat eruditione iuvari medicum, aut naturalium rerum ſcientiâ; illumque adeo uſu multum valere, ratione parum.

Quo me igitur animo esſe puteris, A.! cum varias disciplinae phyſicae partes docendo occupatus, ecce protinus ad profitendam, in hac inclytâ Academiâ, medicinam accedo. Nonne me audaciae reum facietis aut imprudentiae, qui ſic meas relinquens, alienas res agere videar? Ipſi estote iudices, A.! Abſolvetis autem, ſiquidem demonſtravero, non inutiliter medicum ſuam in contemplationem conſiderationemque naturae collocare operam. Quod equidem neſcio, an melius fiat, niſi collatâ recentiorum medicorum ratione cum antiquâ, quippe apud hos parum valuit naturalium rerum indagatio, apud illos plurimum. Ergo dicam: *de recentiori medicinâ, cum antiquâ comparatâ.*

Quo propoſito argumento, exiguas conſpiciens orationis copias, ne in tantâ doctisſimorum hominum celebritate deficiam, vehementer vereor. Quapropter Vos, quaeſo, A! timentem oratorem ſolitâ vestra benevolentiâ levetis, vestrumque in audiendo favorem, non meâ dicendi tenuitate, verum argumenti amplitudine metiamini.

Tria

Tria fere ad nostra usque tempora, humanitatis fasti permensi sunt aeva, quorum primum, quod antiquissimis continetur temporibus, expulsis Europâ, Barbarorum manu Musis, finem cepit, tertium memoriâ recentius, inque nostra adeo tempora porrectum, a renatis in Italiâ literis initium duxit. Medium his interpositum fuit aevum, quando altissimo sepulta somno iacuere humanitatis studia. Hoc, quod ipsi proprium dixisses, vix habuit. Quod enim in somniis fieri solet, ut varia rerum appareant simulacra, ex ante actae vitae memoriâ surgentia, aut nascentis diei stimulis exsuscitata, idem illud barbaris istis temporibus accidit, ut praeteritae futuraeque aetatis veluti imagines exhiberent. At reliqua duo, isto spatio a se invicem disiecta, non minus indole suâ separata sunt. Namque in illâ florentem videmus humani generis iuventutem, ingenii alacritate, tentandi audaciâ, ferventissimoque perficiendi ardore, quod experientiae deësset et labori, explentem; in hac virilem aetatem, viribus valentem, suscipiendo oneri cuivis parem, vitâ ante actâ

edoc-

edoctam, profpicientem futurae. In utroqne fuam, qui inclaruerunt, medicis rationem fuisfe, vix monitu opus est. Hanc igitur utramque fecum committamus, utriusque ut ingenium, fuis notis infignitum, clarius apparere posfit.

Quod in quacumque aliâ, id in medicâ quoque disciplinâ deprehendimus, duo praefertim esfe, quibus artis fcientia comprehendatur, in quibusque artificis cernatur opera. Unum est, ut certum et bene finitum, quem fibi proponat, habeat laboris finem, alterum ut viam modumque cognoscat, ad eum optime perveniendi. Ut itaque ad hanc rationem, utramque exigamus medicinam, videamus A.! quosnam antiqui medici fuorum fibi laborum pofuerint terminos. Atque hic C e l f u m audiamus, fanitatem aegris medicinam promittere dicentem; quo quidem effato adcuratam artis, quae tunc fuit, tradidit defcriptionem. Namque ea medicinae pars, quae fanorum curam, apud nos, fuscipit, illis admodum imperfecta exftitit. Apud H i p p o c r a t e m, fateor, Hippocraticosque auctores leguntur loca non pauca, quae de tuendâ fanitate egregia exhibent praecepta. Atqui haec fere funt eiusmodi, quae

quae morborum prophylaxin, corporis imbecillum ſpectent habitum, minus vero rationem tradunt integram vitam ita inſtituendi, ut quam diutisſime incolumis perſtet. Hoc quidem ſolus fere egisſe videtur poſt Asclepiadem Galenus, ſed ſuo more, doctrinae indulgens ſpeculationibus. Et, ſi vere dicam, maiorem corporis hac in re, antiquitus philoſophi curam habuere, quam ipſi medici. Quod Pythagorica placita, ſcriptaque Platonis et Ariſtotelis (ut alios mittam) docere posſint.

Quodſi disperſis per antiquorum volumina de tuendâ ſanitate ſententiis egregios committamus recentiorum labores, quibus hunc artis medicae locum collustrarunt, verisſime Gaubium dixisſe putemus, quando ampliatam nobis medicinam, erga ſanos quoque beneficam, pronuntiavit. Frustra enim in totâ antiquitate tam abſolutum in hac doctrinâ opus quaeras, quam quod non ita pridem Hufelandii, quodque nuperrime adeo Sinclairii protulit diligentia.

At vero hic mihi, iſta tam fidenter praedicanti non pauci, antiquam docti rationem, ſe opponere videntur. Nempe mirabundi rogant: Quid? Illine igitur Graeci atque Romani ſanitatis cu-

ram

ram neglexere, quibus ſua corpora, balneis, frictionibus, exercitiis imprimis gymnasticis, ſirmare tam ſolenne esſet? Fuisſe, quis inprudens negarit? At longe alio id illos inſtituto egisſe, neminem, non penitus indoctum, fugere opinor. Nimirum ea faciebant omnino ad corporis cultum, liberalemque inſtitutionem, minime vero ad medicam ipſius curam. Quapropter istis antiqui diu uſi fuerunt populi, antequam medicorum obligari legibus didicisſent. Quodſi Hippocrates, de hisce plurima edidit praecepta, non ideo fecisſe arbitror, quia in hisce magnum ſecundae valetudinis poneret praeſidium, verum quia multum inde malorum genus videret laete pullulare (*).

Neque eo tantum, quod ſanorum quoque ſuscipiat curam, recentior medicina ab antiquâ recedit, verum in aliis inſuper artis protulit fines. Quot matres, felici prole beatae, nostrae artis laudant auxilium, quod prisci aevi matronae frustra implorasſent! Quibus inops adſtaret Lucina, alienam a ſacris ſuis opem ſtulte removens. Iam vero meliora ſapiens, ipſa doctam Chi-

(*) Conf. v. c. Aphor. I. 3.

Chirurgi manum exposcit, quae ſalutari munita ferro, exitu haerentem infantem, illaeſis matris visceribus, vivum in lucem protrahat. Quodſi recentiorum industria antiquis artis terminis praeterea adiecisſet nihil, quis vestrum, A.! de humanitate illos praeclare esſe meritos, non existimet?

Verum alia addidit. Antiqua enim medicina integrum artis fructum in privatos convertens uſus, publicae utilitatis vix ullam habuit rationem. Haec vero nostra populorum quoque ſanitati praeesſe coepit, iudicique adſtare, hominum crimina iudicanti. Ut adeo huius providentiâ, ab omni parte immunes, interque tot nefariorum hominum veneficia, tuti vivamus.

Videtis, A.! nostrae medicinae multo ampliorem esſe quam antiquae, finem, eamque adeo humanitati uberiores promittere fructus. Verum in his ſubſistere nequimus. Est enim cuiuscumque artificis, quod efficiendum ſibi ſumat artificii claram et bene finitam, ante oculos, ſibi ponere imaginem. Quo enim quis collineandum ſcopum melius oculis uſurpaverit, eo ipſi illum tutius ferire continget. Qua in re, antiquis non omnibus eadem fuit ratio. Alii enim, uſu ex-

pe-

perimentisque, artis acquiri ſcientiam contenderunt, nihilque ad medicinam de naturalibus corporis actionibus, deque abditis ſanitatis morborumque cauſis quaestiones pertinere, disputarunt. Alii, contrario prorſus inſtituto, in haec omnia inquiſiverunt. Neque enim quemquam feliciter curaturum, niſi quem prima morbi origo non feſellerit. Morborum itaque cauſas cum evidentes, tum maxime abditas ſedulo perſcrutati fuerunt. Quas ut melius intelligerent, multa a ſapientiae profesſoribus mutuati, rerum ortus, ingenia, mutuasque necesſitudines, cogitatione asſequi conati ſunt. Cumque dolores aliaeque adfectiones interiores maxime occupent partes, corpora mortuorum incidere, partium ut colores, figuras, nexusque contemplari posſint, utile habuerunt. Naturalium inſuper, quibus ſanitas conſtet, actionum notitiam addiderunt, multumque de modo et ratione, qua quaeque corporis pars agat, nocentibusque rerum potestatibus adficiatur, philoſophati ſunt. Quod tamen fere omnes admodum inepte egerunt, interque hos hujus rationis princeps G a l e n u s. Etenim hicce Aristotelicam de quatuor elementis doctrinam, ad mor-

morborum ortus, curſus, eventusque intelligendos, remediorumque efficaciam aestimandam, audacius adhibuit. Quapropter quantum eius laboribus aucta est phyſiologica corporis humani conſideratio, tantum ipſa impedita fuit ars medendi.

Si autem utramque horum rationem merito improbamus, qui ſolâ memoriâ, quique ſolâ ratione, artis acquiri ſcientiam contendunt, tertiam tanto maiori laude dignam habebimus, quae Hippocratem habuit auctorem. Hic quam longo uſu, perpetuâque aegrotantium tractatione, ſibi acquiſierat rei medicae peritiam, naturae contemplatione et conſideratione, egregie auxit emendavitque. Ne audiamus, A.! istos divi ſenis laudatores, qui ipſum, omni doctrinâ deſtitutum, divino quodam adflatum Numine, febres atque ulcera agitasſe, inepte gloriantur. Quid? Heracliti discipulus, ſummique Democriti familiaris, ut rudis opifex, aliorum tantum artem imitando valuit? Quid? qui obſcuras naturae voces, ad aegrotantium lectos, pene divinaret, operantemque eam, mirabili arte, ſequeretur, penitus ab eius cognitione remotus [illegible] fuit?

fuit? Ergo Platonis capiet veneres, Graeca vix doctus!

Haec reputanti, antiquorum merita in proferendis artis finibus, abunde apparere posſint, atque egregie agi cum recentioribus videatur, ſiquidem eâdem ſolertiâ, in hoc opere verſati fuerint Quis in obſervandis aegris, ingenii acumine Hippocratem; quis in extricandis rerum naturis, doctrinae copiâ, Galenum vincat? Quis, inquam, recentiorum? — At hi nihil actum existimantes, quamdiu aliquod ſpatii relictum foret, iis virtutibus, non modo antiquos attigerunt, verum etiam post ſe reliquerunt? Testor morborum epidemicorum deſcriptiones, a Sydenhamo exaratas, quas nemo rerum abundantiâ, aut narrationis veritate, Hippocraticis cedere dicat. Testor innumera, ad cognoscendam humanam naturam, ingenioſe admodum excogitata experimenta; inventum ab Harvaeo ſanguinis curſum, detectas, deſcriptasque ab Hallero, Doevereno, vestroque adeo Geunſio vitae corporeae leges; dilucide explicitam, ac penitus ad naturae vocem, Chemicorum laboribus, reſpirationis vim atque efficaciam. Quid

mul-

multa? Quando plurima enumeranti plura etiam dicenda manent (*). Unum non dixisse, religio sit. Egregium summi Boerhaavii volo totque aliorum institutum, quo integram medicam artem, immensâ inventorum copiâ auctam, continuo doctrinae corpore complexi sunt, omnesque medicae disciplinae partes, ordine ita disposuerunt, ut a quovis, non penitus indocto, facile accipi, intelligique possint. Et profecto, si pleraque recentioris medicinae capita cum antiquâ componamus, protinus apparet, quae hisce tantum per coniecturam assequi licebat, ea nos scientiâ tenere. Ut adeo artis finem habeamus, plenâ luce collustratum, quando illi habebant diluculo apparentem. Unde etiam factum est, ut qui ratione Hippocraticâ artem, inter nos, faciant, ipsique adeo empirici recentiores, ratiocinii evidentiâ capti, ab ipsis rationalibus medicis non longe distent, cum antiquitus illis, e contrario, oppositi essent.

Sed videndum est etiam de viâ ac ratione, qua

(*) Conf. G. van Doeveren V. Cl. oratio, *de recentiorum inventis, medicinam hodiernam veteri praestantiorem reddentibus*, L. B. 1771. 4°.

qua utriusque aevi medici quem ſibi propo-nerent, laboris finem attingere conati ſunt. Cum itaque ſanitatis conſervatio alimenta, atque aequabilem inſuper aliarum rerum in corpus humanum, huiusque in illa actionem; morbi vero in ſanitatem mutatio efficax remedium poscat, eorum omnium ingenia, virtutesque, maxime vim, atque actionem in hoc corpus perſpiciat medicus, oportet. Quod quidem antiqui obſervatione egere, et ratiocinio. Obſervando didicerunt, quid quaeque res ad corporis habitum aut ſervandum aut mutandum faciat, hincque edocti, in conſimili caſu, ſimilia aut dederunt, aut dari vetuerunt. Ratiocinio fere uſi ſunt coniecturali, multa a ſapientiae profesſoribus mutuati, qui vero ipſi, nugis refertâ, id temporis, fabulisque Historiâ naturali, ſilente Chemiâ, vix boni quidquam dare poterant. Ad fictitia igitur rerum omnium, et corporis adeo humani principia cuncta revocarunt, humido ſiccum, frigidoque calidum reſpondere autumantes. Eâdem ratione in ceteris verſati ſunt. Curta iis fuit ad ſanandum ſupellex, quam in tres partes distribuerunt, adverſae valetudinis praeſidia ex alimentis, pharmacisve

ſu-

ſumentes, vel tandem ab ipſâ petentes medici manu. Et optimi quidem artis magiſtri, Hippocratem ſecuti, maxime nutriendo aegro, aut extenuando, dein corporis frictionibus, exercitatione gymnasticâ, balneis, atque eiusmodi aegrotos curabant, pharmacis quidem rarius uſi; qui vero uterentur, talia plerumque ſeligebant, quae drasticâ potestate corpus vehementisſime moverent. Sique ferrum manu corpori admoveretur, id plerumque rudius erat, neque ad teneras huius compages accommodatum. Deinde ex ignoratis partium figurâ, ſitu, nexuque timidi ſaepe ac titubantes, in curando, incedebant; ſique audaciores esſent, eâdem de cauſâ, nimis crudeliter ſaeviebant, imo nocebant. Nec tamen prorſus indoctam ipſis fuisſe manum intelligamus, ut potius nonnunquam digitorum dexteritate, ingeniique acie, crasſum et hebes inſtrumentum corrigentes, graves morbos feliciter ſint medicati.

In hisce autem omnibus, A.! recentiores longe aliter egerunt. Nam primum quidem alimentis, et aptâ corporis tractatione, morbis mederi fere ſemper nimis neglexerunt, plus praeſidii in remediis ponentes. At penitus inepte; magnum

enim artis auxilium, maxime in morbis longis, ita ſublatum fuisſe, omnes rerum gnari uno confitentur ore, omnes dolent. Pharmacorum vero historiam eo maiori diligentiâ proſequuti ſunt. Magno medicamentorum numero materiem medicam auxerunt, aliisque ſuperſtitioſis et vanis purgarunt. Arte Chemicâ edocti, e crasſis lignis, radicibus, aliisque plantarum partibus vires ac virtutes elicuerunt, inque parvum compinxerunt volumen: eque metallis penitus nova, et viribus maxime valentia remedia compararunt. Dein eorum omnium, quae natura offert, vel quae arte fiunt, diiudicare bonitatem didicerunt. Denique numeroſis experimentis, actionem atque efficaciam in corpus humanum mutandum explorarunt, eâque id prudentiâ et ſagacitate, ut iam nullum inveniatur venenum, quod non olim laboranti aegro ſalutem, vel ſaltim dolorum attulerit lenimen.

In augendâ autem emendandâque ſupellectili Chirurgicâ, magnam praeſertim conſpicimus recentiorum industriam. Videatis, A.! quam amplum habeamus, ſi ferro opus ſit, inſtrumentum! Quantâ ſcientiâ, quantâque elegantiâ elaboratum! Quam fidenter id corpori admove-

mus!

mus! Quam tuto in ipſa viscera demittimus; figurâ, compoſitione, magnitudine, acie, partium fabricae, fibrarumque teneritati penitus reſpondentibus. Nulla non corporis pars, quin ſuum hic inveniat auxilium. Quot, quamque ingenioſe excogitata unus oculus ad morbos ſuos curandos habet!

Hisce intellectis, paremne habebimus hanc nostram medicinam antiquae? — Quid? nonne auctam dicemus, purgatam, emendatam?

Neque tamen his, de quibus hucusque diximus, medicam artem abſolvi ſciamus, nec qui utrumque corporis habitum ſcientiâ comprehendat, utriusque valetudinis praeſidia cognoscat, proinde medicum habeamus. Etenim, cum medici officium in opere verſetur; ille autem, in artis exercitio, in communibus ſubſistere non poſſit, verum ad propria descendere debeat, quam ſibi comparaverit doctrinam ſemper paratam habeat, oportet, uſuque artem calleat, ſingulas ſingulorum adfectiones ſolerter ſciteque curandi.

Qua quidem in re quanti fuere antiqui! Nempe

pe tribus maxime artificis ad aegrotantium lectos absolvitur opera, praesentem aegri statum diiudicando, futurum praesagiendo, denique curando, artisque subsidiis efficiendo, ut, quae mala futura intellexerit, avertat, bona promoveat. In hisce igitur tribus quantum excelluere veteres! Docent morborum imagines, ab Hippocrate, Aretaeo, Galeno, arte penitus mirabili, ad ipsam naturam depictae. Docent divina prorsus praesagia, eventu nunquam excidentia, Hippocratis quibus inclaruit nomen. Docent curationes, ad simplicissimas et maxime evidentes regulas exactae, paucisque adeo et incertis subsidiis certae, inque difficillimis rebus paratae opes; tanta denique in operando facilitas, ut intelligens quaeras, natura fieret an arte? Atque hanc antiquam medicinam non suspiciant omnes, non admirentur! Nemo vestrum profecto, in hisce rebus aliquantum versatus, non felices, fortunatosque medicos dicat recentiores, siquidem, passibus etiam iniquis, antiquorum in hisce premant vestigia.

Illine igitur id egerunt? Egerunt A.! et quo successu, magna Sydenhami, Baglivii, Boerhaavii, Hoffmanni nomina declarent.

rent. Hisce enim, si opus fuerit, abunde patere possit, neque hac laudis parte penitus carere recentiores. Rari, fateor, fuere medici antiquis, modo excitatis, aequiparandi. Sed rarum quoque, in ipsâ adeo antiquitate, magnorum medicorum fuisse proventum, Vos, A.! latere non potest, qui de hac re dicentem audivistis Dylium olim vestrum, eruditissimum virum, quemque huic academiae ostensum magis, quam datum, quantum, eheu, luxere Musae! — Atque ille quidem rarum istum proventum arti sufficere docuit, humano generi non sufficere, experientia docet. Huius itaque magni interest, quomodo vulgo se habeant medici. Quod quidem, ad discendam non solum, verum ad faciendam quoque artem longe melius erudiri et aptari, recentiori, quam antiquâ ratione, vix dubium superest. Antiqui enim medici praesertim ingenio valebant, solertiâ, atque eiusmodi animi dotibus, quibus raro instructos videmus homines, quique iis carerent, coeco usu, a sacerdotibus artem plerumque edocti, superstitiosis remediis, incantamentis, atque aliis eiusmodi modis, morbis medebantur. Recentiores vero praesertim earum rerum valent notitiâ, quae sensibus capiuntur, auctâque inde

doc-

doctrinae copiâ, et naturae ſcrutatione firmato ratiocinio. Quae omnia omnibus, qui quidem vulgari ſenſu non carent, diligentiâ et labore, non difficulter comparantur. Illis igitur ſi magis admirabilis fuit ars, atque ingenioſa, his, ampliori perfectiorique ſupellectili inſtructis, certior eſt, atque efficacior.

Qua inſtitutâ utriusque medicinae comparatione, ſatis utique apparet, utramque, multis modis, convenire, antiquam mirabili artificum ingenio praeſtare, recentiorem vero, disciplinae ambitu, clarâ cognoscendarum rerum notitiâ, certâque agendi facilitate multum excellere. — Quae cum ita ſint, illius diverſitatis cauſas explorare et rationes, operae pretium fuerit.

De praecipuis igitur quaerenti cauſis, quibus utriusque medicinae diverſum ingenium exiſtit, inprimis disparem admodum offendemus, in antiquâ Graeciâ et in Europâ recentiori, populorum cultum. Quem quidem apud illos, rem ſi propius conſpicias, exiguum fuiſſe, ex multis intelligimus. Fabulis plena

na de Diis doctrina, ſuperſtitionibus foedata Deorum ſacra, porro a religione eiusque caerimoniis ſeparata, aque vulgo remota morum disciplina. Nam ne post ipſum quidem Socratem univerſam fuisſe ſapientiam, deprehendimus. Inde ſuperſtitioſus populus, miraculisque inhians, ſervili fere ingenio, non moribus, ſed opinione regebatur. Servis etiam ingenui educati pueri, ſaepe malitioſis et vafris, malas artes docebantur, aegre dein dediscendas. Quibus vero bene natis, doctrinâ rectique cultu, vires promotae inſitae, roborataque esſent pectora, illi ſe fere omnes reipublicae tradebant. Philoſophicis etiam ſtudiis, bonisque artibus inſtrui ſe curabant, ad vitam ornandam magis, quam ut popularibus honeste ſervirent. Quapropter ſapientum vita, in contemplando magis, quam in agendo verſabatur. Erant itaque illi, ad accipiendam et colendam medicam artem, minus idonei. Haec enim non ab iis, qui literato delectentur otio, multoque minus ab istis, qui nullâ imbuti ſint rerum cognitione, recte colitur, neque etiam inter homines, fabulis ſuperſtitionibusque deditos utiliter exercetur. Nam vel apud nos, rustici et reliqua plebs (utinam non inge-

nuo

nuo nati loco!) raro rationali medico tam credunt, quam magicis vani agyrtae incantamentis, herbisque.

Accedit, quod apud Graecos et Romanos, quin imo apud omnes fere antiquitatis populos, aegrorum curatio ad Deorum ſacra, caeremoniasque, tantum non omnis pertineret, eorumque ad templa ſacerdotibus exerceretur. Hi vero, crebrâ licet obſervatione, perductisque a patre ad filium praeſcriptionibus, morborum remedia, corporisque aegri tractationem belle edocti, ea primo quidem non evulgabant, dein, neminem ſine magno ſacrificiorum lustrationumque ritu, ad curam admittebant, quae quaſi a Diis profecta esſet, oraculis editis. atque eiusmodi ſacris videretur. Inde aegri, religione Dei, quam ſalutem humanae deberent arti, ſacris ſe debere caerimoniis credebant. Quamvis autem postea, praeſertim ab Hippocratis aetate, Aesculapii ſacerdotes, ſive Asclepiadei, ſacram artem profanos docuerunt, indeque ad alios quoque homines, liberaliori inſtituto, artis ſalutaris ſcientia pertinuit; florentisſimâ tamen Graeciâ, medicorum ſcholae numquam non in Deorum fuerunt templis. Ad haec et privati

vati ſuae, et qui rempublicam curarent, publicae ſalutis cauſâ, ſemper recurrebant. Qui autem profani artem facerent, ad magiſtrorum praeſcriptiones ſerviliter curantes, opifices potius erant habendi, quam artifices. Neque inter liberales artes medicinae locum fuiſſe, conſtat.

Quae cum ita ſint, quis veſtrûm, A.! tam raram antiquitus fuiſſe rationalem medicinam, tamque ſobrie cultam, miretur? Quae autem de Graecorum arte dicta ſunt, magis etiam de eâdem, apud alios antiquitatis populos, nominatim apud Romanos, valent. Huic vero vitae inſtitutioni noſtram penitus eſſe contrariam, quis non novit? aptiorem medicinae eſſe, cuivis ſponte patere poſſit. Sanior nempe de Deo, divinisque rebus doctrina, a Christi diſcipulis pervulgata; emendati mores, ad Deique cultum relati; infima ſervorum conditio ubivis abrogata; popularis omnino factus animi cultus; ipſis denique medicis, per totam Europam, apertae ſcholae, eaeque ab omni deorum religione liberae, — en A.! recentiorum et quanta auxilia, per quae nobis ſalutaris profeſſio increvit.

Quae tamen an ad illud, quo eam nunc contem-

templamur, fastigium pervenisset, nisi recentioribus physicae tantopere cultae fuisſent disciplinae, equidem dubitaverim. Vosque adeo, A.! facile in eandem abituros ſententiam confido, ſiquidem quantum naturalium rerum ſcrutatione, medici medicinae aptiores reddantur, paucis ostendero.

Equidem ad ipſas curandi rationes, bene inveniendas, instituendasque, nihil plus conferre, experientiâ fateor, parumque artem ex iis, quae non ſcientiâ comprehendantur, ſed coniecturâ tantum attinguntur, perfici, ſcio; quandoquidem cuius rei certa non est notitia, eius opinio certum reperire remedium non potest. Verum eo ipſo, certa rerum notitia quanti aestimanda ſit, apparet. Hanc vero quî tibi comparabis, niſi diligenti atque ingenioſâ naturae exploratione? Quî morborum ſedes cognoscas, niſi inciſis morbo mortuorum cadaveribus? Quî origines, cauſasque intelligas, phyſicorum et chemicorum ignorans experimenta, per quae partium principiorumque, unde conflatum corpus, ingenia mutuaeque necesſitudines declarentur? Quî tandem remediorum diiudicabis vires, aestimabis bonitatem, niſi ex historiâ

na-

naturali, adiuvantibus ceteris disciplinae physicae partibus, ſcias, quid ſint, unde habeantur, quibus cognoscantur notis, quâve ratione bene vel male misceantur?

Ulterius progrediamur, ipſos adeamus aegros: Illine medicorum ſemper operâ reſtituuntur? Nonne aneurysmati medelam, ex cognitis circulationis legibus, invenerunt anatomici? Nonne ingenioſe excogitatis fasciis, machinisque, corporis corrigunt deformitatem, imbecillas fulciunt partes, imo amisſas reſtituunt mechanici? Nonne ad laborantes oculos auresque, ſubſidia alii praeſtant phyſici? Nonne certisſimum, ad teterrimam luem, remedium Chemici? Nonne hi, ſuis miscellis, pestem domibus arcent? Tot ſunt voces A.! quae nos docent, quandoquidem ratione opus est medicinae, eam e phyſicorum esſe petendam ſcholis, in iisque futuros erudiendos medicos.

Hisce igitur artibus, prae antiquis, recentiores valere, doctrinarum naturalium annales luculenter ostendunt. Pulcri amore abrepti, Graeci non iis ſe tradere poterant laboribus, quos naturae exigit exploratio. Divinare eius mysteria ingenii felicitate, quam longo experimentorum apparatu interrogare eam, ſatius

ha-

habebant. Speculabantur hoc rerum universum, singularum partium parum solliciti. Miremur, si apud illos, venustatis elegantiaeque adeo studiosissimos, neglectam videmus artium certe omnium maxime incomtam, Chemiam? Qua tamen neglectâ, praecipua ipsis clausa mansit, quae nobis aperta est naturae cognoscendae via. Quodque medicinae incrementis praesertim obesset, mortuorum incidere corpora, ipsis erga hos negavit pietas. Inde doctrinam de humani corporis fabricâ, erroribus habebant refertam, quibus incredibile est, quantum ipsa impediebatur ars medendi.

Neque tamen velim, A.! hoc ita accipiatis, ac si omnem naturae investigationem ab illis neglectam habeam. Magnos historia memorat viros, qui arte pollebant per experimentorum vim naturam interrogandi; ut Democritus fecit, ut immortalis Archimedes, ut, post magnum tempus interiectum, in scholâ Alexandrinâ, instituere plurimi. Sed vel ex his quoque, quantum naturae contemplatio medicum iuvet, apparet. Quo tempore enim, Alexandriae, philosophia naturalis adeo excolebatur, laete etiam medica floriut ars.

Ma-

Maxime haec increvit per viros, eâ in scholâ eruditos, Erasistratum, Asclepiadem, perque ipsum denique Galenum, omnium, qui rationalem medicinam, in antiquitate coluerint, facile principem. Atque huic ipsi viro tanta fuit in describendo corpore sano, morbisque eodem adfecto, fides, ut, quod neque Hippocrati, neque alii cuivis medicorum evenit, ab eius auctoritate, per plura saecula, medici pependerint. Fractam eius auctoritatem novimus; sed unde fracta? Inde, A.! quod cum sagax et diligens fuisset naturae scrutator, sagaciores et diligentiores, post se habuerit, maxime autem Vesalium atque Harvaeum, qui, religionis vinculis, quibus ligatus esset Galenus, liberi, illo audacius intima naturae penetralia sunt rimati, reconditamque veritatem in plenam traxerunt lucem.

Si iam, A.! animo reputetis, quae de caussis diversae a se invicem utriusque medicinae disputavi; neminem vestrûm, tantopere illas differre, miraturum amplius opinor, neminemque tanto antiquitatis studio abreptum iri,

ut

ut multis in rebus, nostram prae antiquâ valere neget. Quis non gratus agnoscat, felicia nos vivere, fortunataque tempora, cum ex multiplici medicorum et physicorum commercio, rationalem magis, multoque certiorem atque faciliorem habemus artem.

At vero hic non pauci aures arrigere mihi videntur, quasi subito expergefacti. Sentio, invisae audierunt *rationalis* medicinae laudationem. Illi igitur assurgere, atque acerbe increpare. Quid tu? tace, si sapis, istam rationalem medicinam! Quid ad nos medicos disciplinae physicae? B a g l i v i u m habemus auctorem, nihil tam iniquum esse dicentem, quam ad aliarum doctrinarum leges, morborum historias describere; habemus H i p p o c r a t e m, auctoritate cuius omnes, qui sanae mentis sunt, ducuntur. Atqui ille, istarum quidem nugarum ignarus, an eo minus feliciter salutarem artem condidit? Quis accuratius protheas morborum observavit mutationes? quis felicius eventum praesagivit? quis exiguis praesidiis melius curavit? Hunc tu audi et sequere unum; aut, si quid

quid praeſtare velis, ex laudatâ tibi recentiorum ratione, ostende, quem cum hoc nostro committas.

Ad tantum verborum flumen quam facilis reſponſio! Non diximus de Hippocrate; de medicinâ antiquâ diximus. Hippocratem artis auctorem et nos laudamus; antiquam medicinam habemus tanto auctore prorſus indignam. Vultisne rationem ut addam? Addam; nempe nec ſua tempora arti idonea invenit, neque artem ſuo ingenio. Ut Iovem fingere posſet Phidias, dignum lapidem, magno ſtudio, quaeſivit; neque enim ex ineptâ materiâ aptum artificium vel ſummus ponat artifex. Ergo quam emendare fruſtra geſtiret, imperfectam reliquit artem Hippocrates.

Et profecto, meliorem hanc multoque perfectiorem relicturum fuisſe, ſi rerum naturalium notitia, eo tempore, maior fuisſet, ex ipſâ medicinae hiſtoriâ perſuaſum habemus; vobisque adeo A.! non difficulter perſuaſurum me esſe, confidere audeo. Etenim, ſi qua vixit Divus Cous aetatem cum eâ conferamus, qua, apud nos, Boerhaavius floruit, qui recentioris medicinae, merito ſuo, princeps atque

adeo parens habetur; vel ſtupidisſimo cuique apparebit, naturae contemplationem, quamvis non faciat medicum, aptiorem tamen medicinae reddere. Uterque, Hippocrates et Boerhaavius, in florentisſimâ civitate vixit, ſummamque in eâ celebritatem conſequutus, ſummis honoribus adfectus est. Uterque egregios habuit aequales, doctrinae copiâ, ingeniique acumine claros. Uterque artem invenit rudem, incomtam, hiatibus plenam. Uterque emendavit, atque ita emendavit, ut populus emendatam ſentiret. Uterque tandem discipulos nactus est, ſuo nomine non indignos. At hic, temporis iniuriâ, longe deteriore ſorte uſus Hippocrates, quam Boerhaavius, tales habuit, qui opinionibus ſe magis, quam experientiae et naturae explorationi traderent: unde factum est, ut quam emendasſet artem, mox iterum nugarum ſordibus conſpurcata appareret. Erat autem, iis temporibus, exigua rerum naturalium notitia, ipſique ſapientiae profesſores, ipſarum cauſas et rationes magis coniecturâ perſequebantur, quam ſcientiâ tenebant. At Boerhaavius eximiorum, quos aequales haberet, naturae ſcrutatorum inventis, ſuisque propriis edoc-

tus,

tus, atque a physicis medici institutionem inci-
piens, ita suos informavit discipulos, ut qui
eius scholis eruditi essent medici, rerum natu-
rae cognitione non minus valerent, quam artis
usu. Illi igitur nominis famâ praeceptori fere
pares, perque omnem Europam dispersi,
scriptis suis et scholis, addendam experientiae ra-
tionem docuerunt, artemque, ita faciendo, con-
diderunt vere salutarem.

Quo ergo iam animo me esse oporteat, ipsi es-
tote iudices, A.! cum in tantâ doctissimorum ho-
minum celebritate, tam praeclaram artem docendi
munus ingressurus, ei, praecedentibus studiis,
non modo non ineptum redditum, verum aptio-
rem me videam. Quapropter omnes intendam
nervos, ut meâ qualicunque operâ, aliquid prae-
stem ad hanc Batavis gloriam, B o e r h a a v i i
meritis partam, vindicandam.

Hoc V o b i s inprimis polliceor, amplissimi
Academiae huius Curatores! V o b i s, quorum
auspiciis, Regio placito, mihi impositum munus
me gesturum, laetor. Huc, fateor, moestus
veni, propter relictam gratissimam mihi Har-

dervicenam urbem (quis enim non moenia amet, in quibus literis erudiri contigit!), moestus propter carissimas necessitudines, ibi linquendas, timidus etiam pavidusque, variis de caussis, quas hoc quidem loco memorare nefas. At Vos, Vobis novum atque incognitum hominem tantâ benevolentiâ, tantâque excepistis humanitate, ut, ecce, iam alacer ad novum onus subeundum, accedam. Eo ut semper erga me sitis animo, Vos, viri gravissimi! oro atque obtestor. Meum erit, Academiae huius famam vindicando, studiosaeque iuventutis commodis inserviendo, Vestrum demereri favorem. Mihi autem faventem existimabo Deum, siquidem Vos, viri magnifici! Academiae, Patriae, familiaribus vestris, nobismet demum ipsis quam diutissime incolumes praestat.

Quod optimis modo Maecenatibus, id Vobis etiam polliceor, viri clarissimi, collegae coniunctissimi! omnibus me adnisurum viribus, ne quam Vos ornatis, Academiae ego dedecori fiam: nam vel sic me Vobis quam maxime gratum futurum atque acceptum, certus scio; Vobis autem quam acceptissimum esse, in summis votis semper habebo. Tibi praefer-

fertim, dilectisfime Oordti, vir doctrinae laude non minus, quam morum integritate atque humanitate infignis, cuius innumera amicitiae monumenta, dulci affinitatis vinculo gratiora, nunquam obliviscar, quem utinam vitae ducem, in amplisfimo hoc ordine, diu confpiciam! Vos ergo omnes, celeberrimi viri! qua estis humanitate, amice novum accipiatis collegam, iis quidem, quibus vita fuavior ducitur, artibus haud inftructum, qui vero vestra fuspiciens merita, Vos, qua par est obfervantiâ, colet femper.

Vos inprimis, qui celeberrimum medicorum ordinem ornatis, viri artis ufu et fcientiâ confpicui, quis ego, qui muneris ratione Vobis iunctus, Vobis me parem fistam? Equidem tuam, Bleulande! famam meritis partam, raramque Suermanni dexteritatem, et Wolterbeekii eruditionem, inque extricandis morbis fagacitatem confpiciens, vix amplius quid promittere audeo, quam me vestra vestigia, presfis pasfibus, fecuturum.

Tibi id me debere fentio, cl. de Fremery! ut ad aliquam faltim nominis celebritatem comparandam, intentis adnitar viribus; tibi, a cu-

cuius ore discipulus haesi, cuiusque uti etiam Reinwardtii mei institutione, quidquid in Chemicis possim, magnam partem accepi. Ignoscas, hac si utar opportunitate, ut gratissimum tibi animum, tuique observantissimum publice hic obtester. Tu, quaeso, praeclarâ tuâ institutione et copiosâ rerum cognitione, mihi (utinam per longum tempus!) placide adsis, ut quantum ex physicis disciplinis medico veniat auxilii, cunctis, ex nostro etiam exemplo, patere possit. Tibi autem, discipulus magistro, palam hic polliceor, me tuum, in erudiendâ iuventute, exemplum sequentem, illud summo opere curaturum, ne, meâ negligentiâ, tuae scholae fama detrimentum capiat.

Equidem, si hoc praestitero, Vobis, Ornatissimi Iuvenes! qui in hac celeberrimâ Academiâ medicinae operam datis, Vobis, inquam, me non defuturum confido. Quem in me doctorem habituri sitis, audire potuistis, non eum, qui examinandis aegris scribendisque formulis, artis acquiri putem scientiam, verum qui summorum naturae scrutatorum discipulus, futuros medicos in physicorum scholis erudiendos esse persuasum habeam. Id itaque inprimis agam,

ut

ut Vobis, quantum medicam artem naturalium rerum iuvet notitia, ostendam, idque nunc quidem libentius, quoniam me auditores nacturum esse, earum rerum non imperitos, intellexi. Agite igitur, praestantissimi iuvenes! quo iam incepistis ardore, quod reliquum est spatii, ulterius persequamini, meque, in eo cursu, accipiatis monitorem, instigatorem, et si velitis, ducem; accipiatis amicum, cui nihil potius sit, quam vestris inservire commodis. Faxit Deus, quem supplex precor, ut vestri meique labores salutari arti, huic Academiae, carissimae Patriae, universae demum humanitati utilissimi evadant!

D I X I.

THEODORI GERARDI VAN LIDTH DE JEUDE

ORATIO

DE

IOANNE SWAMMERDAMIO EGREGII HISTORIAE NATURALIS CULTORIS EXEMPLO,

PUBLICE HABITA

a. d. XXI. m. Ianuarii, a. CIↃIↃCCCXIX.

CUM EXTRAORDINARIAM HISTORIAE NATURALIS PROFESSIONEM AUSPICARETUR.



Academiae Rheno-Traiectinae Curatores, Viri Amplissimi Gravissimi!

Qui in Regno Belgico, in Regione aut in Urbe Traiectina, vel rebus publicis administrandis, vel iustitiae tuendae praeestis, Viri Nobilissimi, integerrimi!

Magnifice Academiae Rector!

Divinarum humanarumque disciplinarum Professores, Viri Clarissimi!

Sacrorum oraculorum Interpretes, doctissimi, plurimum venerandi!

QUARUMVIS ARTIUM ET DISCIPLINARUM DOCTORES ERUDITISSIMI!

ORNATISSIMA IUVENTUTIS CORONA, SPES PARENTUM, PATRIAE, HUMANITATIS!

QUOTQUOT TANDEM HUNC ARTUM PRAESENTIA VESTRA ORNATIS, CUIUSCUNQUE LOCI ET ORDINIS!

AUDITORES HUMANISSIMI!



Inter adminicula, quibus tardius ad disciplinas ingenium mirifice excitatur, illustrium in iis virorum exempla non ultimum obtinere locum, omnes agnoscunt. Nimirum compertis iis, quae qui ante nos fuerunt egerunt, ad similia, quin ad maiora etiam, perficienda excitamur; ut Themistocles olim, qui Miltiadis umbra exagitatum se aiebat, ut illum et actorum fama et meritis erga patriam aequaret. Neque enim quidquam bene natum aut docet magis aut iuvat, quam laudabilis illa aemulatio, qua ad sequendos non modo, verum etiam ad aequan-

quandos magnos quosque in arte viros incitamur.

Neque haec unica existit causa, cur in perscrutandis rebus tantopere iuvet, semper ante oculos eos sibi ponere, qui in arte quam exerceamus excelluerint; accedit enim singularis exempli vis, quia sic suscipiendi laboris egregios nanciscimur duces, qui monstrando, qua eundum sit, viam, impediunt, quo minus vagi erremus. Quid? quod suis ipsi erroribus nobis prosunt: nempe ita evitandos scopulos docemur, ut adeo quam illi cum magno industriae et temporis dispendio sibi compararint, eam nobis multo facilius et tutius comparemus scientiam.

Quae si consideraverimus A. A.! quid mirum, summos etiam et multifaria doctrina instructissimos viros, in iis, quae ab aliis inventa, sive inchoata fuerint, sive perfecta, cognoscendis non minus quam in ipsis rebus pervestigandis detentos fuisse? Quid mirum, eos saepe iusta admiratione abreptos, summa ope id egisse, ut illorum merita in clarissima ponerent luce, de sua non magis fama solliciti quam de aliena? Quid mirum, eos impen-

penſe laudasſe, quos et iucundisſimi laboris et comparatae doctrinae, ſaepe etiam acquiſitae celebritatis, auctores merito habebant?

Quae ſi de omnibus valent, qui ſcriptis ſuis et lucubrationibus humanum genus ſibi devincirint, quanto plus ea valere existimemus de iis, quibuscum nobis est patria communis? Quamvis enim qui litterarum ſtudio feruntur, ex quibuscunque demum nationibus orti, ſtudiorum vinculo coniungantur, ut unam veluti familiam faciant, negari tamen neque potest, neque etiam debet, gratisſimum nobis ſemper accidere, ſi inter artis, quam colimus, magistros ex nostratibus etiam magna nomina offendimus. Scilicet illorum gloriae ad nos quoque aliquam pertinere partem existimamus, et, quod illi perfecere, id nostras quoque vires non penitus ſuperaturum ſperamus. Equidem fateor, naturalium rerum contemplationem vel propterea mihi tam gratam ſemper exſtitisſe, quod in ea ex nostratibus tot tantosque viros non mediocriter verſatos fuisſe, eoque magnam ſibi nominis famam comparasſe viderem. Inter eos vero nescio, an non penitus excelluerit I o-annes Swammerdamius, cui equidem tum doc-

doctrinae, quam ſibi indeſeſſo labore compara-vit, copia, tum ingenii, quo immenſam illam copiam digesſit et in ſuos aliorumque uſus ad-hibuit, acumine, parem vix invenio.

Cum igitur mihi hac hora disciplinae, in qua ille tam egregium ſe praeſtitit, docendae, publica oratione ingrediendum ſit munus, et apud vos quidem, quorum animis non minorem patriae quam bonarum artium amorem ineſſe confido, non plane aut ineptam mihi aut ingra-tam vobis dicendi fore materiem iudicavi, ſi-quidem dicam *de Ioanne Swammerdamio, egre-gii Historiae naturalis cultoris exemplo.*

Dum vero ad hoc argumentum exponendum accedo, ne in ipſo orationis limine tenues mihi deficiant vires, vehementer vereor; veſtra ſal-tim A. A. et patientia in audiendo et benevo-lentia in iudicando me magnopere indigere, probe ſentio. Quapropter A. A.! tenuem Ora-torem, non proprio marte ſed ſub gravisſimis auſpiciis ad vos verba facientem, ea, quae litte-ratis hominibus propria eſt, indulgentia ut au-diatis, etiam atque etiam rogo.

Il-

Illos ad naturalium rerum cognitionem felicissime pervenire certum est, qui ex celebri Baconis monito „ non fingunt aut excogitant, sed invenire conantur quid Natura faciat aut ferat". Cum autem nostrae contemplationi res sponte sua raro se ita offerant, ut quae ad eas intelligendas faciant, a diligentissimo etiam observatore penitus lustrari possint, audacter interrogandam esse Naturam, atque experimentis sagaciter institutis cogendam ad ea patefacienda, quae recondita teneat, summi artis magistri exemplo suo docuerunt. Ita Naturam perscrutando augetur et stabilitur, quae placida primum contemplatione acquisita fuerat, scientia. Quapropter qui naturalium rerum accuratam sibi comparare velit notitiam, non modo promtus ad videndum, verum etiam ingeniosus ad investigandum sit oportet. At vero qui in hisce subsistit, quamvis egregie agat, non tamen omnem perfecisse rem credatur. Nimirum homini id a natura datum est, ut non modo varias res rerumque formas, similitudines et differentias sensibus animadvertere, nexus conjunctionesque perspicere, verum etiam horum omnium rationem aliquam et finem assequi cupiat.

piat. Addenda igitur Naturae contemplationi et perfcrutationi interpretatio quaedam eius et explicatio, fi perfecti Historiae naturalis cultoris effigiem depingere velimus.

Haec igitur cuncta in unum conveniebant Swammerdamium. Namque hic, iam a prima inde iuventute opportunitatem nactus contemplandi Naturae divitias, exinde earum infatiabilem haufisfe videtur cupidinem. Nempe patre natus pharmacopola Amftelaedamenfi, qui in congerendis rerum naturalium thefauris totus erat, in illis excutiendis, comparandis, ordinandis, et quae maxime memorabilia viderentur, notandis, perfcrutandisque vires fuas, admodum iuvenis, experiri coepit. Quibus deliciis captus et fummorum in fcientia naturali virorum, Harveii maxime et Graafii exemplo excitatus, aliorum Sylvii, Stenonis, Hornii familiaritate firmatus, Philofophiae naturali integram vitam confecravit, nullamque doctrinae partem penitus negligens, maxime tamen illum *Zoölogiae* locum, qui in minimorum animalculorum natura pervestiganda verfatur fumma industria pertractavit, a Plinio

nio doctus, nusquam magis quam in hisce minimis totam esse Naturam.

Unumquemque Naturae obſervatorem laudamus, A. A.! qui flagranti ardore in ſua ſtudia fertur, omnem captando occaſionem, qua vel minimam Naturae particulam conſiderare poſſit. Laudamus liberum ab omni opinione, quique ſolius veritatis amore ductus, ad hoc ſtudiorum genus accedat. Laudamus attentum, qui totus in iis obſervandis occupatus ſit. Laudamus tandem et accuratum, qui nihil negligat, ea etiam quae exigua videantur ſumma cura proſecutus. Quae igitur probati obſervatoris notae in Swammerdamio nostro quam egregie concinant, paucis videamus.

Quo eum fuisſe ardore putetis, qui ut amata perſequeretur ſtudia, honores opesque posthabuit, moroſum patrem tulit de quaeſtu faciendo quotidie increpantem, qui paterna domo exul, egenus adeo oberravit, ut naturales res doctior evaderet. Cum enim arti medicae operam dedisſet, non niſi vi cogi potuit, ut medicinam

nam aegris faciendo rem ſuam ageret, praxeos taedio et laboribus conſumtus, viresque fractus, ſanitatem non recuperavit, niſi genio indulgendo atque ad delicias ſuas, minimorum obſervationem, redeundo.

Quo eum fuisſe ardore putetis, qui Naturae cognoscendae deſiderium nec imbecilla corporis valetudine nec fanaticis tristisſimae mentis alucinationibus exſtingui pasſus ſit. Testatur ipſe, ſe ingentem, quem ſusceperat, in apes laborem, medios inter animi de aeterna ſalute ſolliciti angores, inter ſuſpiria et lacrymas, vix perficere potuisſe; vicisſe tamen rerum eiusmodi ardentem cupidinem. Nec mirum igitur, viro tam diverſis ſtudiis, tanquam maris fluctibus, quasſato, imbecillam fuisſe ſanitatem; mirum vero, eum nihilominus tanta et ſuscepisſe et perfecisſe.

Quo eum fuisſe ardore putetis, qui noctes impendit diesque, quaerendis, capiendis, indagandis animalculis, qui aërem, aquam, culta, inculta perſcrutabatur, ut ova, vermes, nymphas, papiliones, horumque nidos, alimenta, mores, copulas, morbos addisceret. Quam inuſitata patientia iis, integros dies, adſedit,

ut

ut ſingulis momentis notaret gradus mutationis. Quam incredibili ſedulitate, per integrum menſem, obſervandis, delineandis describendisque apum partibus occupatus fuit, adeo, ut in aprico ſole ad medium usque diem, capite ſudoribus madente, oculos videndo fatigaret, per reliquum diem perque noctem, mentem manusque agitaret, viſa et delineata accuratisſime describendo.

Qui nobiscum eximium, quo in ſtudia ſua ferebatur Swammerdamius, laudant ardorem, plurimi forſan eum non adeo ab omni opinione liberum aestiment, ut ſolius veritatis ſtudioſus Naturae lustraverit opera. Quippe plerosque ſuos ſuscepisſe illum labores dicunt, ut nihil non ex ovo fieri ostenderet, ut partium epigeneſin demonſtraret, ut aliorum errores carperet, in eos acerbius plerumque, quam quidem veri ſtudium ſinat, invectus. Iis vero qui ita iudicant ipſe reſpondeat Swammerdamius, ideo ſuis experimentis atque inde ductis ratiociniis niti ſe dicens, quoniam illa inter ſe adeo conſentiebant, neque alii quod ſolide opponerent, habebant; ſe ſi posthac obſervaverit quae ſuam ſententiam aut mutare, aut

etiam

etiam penitus evertere posſint, veritatis amore cum publico communicaturum esſe atque una in eum finem auxiliatrices eorum manus implorare, qui ſecum diligenter Philoſophiam experimentalem colant (*). Ita qui loquitur, dicendusne erit aut nominis fama aut opinionibus ductus? Num vero illi vitio vertendum, ſi ipſam Naturam interrogare ſolitus, eos non audiverit, qui ab experimentis imparatisſimi, non tam philoſophantur, quam ſophismis indulgent?

Quomodo autem, ſi opinionibus abripi ſe penitus pasſus fuisſet, tam attentus ea etiam conſiderasſet, quae nihil ad eas opiniones facerent? Neque enim ea tantum obſervavit, quae ad Inſectorum generationem eorumque varias mutationes pertinent, verum cetera quoque quaecumque eorum naturam illustrare posſent. Nullum ex hisce animalculis, quod quidem contemplatus est, obiter tantum conſideravit. Figuram corporis externam, partesque interiores, minutisſimas etiam, notavit, intes-

ti-

(*) *Historia Inſectorum generalis in praefatione auctoris.*

tina, ſpiracula, per quae aër decurrit, ſenſus organa, nervorum apparatum, musculos. Non minus quae vitae mores adtinent, ſive pastum quaerendi conficiendique modum, ſive propagandae ſpeciei rationem, ſive multiplicem ſobolis curam ſpectaveris, ſedulo animadvertit. Quibus factum fuit, ut plura, quae aliis neglecta ſint, primus obſervaverit, non modo in Inſectis, verum etiam in aliis animalibus, in ranis videlicet atque in piscibus. Qualia profecto non inventurus fuisſet niſi omnibus intentis mentis viribus, defixisque in ea, quibus ſe tradiderat.

Quomodo ſi revera opinionum commentis, non vero Naturae iudiciis adhaeſisſet, adeo accuratus fuisſet, ut quae ille vidit, ab aliis vix corrigi, aut augeri potuerint, adeo, ut quae de ranis ſcripſit, ab egregio in hisce Roeſelio penitus comprobata ſint, qui et ipſe Swammerdamii de Scarabaeo naſicorni historiam vix mutatam ſecutus est: quomodo tantam ipſius deſcriptiones meriturae fuisſent laudem, ut oculatus omnino Needhamius in deſcribenda ſepia declaraverit: ſiquidem nonnulla aliter habeat ac Swammerdamius, huic

huic potius quam ſibi habendam esſe fidem. Qualem A. A.! habebimus obſervatorem, de quo ipſi in eadem palaeſtra aemuli tam egregie iudicarint!

Quod autem modo diximus, raro interiore naturalium rerum cognitione quicquam valere, qui tantummodo Naturae obſervatorem agens, ad eam data opera perſcrutandam non accedat, haec Swammerdamii quoque nostri ſententia fuisſe videtur. Magnam enim vitae partem impendit excogitandis inſtituendisque variis experimentis et operationibus, quibus ad intelligenda mira Naturae opera duceretur. Qua in perſcrutatione Naturae quantum adhibuit ingenium in inveniendo! Quantum iudicium in discernendis probandisque iis, quaecunque invenisſet! Quam cauta argumentatione, ex probatis inventis ad explicandam rerum naturam accesſit!

Ingenium quidem et ſingularem prorſus ſollertiam ostendit in excogitando, comparando, et adhibendo illo apparatu, quo ad ſubtilisſima atque abditisſima Naturae opera pervestiganda

ute-

uteretur; nec minorem in iis artificiis, quibus quae invenisset, aliorum visui apertiora redderet; maximam autem in iis, quae summa arte praeparata, sed subito putredine peritura in longissimum tempus servaret. Ad subtiliorem minimorum animalculorum anatomen mensa utebatur, narrante Boerhaavio (*), aenea, artificiosissime duobus brachiis sursum deorsumque et ad latus mobilibus instructa, quorum uni id quod exploraret, alteri microscopium affigeretur, lentibus instructum, qui quod videndum esset ad iustam magnitudinem augerent. Forfices adhibebat praecipue, dein cultellos, lanceolas, stilos adeo exiles, ut ad cotem acui non potuerint, nisi adhibito microscopio; eos prehendendis, separandis, scindendisque tenuissimis Insectorum partibus, mirabili prorsus dexteritate, et suspensa manu admovebat. Eorundem intestina, vasa (incredibile dictu) aqua eluebat, aëre implebat, siccabat, quaeque visui nocerent, particulas, variis liquoribus menstruis oleo imprimis terebinthino solvebat, auferebat, alias nimis molles et fere diffluentes, ut fabrica, situs

(*) *Bibl. Nat. in vita auctoris.*

tus, nexusque melius pervestigari possent aceto indurabat; ad ea omnia subtilissimis siphonibus tubulisque usus, maxima etiam patientia, industria, dexteritate.

Atque ita maiorum quoque animalium et cadaveris adeo humani vasa et viscera cera condiendi, ipsorumque in situ nexuque naturali servandorum artem primus invenit, cuius artificii specimen uterum muliebrem ea methodo tractatum, applaudentibus omnibus earum rerum peritis, ad societatem regiam Londinensem diiudicandum misit (*). Ut obstupuerunt illi, ut admirati sunt egregiam summi anatomici sollertiam et sagacitatem! Atque hac quidem ratione ille plurima in variis animantibus aut detexit primus, aut iam antea inventa confirmavit. Valvulas in vasis lymphaticis detexit, intestinorum situm naturalem et curvaturas ostendit, partium naturalium internarum tum viri tum foeminae fabricam, Graafii aemulus, illustravit.

Quoniam vero satis perspiciebat noster, nemi-

(*) Vid. *Miraculum Naturae sive uteri muliebris fabrica etc.* edit. 4ta prodiit Lugd. Batav. 1707.

minem vel maxime diligentem ſibi relictum, ad maiora perficienda quicquam valere, nullaque re magis vel ſingulorum augeri ſcientiam, vel artis proferri terminos, quam mutuis hominum litteratorum amicitiis, ſtudiorumque conſortiis, magnorum ſui temporis virorum familiaritatem modeste et asſidue quaeſivit coluitque ſedulo. Et primum quidem in Gallia, ſub auſpiciis amplisſimi Thevenoti, multos doctrina excellentes viros, variis inſtitutis experimentis, ſive ad Inſectorum mutationes, ſive ad rem anatomicam pertinentibus, ſibi devinxit: adhibita pari in proponendo modestia, atque in inveniendo ſagacitate. Postea in urbem patriam redux, cum nonnullis medicis, rei naturalis atque anatomes ſtudioſisſimis, ſocietatem inivit, cuius lucubrationes dein etiam publici iuris factae ſunt (*). Habentur in hisce plurima quae Swammerdamio debentur, tum ad humani corporis historiam facientia nonnulla, tum plura quae ad intelligendam piscium fabricam et naturam iuvent, maxime ad cognoscenda ho-

(*) *Obſervationes anatomicae Collegii privati Amſtelodamenſis* Amſtelod. apud Casparum Commelinum. Anno 1666 et 1667.

horum intestina et viscera, quibus ciborum digestio perficitur. Qua de re nonnulla etiam addidit experimenta, quae imprimis ad bilis et succi pancreatici naturam intelligendam faciant. Qui Swammerdamii labores virum ostendunt, ad talia suscipienda et perficienda natum; quos sane quo minus spernamus, impedit Blumenbachii autoritas, eos in ceteris eiusmodi qui exstant summopere laudantis (*). Maximam vero tum in rebus investigandis industriam, tum praesertim in iis, quae invenisset, probandis exquisitum iudicium ostendit. Inanes, sed magnorum virorum auctoritate maxime firmatas de Insectorum metamorphosi opiniones ille, innumeris et cautissime institutis eorum sectionibus, emendavit et luculentissime, quî sensim sensimque ex verme (larvam naturalium rerum scriptores appellant) nympha, ex nympha perfectum animal fiat demonstravit. Mitto quae de ephemerae, de limacum, aliorumque animalculorum fabrica et functionibus accurate et ad rem apposite scripsit; magni quem in

(*) Blumenbach, *Handb. der Vergleichenden Anatomie*, Gött. 1805. pag. 175.

in describenda apum historia suscepit atque egregie perfecit laboris paulo pleniorem mentionem non fecisse nefas! Namque hic in tenui labor summus!

Quae eo tempore non satis distinguebantur, varias apum, crabronum, vesparumque species, ille melius separavit, tum externo corporis habitu accuratius descripto, tum praesertim internis partibus diligentissime exploratis. Eadem prorsus ratione differentiam inter mares apum faeminamque et operarias ostendit, has nullius esse sexus primus fere vidit, propius autem ipsas corporis fabrica ad foeminam accedere accurata partium anatome monstravit. Neque hisce contentus, integram huius animalculi historiam ab ovo repetiit, singulas mutationes, quae partibus internis externisque vario vitae tempore accidant, anatomica exploratione prosecutus. Atque ulterius etiam progressus est, variis saepiusque repetitis experimentis, alimenti quod e floribus herbisque petunt naturam, quamque in apis corpore subeat illud mutationem indagavit, aliaque plurima, maxime quae ad alvearis constructionem et novae sobolis nutritionem faciant. Quibus omnibus

bus innumeros prorſus errores disſipavit, atque integrum hunc Hiſtoriae naturalis locum clariſſimo colluſtravit lumine.

Cum autem in eo maxime ſpectetur iudicii vis, ut rerum momenta iuste existimemus rerumque varias coniunctiones atque necesſitudines ita perſpiciamus, ut exinde inventis diſpoſitio accedat ordoque lucidus; in hisce etiam qualis quantusque habendus ſit Swammerdamius iam paucis intelligatis.

Illo, quo vixit tempore, plurimi habebantur naturalium rerum cupidi, qui in Inſectorum atque eiusmodi minimorum hiſtoria ita occupati esſent, ut in colligendis et coäcervandis quibuslibet harum rerum exemplis inſatiabiles maxime, in miris figurarum ſpeciebus, colorumque pulcritudine haererent, et quae inuſitata magnitudine vegrandia vel aliquo formae luſu mirabilia apparerent, indefesſo labore venarentur et pueriliter amarent: dein nihil non prorſus inſolitum atque inextricabile in hisce, ſive corporis fabricam ſpectes, ſive mores vitae, viderent. At noster longe aliter. Namque in hisce minimis ſimplicem fore Naturam, ut in ceteris animantibus, ſagaciter ſuſpicatus, immenſos labores

non

non intermisit, priusquam penitus plana perspectaque et sibi et aliis reddidisset, quae pervulgatis opinionibus obscurata essent. Cumque ipsi nihil adeo insanum videretur, quam eiusmodi animalcula imperfectiora habere, quoniam illa tam imperfecte novimus, vitam consumsit viresque, ut ostenderet, Naturam non minori cura ea prosecutam esse, quam aut aves aut quadrupedes aut ipsum denique hominem. Quod quidem non modo de Insectis docuit, verum de ipsis adeo, quae informem saepe molem referunt molluscis. Quapropter in hisce animalibus rite investigandis, atque in egregia ipsorum fabrica iuste aestimanda, summum illum, quo Gallia merito superbit, Cuvierium inventis suis omnino praeivit. Quidni ergo A. A. H. H.! cum illum a tota Europa idque summo iure in media collocatum luce videamus, nos nostrum Swammerdamium in tenebris relinquamus? Immo vero aequiorem potius audiamus sequamurque Cuvierium ipsum nostri labores magni facientem virumque egregium laudantem saepenumero!

Et merito. Quis enim eum non laudet, qui in Zoölogiae atque Anatomes comparatae infantia, tot destitutus subsidiis, quibus nunc abunda-

damus, tantum ſe praeſtitit? Qui Naturam quaſi divinatus, in minimis magna molientem, in experimentis ſuis et ſectionibus non vagus errabat, quocunque luxurians abriperet ingenium, ſed iungens experientiae rationem, ab iis quae iam vidisſet, ad ea quae adhuc quaerenda esſent, ducebatur, atque ita immenſum ſibi aperuit, in quo ingenium exſpatiari posſet, campum, ita ex multiplicibus, quas oculis occupasſet rerum formis, probabiles earum ſimilitudines differentiasque veluti computare et fere definire potuit. Quo factum est, ut ingentem illam Inſectorum copiam in ordines ſuos redigere ipſi contigerit, primusque adeo exſtiterit, qui ex ipſa eorum fabrica et natura diſpoſitionis rationem petierit. Quod quidem exemplum ſummi Historiae naturalis ſcriptores dein ſaepius ſecuti fuerunt.

Si igitur quae hucusque diximus reputaveritis A. A.! facile apparebit, nostrum non in iis habendum esſe Naturae ſcrutatoribus, qui inſtituendis experimentis nullum ponentes finem, per diverſisſima inconſulto errant, postque vitam laboris plenisſimam omnemque in perſcru-

tan-

tandis Naturae phaenomenis consumtam, mirantur se tam parum profecisse. Swammerdamius vero labores suos suscipiebat, ut Naturam perspiceret, rerumque oculis spectatarum rationem quoque et finem mente assequeretur. Dubitatisne de eo A. A.! an aptus fuerit his rebus gerendis ac probabilis Naturae interpres a nobis habendus sit? At nullum superfuturum dubitationi locum crediderim, siquidem boni interpretis dotes cum iis, quae in Swammerdamio nostro nitebant, conferamus.

Quod enim primum et praecipue in quocunque interprete iure poscimus, doctrinae est copia non exigua, qua ad singulas res, rerumque formas et necessitudines melius perspiciendas valeat. Etenim nisi ad rerum explicationem accedat rerum indolem variamque coniunctionem doctus, metuendum, ne ab opinionibus magis, quam a phaenomenorum observatione et perscrutatione duci se patiatur. Noster igitur quem ducem secutus sit, ex iis quae scripta reliquit patere possit. Qui non hoc vel illud animalculum, sed centena eaque diversissima; non semel, sed decies, centies; non una, sed unaquaque parte explorare solitus erat, eum ad rerum,

rum, quas perſcrutatus fuerit, naturam intelligendam prorſum ineptum habeamus? At inepta multa et ridicula protulit. Fateor, nonnulla; ſed nobis haec inepta et ridicula, qui iam ſaeculorum laboribus meliora docti ſumus; iniquum autem ſit quae temporibus debeantur, hominibus tribuere, isto tempore viventibus. An vero tam penitus incongrua ſunt, quibus quaecunque obſervaverat explicare conatus est? Nonne plura, quae ad primum animalium ortum pertinent, ex comparatis animalibus, vertebris inſtructis, cum Inſectis vermibusque illustravit? Nonne ex ranarum historia Inſectorum metamorphoſi lucem accendit? Nonne de reſpirationis uſu in calidi ſanguinis animantibus egregia docuit? Docuit, aërem mutari et nocivos e corpore educi vapores; docuit aëre puriorem reddi ſanguinem, ſuſcitandae vaſorum actioni, corporisque totius nutritioni aptiorem. Unde autem illa petiit? ex inanibus, quas excogitarat, hypotheſibus? Immo vero ex innumeris obſervationibus atque ingenioſis omnino experimentis, quibus difficillimum illum Phyſiologiae locum multo ſane apertiorem reddidit. Plurima quidem reliquit; cur vero reliquit? quia deſpera-

ra-

rabat posſe eadem nitescere. Atque hoc ipſo, quantum ad interpretanda Naturae opera valeret, ostendit. Cum enim nos homunciones vix Naturae particulam cognoscamus, inſanum ſit de omnibus audacter pronunciare velle, ac ſi integrum hoc univerſum, intellectu nostro, comprehendamus. Quapropter Naturae interpretem prudentem iure requirimus. Talem itaque omnino ſe praeſtitit Swammerdamius. Plena ſunt eius ſcripta exemplis, quae ostendant, quam cauta argumentatione uſus fuerit, cum, ex inventis, rerum rationem aliquam exponere inſtitueret. Saepius quidem ignorantiam profesſus, ubi aut non ſatis exploratam haberet rem, aut obſervationes non ſibi invicem congruerent, maluit cohibere gradum, quam in tenebris oberrare. Cuius modestiae tum in aliis, tum praecipue in Apum atque Ephemerae historia egregia invenimus exempla.

Hic vero nonneminem mihi audire videor, dicentem: non ſemper talem ſe praeſtitisſe Swammerdamium ac praeſertim in eo, quem de reſpiratione conſcripſit tractatu, plurima reperiri opinionum commenta deinceps ab experientia magistra prorſus repudiata. Scilicet

re-

refrigerationem illam ſanguinis in pulmonibus volunt et fermentationem in cordis ventriculis. Verum teneatis, quaeſo A. A.! profecta haec esſe ex ſchola Sylvii, celebris, id temporis, Phyſiologi et Medici, quem adeo praeceptorem ſuum noster valde colebat. Namque haec de reſpiratione Leidae disputavit (*) ut medicinae doctoris honores conſequeretur, ideoque Sylviana hisce inesſe, nemini mirum videatur.

Quantum autem a coniecturalibus eiusmodi, atque experientia minus firmatis alienus fuerit noster, ex ipſo audiamus. Totidem declaravit verbis: non ultra experimenta esſe errandum, nec quae ex iis recte efficiantur temere aliis applicanda esſe phaenomenis. „ Cum enim Na-„ turae divitiae (inquit) ſint inexhauſtae, et „ multae earum adhuc coeco involucro ab„ ſconditae, nos ipſimet, temeritate nostra ap-„ plicandi, ſine circumſpectione, quaevis qui-„ busvis, ſumus in culpa amisſae veritatis, „ imo ita nonnunquam res per ſe claras et in-

„ tel-

(*) Anno 1667 *in tractatu de reſpiratione uſuque Pulmonum cuius tertia editio prodiit*, Lugd. Bat. 1738.

„ tellectu faciles ita impedimus, ut obſcurae „ nobis et inextricabiles evadant (*)". Qui ſic loquitur, A. A.! qui ſic quam egregiam profert ſententiam exemplo ipſe ſuo ſequitur, eum non prudentem habeamus, non plane modestum Naturae interpretem?

Sed vel prudentisſimum et maxime modestum non ab omni erroris periculo remotum credamus, niſi ad Naturae penetralia accedens ſincero flagret veritatis amore.

Scilicet et famae ſolicitudo timidos homines ab audaciori rerum pertractatione ſaepe deterret, atque in explicandis phaenomenis diffidentes reddit. Quae vero ratio omnino damnanda est, quia ſic rerum cognitio parum producitur. Quapropter ſi Swammerdamium laudamus, prudentem Naturae interpretem propterea laudamus, quod ea prudentia non e gloriae cupiditate, ſed e veri ſtudio proficiſcebatur. Quamcunque de natura rerum proferret ſententiam, omni obſervationum atque experimentorum vi ſtabiliendae operam dabat, nihil magis

(*) Vid. *Historia generalis Inſectorum, in praefatione auctoris.*

gis curans, quam ut vera videret. Ideoque saepius iam fere absolutum laborem ab ovo repetiit, eandemque rem alia atque alia parte aggressus est, ut veritatem ex latebris eliceret. Quam protractam, etiamsi odiosam fore hominibus intelligeret, libere ostendit. Utinam vero minus fuisset acerbus! Namque haud negamus A. A.! nostrum, hoc veritatis studio abreptum, nonnunquam nimis acriter in adversarios saeviisse.

Verum demus hoc homini, qui quodcunque faceret, non languide, sed cum aliqua vehementia peragebat. Erat enim Swammerdamius vir, animo acer et propositi tenax, cui quaecunque ipsi acciderent, sive grata sive ingrata, alta mente reposita manebant. Quae quidem animi propensio cernitur in modo, quo in se ipse, falsis religionis terroribus exagitatus, saeviit. Quo fanatico furore eo abreptus fuit, ut peramata penitus fastidiret studia. Quis non tam egregium virum, puerilibus angoribus consumtum, nihil curantem, sua despicientem, amicorum monita spernentem conspiciens, misericordia afficiatur? Illius autem morbi si plurima in eius scriptis inveniantur vestigia, quem of-

offendat? Quis non ea tot praeclaris rerum obſervationibus compenſata putet?

Neque tamen hoc ita accipiatis A. A.! ac ſi ea in Swammerdamii ſcriptis, quibus, pietate in ſupremum Dei Numen accenſus, id egit, ut ex perfectisſimis operibus adorandas efficeret Auctoris virtutes, damnare velim. Equidem minime probem eorum rationem qui in ſapientisſimi atque optimi Procreatoris Dei locum inania ponant nomina. „ Quî enim (ut cum „ Tullio loquar) convenit, ſignum aut tabu„ lam pictam cum adſpexeris, ſcire adhibitam „ esſe artem, aut navigii curſum cum videris, „ non dubitare, quin id ratione atque arte mo„ veatur; de Mundo autem, qui et has ipſas „ artes et earum artifices, et cuncta complec„ tatur, dubitare, caſune ſit effectus, aut ne„ cesſitate aliqua, an ratione et mente divi„ na (*)".

Quis, hanc terram in eaque ſata et generata contemplatus, et ſecum cogitans, quomodo quodcunque extat, ſuis ſe tueatur viribus, et permaneat, nihil autem ſit, quod ſibi ſoli natum, ſed

(*) Cic. *de Natur. Deor.* Lib. 2. Cap. 34.

ſed omnia omnino multiplici necesſitudinis vinculo in commumem ſalutem coniungantur: quis, inquam, haec contemplatus, non divinam veneretur Providentiam, quae toti huic univerſo ſingulisque eius proſpicit partibus? Et admiremur Swammerdamium, qui, cum totam in conſideranda et pervestiganda Natura conſumſerit vitam, ſupremi Dei religionem tenuerit, quando quotidie tantam videret animantium varietatem, tantamque ad eam rem vim, ut in genere quaeque ſuo permaneant; quando quotidie enumerare posſet, ad pastum capescendum, conficiendumque, in figuris animantium, quae ſit et quam ſollers, ſubtilisque deſcriptio partium, quamque admirabilis in minimis etiam fabrica membrorum; quando videret, omnia quae intus incluſa ſunt ita nata atque ita locata esſe, ut nihil eorum ſupervacaneum ſit, nihil ad vitam retinendam non necesſarium (*).

O praeclarum virum et penitus ſapientem, quem divina contemplantem inſolentium hominum non perturbarunt placita! qui religione Dei tactus, perſcrutando Naturam, Naturae Auctorem

(*) Loc. c. c. Cap. 47.

rem celebravit! Hunc non magni faciamus, non laudibus efferamus ad ſidera, quem Naturae interpretem habemus non modo doctum, ſed ipſa ſcientia prudentiorem magisque modestum, prudentemque non famae, ſed veritatis amore, pium denique atque hoc ipſo laudibus nostris maiorem.

Quae quidem hactenus dicta ſunt, A. A.! quamvis ad perfectum Naturae interpretem formandum egregie conveniant, minime tamen talem faciunt, qualem iure deſideratis. Quandoquidem enim primam orationis dotem perſpicuitatem dicit Cicero, illum, qui, interpretando Naturam aliis ſe doctorem offert, perſpicuum eſſe vultis: quapropter iure a me poscitis, ut hoc quoque Swammerdamio non defuisſe efficiam. Neque hic difficilis mihi labor fuerit. Ipſi modo videatis A. A.! quomodo quae ſcripſit noster temporum iniquitatem ſuperarint; quo ſtudio legantur ab omnibus, qui rerum naturalium notitia aliquid valere existimentur, quantopere iis probentur. Raro enim reperiatis nostri aevi de hisce ſcribentem, quin ad Swammerdamii probatisſimam auctoritatem lectores mittat. Unde autem factum pute-

teris, quod cum omnia mutata sint, Swammerdamii scriptis honor manserit? quoniam quae habet verissima, maxima perspicuitate profert, verbis bene provisam rem sequentibus non invitis. Idcirco saepe etiam, qui post eum venerunt, ab eo mutuati sunt et descriptiones et delineationes, desperantes scilicet meliora se posse dare. Namque summus profecto in historia Insectorum Reaumurius, ut sua illustrare posset, Swammerdamii iconibus usus fuit. Quo quidem exemplo docemur quanta in ipsis sit et veritas et perspicuitas. Taceo quippe iam mox commemoratos Needhamium, Roeselium, Blumenbachium, Cuvierium, qui quanti nostrum faciant, in rebus describendis et illustrandis, quavis fere scriptorum suorum pagina ostendunt.

Hunc igitur tantum virum nonne gaudebimus A. A.! nostram protulisse patriam, hunc tantum virum, cognitis atque auditis ipsius meritis (utinam ex magis diserto oratore!) sequi non cunctis contendemus viribus? contendemus profecto quicunque Naturae cognoscen-

dae operam damus, eoque magis, quando nobis prae Swammerdamio plura adsunt, quae nos ad maius etiam admoneant atque incitent studium. Ille solus, sibi relictus, neglectam et contemtam Historiae naturalis pertractavit partem, nulla fere habens ad suos perficiendos labores incitamenta, neque privata neque publica. Egenus eo redactus fuit, ut quos immensis laboribus sibi comparaverat rerum naturalium thesauros, cuivis emendos offerre debuerit. Vix autem in hac ipsa patria reperire potuit, apud quem tantum amata studia valerent, ut ipsi inopi opem ferret. Nos vero (o! litteratorum hominum felicitatem!) ea vivimus tempora, quae abundant iis, quibuscunque mens ad has ipsas lucubrationes et excitetur et iuvetur. Honorifica Naturae habemus studia, splendida et prorsus egregia superbimus supellectile, summorum in arte virorum industria comparata. Denique eos rei litterariae Antistites nacti sumus et fautores, qui, ut quem in republica tenent locum, ornant virtutibus, ita quam in Academia, iure suo, habent auctoritatem, singulari augent in bonas artes litterasque cura et providentia.

Ta-

Talia praedicanti mihi non opus fuerit, coram hisce qui hic me audiunt, vos digito monstrasse, Viri gravissimi, amplissimi huius Academiae Curatores! Quis enim viros laudans bonarum artium amore excellentes, de vobis id imprimis dicendum esse non agnoscat? Agnoscere autem imprimis me oportet, qui tot nominibus ad vos iam pertineo, quorum humanitatem et benevolentiam mox post adventum plane expertus sum, quorumque favorem magis magisque demeruisse dum vivam mihi religioni sit summae. Utinam quo in mea studia flagro ardorem eruditio mea et doctrina (quae sentio quam sint exiguae) aequent, ut ex meis laboribus vestrae huic Academiae novum accedere possit emolumentum! At vero, quod unum queo, indefessam polliceor industriam, quam vos obtestationem accipiatis velim benevole. Faxit Deus, ut quem hic absentem doleo omnesque hi dolent mecum, propediem salvum habeamus Collegii vestri Praesidem! faxit, ut Vos viri amplissimi! per longum tempus, in huius Academiae et in Patriae commoda sospites habeamus atque incolumes.

Quominus magnifica promittam, vester me prohibet conſpectus, Viri clarisſimi! qui huic inclytae Academiae eruditionis veſtrae doctrinaeque fama inſigne affertis ornamentum. Quis enim ego ſim, qui me veſtro adſcriptum ordini videns, ſperem fore ut vos eximiis iis virtutibus aequare posſim. Quod idem licet animum posſet deiicere, mihi tamen non ingratum accidit, quippe qui Harderovici degens, iam ſaepe expertus ſim, quantum ad vitam beatam iuvet doctorum hominum familiaris conſuetudo. Neque enim N i e u h o f f i i, multiplici rerum notitia inſignis, animique candore venerandi ſenis unquam obliviſcar, nec ceterorum quibuscum ibi officii communione, coniunctus fui. Tot illi tantisque me cumularunt humanitatis atque amicitiae documentis, quanta vix ſperare, nedum exſpectare, potuisſem. Hic autem non minorem ſpero ex veſtra ſocietate, Viri clarisſimi! ſive ad augendam meam qualemcunque eruditionis copiam, ſive ad vitam dulcius ducendam percepturum esſe fructum. Quapropter vobis me quam maxime commendatum cupio.

Vobis autem imprimis me commendo, quibus tradendae disciplinae ſimilitudine adiunctum

me

me video et laetor. Ea enim naturalium rerum ſtudia ſemper in deliciis habui, vestraque meritis vestris comparata fama me ſperare iubet, fore ut vestra doctrina inſigniter mea augeatur ſcientia.

Hoc autem non ſolum est, quod ſolenni hac hora animum meum commovet, verum ad vos accedentem, Viri celeberrimi! collegae coniunctisſimi! praeteritae etiam vitae, quam in hac amoenisſima urbe degi, ſubit cogitatio, plurimque ego vestrum, quibus me magnopere obſtrictum ſentio, in me collata beneficia reputo. Vos enim conſpiciens, viri et virtutibus plurimum venerandi et doctrinae laude ſpectabiles Heringa et van Oordt! quid non commemorem ſingulare, quod olim ex vestra humanitate atque approbatione ad mea ſtudia expertus ſum incitamentum; quid non hic palam profitear, me eam ob cauſſam plurimum vobis debere; quid non laetus gratam hic publice obtester mentem!

Utinam autem omnes, quorum utilisſima inſtitutione olim frui mihi licuit, hic ſalvos adſpicere mihi contingeret, gratisſimumque animum ipſis palam ſignificare! Felicem vero fortunatumque

que me habeo, quod saltim vos, Viri celeberrimi Bleulandi et de Fremery, compellare liceat, quibus praesertim quod sum quodque olim praestare potero, me debere coram omnibus profiteor.

Quoties enim quam a te accepi, Clarissime Bleulandi! de corpore humano institutionem mente mea reputo, toties et tuam in me erudiendo operam et egregiam in perscrutanda Natura sollertiam admirari soleo. Quam tamen quid hic tenuis orator verbis laudem, cum rerum ipsa testimonia in amplissimo illo tuo, quo merito iam gloriatur haec Academia, Musaeo, tam manifesta habeamus! Tu Vir Clarissime! quo olim discipulum, eodem animo iam me accipias collegam, tui nominis observantissimum!

Tibi etiam expertissime de Fremery! non minus profecto meritorum in me recordatione, quam novi officii ratione obstrictum me sentio, iunctum me glorior et laetor. Insignis est sane felicitas mea, qui quem praeceptorem olim maxime colui et amavi, in iis potissimum, quibus tantopere delector artibus, eum nunc per integrum vitae cursum vitae litterariae magistrum ha-

bi-

biturus ſim et laborum ducem! O utinam, dum in colligendis disponendisque naturalium rerum theſauris, tuis ſub auſpiciis, occupatus ſum, tuam olim merear approbationem, tibi placuiſſe contigerit — tibi enim vir egregie! placuiſſe non ultimam mihi laudem duco, non exiguum ad maxima tentanda incitamentum futurum ſentio. Supremum autem Deum precor, ut te, et hunc quo merito ſuperbimus Bleulandium vosque demum omnes Viri Clarisſimi! in huius Scholae commodum inque Patriae ornamentum, quam diutisſime ſervet ſuperſtites!

Ad vos tandem venio, ornatisſimi Iuvenes! qui in hac celeberrima Academia diverſis humanarum artium et doctrinarum partibus operam datis. Ad Vos venio non ſolum, quia id diei huius ſolennitas ſuadet atque adeundi muneris ratio poscit, verum maxime propterea quod ſic ipſe animus iubet atque imperat. Vobis enim vivere, veſtrisque ſtudiis prodesſe, vehementer cupio; proſim autem, ſi vobis hunc quo hactenus iure merito exſultatis praeceptorem, quemque et meum esſe audivistis, colendi atque audiendi exemplum exſiſtam. Cete-

te-

terum si quid in me fuerit aut in meis lucubrationibus, quod vobis prodesse possit, omne id vestrum habeatis velim. Mihi tunc tandem vitam bene peractam existimabo; si vos, communi nostra naturalium rerum indagatione, studiis severioribus vitaeque futurae reddiderim quam aptissimos.

HENRICI CAROLI VAN DER BOON MESCH,

MATH. ET PHIL. NAT. ET MED. CAND. ET IN ACADEMIA LUGDUNO BATAVA STUDIOSI,

RESPONSIO

AD QUAESTIONEM

AB

ORDINE CHEMICO

PROPOSITAM:

Quum recentiorum Chemicorum plerique, duce eximio H. Davy, *acidum, quod hactenus* muriaticum oxygenatum *dici consueverat, simplex esse principium,* Chloricum *nuncupandum, statuant; nonnulli tamen cum Cl.* Berzelio, *veterem Theoriam Bertholletianam, hic etiamnum esse sequendam autument; quaerit Facultas: quaenam harum doctrinarum, si ipsa spectentur experimenta; si ad integrae Theoriae Chemicae analogiam attendatur; si denique ratio habeatur baseos acidi Fluorici* (phthoricum *principium nonnulli dicunt) et haud ita pridem detecti principii* Iödici; *praerogativam mereatur?*

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT.

Paucae sunt, etiam maxime probabiles theoriae, quae non incurrant in aliquas difficultates, aegre removendas.

Whytt.

ANTE MONENDA.

Responsurus ad Quaestionem Chemicam quae his verbis continetur:

Quum recentiorum Chemicorum plerique, duce eximio H. Davy, *acidum*, quod hactenus *muriaticum oxygenatum* dici consueverat, simplex esse principium, *chloricum* nuncupandum, statuant; nonnulli tamen cum Cl. Berzelio veterem theoriam Bertholletianam hic etiamnum esse sequendam autument; quaerit Facultas: quaenam harum doctrinarum, si ipsa spectentur experimenta, si ad integrae theoriae Chemicae analogiam attendatur, si denique ratio habeatur baseos acidi Fluorici (*phthoricum* nonnulli dicunt) et haud ita pridem detecti principii *Iödici;* praerogativam mereatur?

eius ordinem quam proxime sequi conatus sum; igitur exposita paucis historia acidi muriatici oxygenati, ad rationes litis diiudicandae, quas et rei natura et Quaestio indicabat, proponendas et explicandas pervenien-

dum esſe arbitratus ſum: quae rationes, cum duplici genere contineantur, et experimentorum et analogiae: primo loco accuratius videndum erat de experimentis: deinde conſulenda analogia; verum cum ſeorſim Quaestio memoraret principia Phthoricum et Iödicum, de iis quae dicenda erant, alio capite explicavi. Ultimo loco efficienda erat concluſio, ut pro meis viribus iudicarem, quaenam ſententia praerogativam mereatur.

Quibus eo ordine tractatis multa deeſſe et ſentio et ſcio; ſed ea rogo tribuant lectores, Viri Clariſſimi, et condonent tironi, ingenioque neque per ſe magnopere valenti, neque exercitatione probato et confirmato.

CAPUT I.

De Historia acidi muriatici, et acidi muriatici oxygenati.

Acidum muriaticum aqua solutum, videtur iam cognitum fuisse Alchymistis (1); idque ope acidi sulphurici excussum est e muriate sodae a Glaubero: hoc acidum dictum fuit acidum salis marini, spiritus salis (2); Priestleius vero primus fuit, qui examini subiecit gaz acidum muriaticum (3).

Acidum vero ita dictum muriaticum oxygenatum detectum est a Scheelio A°. 1774; et ab eodem, doctrinae Sthalianae ad-

(1) Thomson *Systeme de Chimie* Tom. I. p. 131. fin. p. 132. princ.

(2) Vid. *Element. Chemiae* H. Boerhaave T. I. p. 814.

(3) Thomson l. l. p. 132. Cf. Macquer *Dict. Chim.* et Klaproth et Wolff *Dict. Chim. Mem. de l'Acad. Royale des sciences* A°. 1785. p. 296. sqq.

addicto, vocatum acidum marinum dephlogisticatum, phlogisti quasi expers (1): a Fourcroy dictum est acidum muriaticum aëratum (2).

Facie Chemiae mutata (3), quum invenisset Lavoisierius acida constitui basibus acidificabilibus, aut una, aut pluribus, et oxygenio (4), acidi vero marini basin nulla ratione, neque analytica, neque synthetica, possset detegere, ad analogiam confugit, et con-

(1) Arbitratur Davyus jam Scheelium statuisse simplicitatem acidi muriatici oxygenati, quum id vocaret acidum marinum dephlogisticatum. Vid. *Journal de Phys.* T. LXXI. n. 326. 332. et *Elemens de Philos. Chimiq.* par H. Davy, traduit par J. B. van Mons Vol. I. p. 402. Verum rite animadvertit Bertholletus, notionem vocis *phlogiston* apud Scheelium vagam esse, *Memoir. d'Arcueil* T. III. p. 60. 8—9. ubi locum affert Bertholletus ex opere Scheelii, *Traité de l'air et du feu*, qui illustrat, quid Scheelius dixerit *phlogiston.* Cf. *Antwoord op de vraag, of het phlogiston in de ligchamen bestaat: door den Hoogg. Heer* Nahuys. *Verhand. van het Provinciaal Utrechtsch Genootsch. van Kunsten en Wetenschappen* D. V. Vid. omnino *Ann. de Chim.* T. XCIII. p. 32 sqq.

(2) Fourcroy *Syst. de Chim.* T. II. p. 109.

(3) Vid. *Nieuwe Chem. en Phys. Oeff.* door P. van Werkhoven D. II. p. 414. seq.

(4) Lavoif. *Trait. de Chim.* T. I. p. 69. et passim in hoc opere

conſtituit acidum marinum componi, ut cetera acida, baſi muriatica (*baſe muriatique*, *radical muriatique*,) et principio acidificante, oxygenio (1); acidum autem marinum dephlogisticatum cenſuit componi acido marino cum excesſu oxygenii (2); exemplo Bergmanni et Morveau, a voce *muria* illud vocavit acidum muriaticum (3), hoc acidum muriaticum oxygenatum (4), a Kirwanno in oxymuriaticum deinde converſum (5).

Ambo haec acida deinde ab optimis Chemicis ad examen vocata ſunt, eorumque proprietates et utilitates in lucem prolatae (6).

In-

(1) l. l. p. 75 et 255.

(2) p. 76. 178.

(3) p. 76.

(4) p. 77.

(5) Thomſon T. III. p. 110. quamvis nomen acidi non mereatur acidum muriaticum oxygenatum: cum expers ſit facultatibus, quibus ab aliis corporibus distingui ſolent acida: (Thomſ. l. l. p. 125. 126 *Journ. de Phyſ.* T. XXVI. p. 322.) tamen hoc nomen plerisque Chemicorum uſitatum perſpicuitatis gratia retinebimus.

(6) Vid. Fourcroy *Syſt. de Chim.* T. II. p. 101—118. Thomſ. *Syſt. de Chim.* T. I. p. 131—147. T. III. p. 110—133. Davy *Elem. de Phil. Chim.* T. I. p. 384—417. Thenard, *Traité de Chimie* T. I. p. 562—596.

Inter omnes autem, antequam Davyus, novis inſtitutis experimentis, ab omnibus Chemicis asſumtam gaz acidi muriatici oxygenati compoſitionem in dubium vocaret, eminent Bertholletus et Chenevixius. — Et Bertholletus quidem ab A°. 1785 (1), cum coepit inquirere in acida muriaticum, et muriaticum oxygenatum, ad annum 1816 haud deſtitit indagare amborum indolem, illustrare proprietates, invenire utilitates. Chenevixius vero anno 1802 (2), ſpecimen edidit de acido muriatico oxygenato, eiusque copulis cum aliis corporibus, a principibus Chemicis magnopere laudatum.

Cum autem in ſequentibus Capitibus plures proprietates utriusque acidi, tum ratio, qua optime parantur, recenſendae erunt, has nunc misſas facimus, et iam tranſibimus ad ipſam Bertholleti ſententiam de eorum com-

(1) *Mem. de l'Acad.* 1785. p. 276—296. *Journ. de Phyſ.* 1785. T. XXVI. p. 321—326. *Mem. d'Arcueil* T. III. 1817. p. 171—179. *Obſervat. ſur la compoſition de l'acide oximuriat:* 1811. et p. 603. *Note ſur la compoſit. de l'acide oximuriat:* par M. Bertholl. 1816.

(2) *Philoſ. Transact.* 1802. *Journ. de Phyſ.* Tom. LV. p. 87—116.

compoſitione: in qua exponenda princeps tantum memorabimus phaenomenon, unde compoſitam acidi muriatici oxygenati effecit Bertholletus: reliqua enim, quae ipſius ſententiae favere videantur, explicabimus Capitibus ſequentibus.

Quamvis jam Lavoiſierius (1) et Fourcroy (2) in acido muriatico oxygenato, oxygenium inesſe contenderent, pluresque exinde explicarent huius acidi proprietates, praeter analogiam, non habebant, quo hanc theoriam defenderent: quod cum perſpiceret Bertholletus, excitatus fuit ad Scheelii experimenta repetenda, ut, quid de re esſet, cognosceret. Primum hoc conſilio experimentum inſtituit Bertholletus ſequens: igne fortiori calcinavit magneſii calcem (*peroxydum*,) et obtinuit aërem vitalem: deinde calce, quae multum ſui aëris vitalis amiserat, tractata cum acido marino, multo minorem copiam comparare potuit acidi marini dephlogisticati: unde concluſit, aërem vitalem oxydi magneſii ſeſe iungere cum acido marino atque inde naſci aci-

(1) l. l.

(2) *Mem. de l'Acad.* 1785. p. 281.

acidum Scheelii (1): cum autem Bertholletiana theoria Chemicis minime placeret, pluresque ex eorum numero, Morveau imprimis, contenderent, originem acidi Scheelii non esse explicandam, nisi in auxilium advocato phlogisto (2), pergit Bertholletus, et experimentum instituit, quo omnes contra suam theoriam motas objectiones rebatur sublatum iri, et in diem collocatum acidi Scheelii naturam (3). Igitur exponens aquam acido muriatico oxygenato impraegnatam, radiis solaribus hanc solutionem amittere suum colorem, et expellere bullulas: has exceptas invenit esse gaz oxygenium; deinde aquam superstitem examinans, hanc detexit non continere nisi acidum muriaticum vulgare; ratione igitur habita accepti oxygenii, et superstitis acidi muriatici, collegit 100 partes acidi muriat. oxygen. componi 90,59, acidi muriat. 9,41 oxygenii, opinatus radios solares ab acido muriat. oxygen. abripuisse oxygenium (4), ut solent oxy-

(1) *Mem. de l'Acad.* 1785. p. 281. Cf. *Journ. de Phys.* T. XXVI. p. 398. sqq.

(2) l. l. p. 281. 282.

(3) p. 284.

(4) *Mem. de l'Acad.* 1785. p. 282.

oxygenium abripere ab acido nitrico, et oxydis quibusdam metallicis. — Deinde invenit Bertholletus, si gaz acidum muriat. oxygen. transmittatur per solutionem potassae aqueam, duplex oriri sal; alterumque dixit murias potassae vulgare, alterum vero murias potassae superoxygénatum, ita explicans duplicem hanc salium originem, ut sumeret, aliquam partem acidi muriat. oxygen. decomponi, eiusque oxygenium sese coniungere cum immutato acido muriat. oxygen.; duplex deinde acidum, alterum oxygenio ditatum, alterum oxygenio privatum se cum potassa coniungere, et memorata salia proferre (1). Acidum vero muriaticum superoxygenatum seorsum, tunc temporis nondum erat cognitum. — In hos sales deinde plures eximii Chemici inquisiverunt, Lavoisierius (2), Fourcroy (3), Vauquelinus (4), alii, qui omnes tuiti sunt Bertholleti sententiam.

Che-

(1) *Journ. de Phys.* T. XXXIII. p. 217. et *Mem. de l'Acad.* 1786. Cf. Lavois. l. l. T. 1. p. 254.

(2) *Traité de Chim.* T. I. p. 207.

(3) Fourcroy *Syst. des Connoiss. Chimiq.* T. III. p. 214. sqq.

(4) *Ann. de Chim.* T. XXI. p. 235.

Chenevixius vero magnopere discessit a Bertholleto, et aliam, atque Bertholletus viam ingressus, computavit acidi muriat. oxyg. 100 partes constare 77,5 acidi muriat.
22,5 oxygenii (1):
quam proportionem deinde assumsit etiam Gay Lussac, novis a se in hoc acidum experimentis institutis (2). Acidi muriat. superoxygen. constare 100 partes
66 oxygenii
34 acidi muriatici.

Cum autem Bertholletus videret Chenevixium tantopere ab ipso discrepantem, in computanda oxygenii copia acidi muriat. oxyg., quid de re esset, cupidus sciendi, partim sua repetivit experimenta, partim nova instituit. Itaque radiis solaribus aqueam gaz acidi muriat. oxygen. solutionem exponens, nactus est primo experimento instituto,

	9,31	oxygenii partes
deinde ex altero,	8,85	
ex quibus quantitas media	—— 9,07 (3).	

Igi-

(1) *Journ. de Phys.* T. LV. p. 87. sqq.
(2) *Mem. d'Arcueil* T. III. p. 172.
(3) l. l. p. 173. 174.

Igitur hanc quantitatem parum differre videbat a supra memorata, primo experimento acquisita, dein vero per ammoniam tentans acidum muriat. aquae destillatae immissum, obtinuit ex partibus 100 acidi muriat. oxygen.

primo experimento 23,39 } oxygenii partes
deinde altero . . 23,90 }
ex quibus media ———
quantitas . . . 23,64

quae quantitas fere convenit cum memorata Chenevixii.

Omnibus igitur collatis, apparet, statuisse Bertholletum, oxygenium esse partem constituentem acidi muriat. oxygen., idque constare acido muriatico et oxygenio: atque hinc, hanc theoriam ab eo primum copiam oxygenii in acid. muriat. oxygen., definiente, iure dici theoriam Berthollètianam. — Omnes deinde Chemici secuti sunt Bertholletum, paucis exceptis, qui hoc illove experimento capti, maiori minorive iure, aliam opinionem tuebantur (1), donec prodiret Hum-

(1) Sic Lambe retulit, actione gaz hydrogenii sulfurati in ferrum, prodiisse materiem similem muriati oxygenato ferri. Vid. Thoms. T. III. p. 121. sq.: quod tamen experimentum repetentes Vauquelinus, Morveau, Bouillon

Humphry Davy. Hic quum ope columnae Galvanicae, scilicet efficacissimi, quod cognoscebat, ad oxygenium in quibusvis corporibus detegendum, auxilii, iam plura corpora omnium Chemicorum consensu pro simplicibus habita, decomposuisset, atque eorum naturam chemicam in lucem collocasset (1), imprimis cum detexisset, alcalia componi principio metalloideo, et oxygenio, ut in alia acida nondum decomposita, in boracicum, fluoricum, ita etiam in muriaticum, et muriat. oxygen. plurima coepit insti-

lon la Grange, minime confirmatum viderunt. Thoms. l. l. p. 122. 123. et lib. ibi laudd. Ita Girtannerus iam hydrogenium in acido muriat. posuit. Cf. omnino Scherer *allg. Journ. der Chem.* B. IV. S. 418. B. V. S. 116. 507. — Bertholletus ipse singularem fovit sententiam de natura acidi muriat.; legimus enim apud Lavois. l. l. T. I. p. 255.: „ M. Berthollet avoit soupçonné, que ce radical pourroit être de *nature metallique:*" ipse autem Lavois. fatetur (l. l.): „ cet acide „ ne parait pas avoir été decomposé jusqu'a ce jour dans „ aucune experience chimique, ensorte, que nous n'avons „ nulle idée de la nature de son radical: ce n'est même „ que par analogie, que nous concluons, qu'il contient le „ principe acidifiant ou oxigène."

(1) *Journ. de Phys.* T. LXVII. p. 339—344. Cf. *Elem. de Phil. Chim.* T. I. p. 353. sqq.

ſtituere experimenta; quibus ſedulo repetitis tandem conatus est probare, acidum muriat. esſe compoſitum acido muriat. oxygen., et hydrogenio, acidum vero muriat. oxygen. esſe corpus ſimplex, i. e., nondum decompoſitum (1), vocavitque gaz acidum muriaticum oxygenatum, ob colorem ſuum viridiflaveſcentem *Chlorine* a Graeca voce χλωρὸς, viridis (2), Latine *Chloricum:* deinde concluſit, ſales muriaticos Alcalinos, cum metalloideos non conſtitui acido muriat. et alcali et metalli oxydo, ſed componi chlorico et baſi alcali et metallo; ſic e. g. murias potasſae conſtare chlorico et potasſio, murias ſtibii chlorico et ſtibio: porro chloricum habere affinitatem cum oxygenio, quocum iunctum abire in gaz, ob egregium colorem viridiflaveſcentem dictum εὐχλωρὸν, *Euchlorine* (3), tan-

(1) *Journ. de Phyſ.* T. LXXII. p. 359. ſqq. T. LXXIX. p. 264. Cf. Davy *Elem. de Phil. Chim.* T. I. p. 384. ſqq.

(2) Quod nomen magis Davy placuit, ob cauſam, quam indicat *Journ. de Phyſ.* T. LXXII. p. 384. „ quand „ bien même on decouvrirait par la ſuite, que c'est un „ décompoſé, et même qu'il contient de l'oxygene, ce „ nom ne peut pas induire en erreur, et ne néceſsite „ pas de changement."

(3) *Journ. de Phyſ.* T. LXXIII. p. 88.

tandem censuit, muriat. super oxygen. componi aut chlorico et peroxydo, aut euchlorico et peroxydo (1), unde haec theoria, opposita veteri, dicitur Davyana.

Denique cum plurimorum Physicorum oculi conversi essent in Davyum, prodiit Berzelius, qui, novis argumentis, partim ex analogia, partim ex doctrina proportionum definitarum petitis, quam sedulo tractaverat, Bertholletianam veterem theoriam confirmare et tueri studuit: unde vetus theoria opponitur Davyanae, et κατ' ἐξοχην dicitur Berzeliana (2). Plurimos, et celebres Chemicos exercuit, et etiamnum exercet haec lis; adstant utriusque partibus viri in arte peritissimi: ultimo vero tempore Davyanas partes sequi coeperunt strenuii olim veteris Theoriae defensores, Thenardus, Gay Lussac, ipse Bertholletus, aliique plures.

(1) *Journ. de Phys.* T. LXXI. p. 335. T. LXXII. p. 372. T. LXXXII. p. 202. imprimis p. 205.

(2) *Journ. de Phys.* T. LXXXII. p. 306. sqq.



CAPUT II.

De experimentorum, in Davyana, et veteri Bertholletiana doctrina confirmanda, usu.

Quod autem a tantis Chemicis, quantos memoravimus, haec lis adeo difficillime possit dirimi, inde oriri videtur, quod plura phaenomena, quae pertinent ad acidum muriat., et acidum muriat. oxygen., utraque theoria, et Bertholletiana et Davyana, intelligere et exponere posse videatur: quaevis enim phaenomena ad acida nostra pertinentia bene exposuisse visi sunt Lavoisieriani, et ipse Thenardus, quamquam tum temporis sequebatur Bertholletum, tamen affirmarat, probabili ratione phaenomena ad acida memorata pertinentia exponi theoria Davyana. — In quo quidem ratiocinio me maxime confirmat Newtoni auctoritas, opti-

time probari affirmantis, aliquam propositam theoriam, si facile et perspicue aliquot naturae phaenomena valeat interpretari. — Omnis autem difficultas litis dirimendae in aquae decompositione est posita: ex hac enim, quamquam ratione longe diversa, utraque theoria Bertholletiana et Davyana, quaeque pro sua opinione haurit argumenta. — Qui enim Bertholletum sequuntur, defendunt gaz acidum muriat. per se non existere, nisi sibi adjunctam habeat aliquam definitam aquae copiam; hanc aquam affirmant variis modis decomponi, ejusque hydrogenium liberum fieri, oxygenium vero copulam iniens cum acido muriat. hoc convertere in acidum muriat. oxygen.; contra qui Davyum sequuntur, asseverant nondum esse demonstratam hypothesin, qua assumitur acidum muriat. nonnisi aquae ope posse existere gazforme (1): et quodsi hanc admittant

(1) Vid. *Journ. de Phys.* T. LXXI. p. 331. 333. 334. Curaudau affirmat, etiam purum absque aqua posse existere gaz acid. muriat. Vid. *Journ. de Phys.* T. LXXIII. p. 122. Novo argumento conatus est Suchomlinovius refellere illam hypothesin. Vid. *Repertorium für die Pharmacie* von J. A. Büchner, Band V. Heft 1. 1818. p. 53. 54. et Gilberts Annal. LXXVII.

tant hypothesin, tamen contendunt, hydrogenium liberum redditum non provenire ex aqua decomposita, sed ex decomposito acido muriat., idque demto hydrogenio in chloricum converti: praeterea statuunt, veteris theoriae defensores, quando acidum muriat. oxygen. cum aqua variis modis tractetur, ita ut producantur gaz oxygenium, et acidum muriat., hoc oxygenium provenire a decomposito acido muriat. oxygen.; hoc autem oxygenio orbatum converti in acidum muriaticum.

Contra qui Davyum sequuntur, defendunt, si haec phaenomena obtineant, aquam decomponi, ejusque hydrogenium sese conjungere cum chlorico: gaz oxygenium autem liberum fieri. Hinc fit, ut idem phaenomenon diverse exponatur. E. g. si per tubum porcellaneum, acido muriat. oxygen. repletum, deinde candefactum, transmittantur vapores aquei, obtinebitur acidum muriat., et gaz oxygenium. Hoc experimentum ita exponunt Berthollietiani, ut supponant, caloricum expellere ex acido muriat. oxygen. oxygenium, idque calorico assumto, fieri gazforme: acidum vero muriat. oxygen. demto oxygenio, converti in acidum muriaticum.

Contra Davyani volunt, aquam decomponi, ejusque hydrogenium ſe conjungere cum chlorico, idque convertere in acidum muriat., oxygenium autem liberum reddi, et asſumto calorico in conditionem gaz-formem abire.

Si acidum muriat. oxygen. aqua ſolutum radiis ſolaribus exponatur, vidimus naſci gaz oxygenium, et ſuperſtes esſe in aqua acidum muriat. — Bertholletiani dicunt acidum muriat. oxygen. decomponi, atque exinde venire et acidum muriat., et oxygenium. — Contra Davyani affirmant aquam decomponi, cujus hydrogenio cum chlorico conjuncto, ab altera parte liberum reddi oxygenium, ab altera parte acidum muriaticum.

Si acidum muriat. commiſceatur cum acido nitrico, naſcitur aqua regia, emittens et vapores rutilos acidi nitroſi, et vapores acidi muriat. oxygen. — Qui Bertholleti partibus adſtant, affirmant, oxygenium acido nitrico abripi ab acido muriatico; hinc hoc asſumto converti in acidum muriat. oxygen., illud amisſo oxygenio in acidum nitrosum. — Contra, qui Davyi theoriam tuentur, opinantur oxygenium acido nitrico abripi ab hydro-

drogenio acidi muriat.; atque hinc illud converti in acidum nitrosum, hoc in chloricum.

Si igni tractetur ita dictum murias sodae cum acido sulfurico aliqua aqua diluto, et oxydo magnesii, evolvetur gaz acidi muriat. oxygen., et invenitur in vasi superstes sulphas sodae, et magnesium aliqua sui oxygenii parte privatum. Bertholletiani arbitrantur, acidum sulfuricum, cum majorem habeat affinitatem cum soda, quam acidum muriat., expellere acidum muriat. a muriate sodae: hoc autem ab oxydo magnesii converti in acidum muriat. oxygen. — Contra Davyani contendunt, hydrogenium acidi muriat. e muriate sodae ab acido sulfurico expulsi demere oxygenium oxydo magnesio, hinc evolvi chloricum (1).

Eadem ratione, qua haec phaenomena, explicat plura alia utraque theoria. — Itaque apparet hanc argumentandi rationem, quamquam per se gravem, hic tamen non sufficere ad litem dirimendam; sed hunc in finem alia esse quaerenda, et advehenda plura argumenta: quae cum ipsa Quaestio indicat, ad primum horum genus transibimus, et videbimus,

(1) *Ann. de Chim.* T. XXIX. p. 24.

mus, quaenam praecipua experimenta faveant sententiae Davyanae, quaenam Berzelianae, sive veteri Bertholletianae. In quibus experimentis enumerandis non tantum ad ipsum acidum muriat. oxygen. attendendum est, sed etiam ad muriaticum: quod nemini mirum videbitur, qui secum reputet, ex mutua horum acidorum in se invicem conversione, utramque partem petere argumenta ad suam theoriam tuendam.

§. I.

Enumeratio et expositio praecipuorum Experimentorum, quibus probare student Davyani, *acidum muriaticum oxygenatum nullum continere oxygenium, sed esse corpus simplex.*

Gaz acidum muriat. oxygen., quo in sua experimenta usus est Davyus, optime paratur, sicut ipse vult, ex tribus partibus salis communis, duabus olei vitrioli, et una peroxydi magnesii: unde ope cupae pneumaticae gaz acidum muriat. oxygen. colligitur (1).

Ta-

(1) Vid. Davy *Elem. de Phil. Chim.* T. I. p. 384.

Talis gaz gravitas ſpecifica est ad gravitatem ſpecificam hydrogenii fere = 33,5 : 2 : et 100 pollicum cubicorum hujus gaz pondus est granorum 76—77.

I. Nulla ratione ex acido muriat. oxygen. elici potest oxygenium, neque igni, neque aliis viis, niſi accedant oxyda, ſive aqua, ſive oxyda metallica, potasſa, ſoda, oxyda ſtibii, ferri.

II. Fluidum Electricum, columna Galvanica decomponunt corpora, quae maximam habent cum oxygenio affinitatem, nec niſi difficillime dimittunt oxygenium (1), ut alcalia (2), terrae (3), acidum Boracicum (4), nul-

(1) *Ann. de Chim.* T. LXIII. p. 172—266. *Journ. de Phyſ.* T. LXIV. p. 420—460.

(2) *Journ. de Phyſ.* T. LXVII. p. 339—364. *Ann. de Chim.* T. LXVI. p. 207—217. Cf. Davy l. l. T. II. p. 353. ſqq.

(3) *Journ. de Phyſ.* T. LXXI. p. 102. ſqq. *Ann. de Chim.* T. LXX. p. 193. ſqq. Cf. Davy l. l. p. 386. ſqq.

(4) *Ann. de Chim.* T. LXVIII. p. 169—174. ubi paucis exponitur parandi ratio, et facultates borii a Thenardo et Gay Lusſac: tum imprimis vid. momentoſisſimum H. Davyi ſpecimen, in quo, ut de ſulfure, phoſphoro, alcalibus, ita de hoc acido boracico praeclare agitur. *Journ. de Phyſ.* T. LXIX. p. 389—397. Cf. Davy l. l. T. I. p. 630. ſqq. *Mem. d'Arcueil* T. II. p. 311. ſqq.

nullam autem vim exercent in acidum muriat. oxygenatum, hoc integrum relinquunt (1).

III. Constat carbonem insignem alere affinitatem cum oxygenio, et ex quibusvis oxydis arripere oxygenium, atque ita varie oxydari, atqui carbo depuratus, candefactione hydrogenio, et aqua expulsis, intactus relinquitur acido muriat. oxygen., non oxydatur, ne in igni quidem vehementiori (2).

IV. Experientia docuit, insignem, quam habeat cum oxygenio affinitatem, basis acidi boracici, borium, (vocant Thenardus et Gilbertus *bore*, Davyus autem *boracium*) neque haec oxydatur ab acido muriatico oxygen. (3).

V. Acida imperfecta, quae avide solent aliis oxydis demere oxygenium, eoque sibi adiuncto converti in perfecta, non convertuntur in perfecta ab acido muriat. oxygen.; ita acidum sulfurosum, non in sulfuricum, nec in nitricum, acidum nitrosum (4). Nec in acidum carbonicum gaz oxydulum carbonii

(1) *Journ. de Phys.* T. LXXI. p. 334.

(2) Fourcroy *Syst. de Chim.* T. II. p. 111. *Mem. d'Arcueil* T. II. p. 343.

(3) Thenard *Trait. de Chim.* T. I. p. 567.

(4) *Mem. d'Arcueil* T. II. p. 345.

nii (1), nec in acidum nitrofum oxydum azoti (2).

VI. Conftat ab altera parte, quanta vi polleat columna Galvanica ad oxyda quaevis decomponenda; ab altera parte, quanta vi attrahat carbo oxygenium: attamen fi acidum muriat. oxyg. et carbo tentantur columna Galvanica, ambo intacta perfiftunt (3).

VI. Si vero contineant carbo, borium, acida imperfecta, aquam, ac tum in contactum ducantur cum acido muriat. oxyg., fingula oxydantur, fimulque nafcitur acidum muriat. (4).

VII. Corpora combustibilia, metalla e. g., potisfimum ex eorum genere, quae facilius in vapores abeunt, hydrargyrum, ftibium, arfenicum, tellurium, zincum, in gaz acido muriat. oxygen. et cito comburuntur, et ita formant fingulares materias, pluribus facultatibus infignes, a Davyo appellatas hydrar-gy-

(1) Ibid. et imprimis *Journ. de Phyf.* T. LXXIII. p. 446. fqq. T. LXXV. p. 412. fqq.

(2) *Mem. d'Arcueil* T. II. p. 345.

(3) *Ann. de Chim*, T. LXXVI. p. 114. *Journ. de Phyf.* T. LXXI. p. 327. ubi eadem leguntur.

(4) *Mem. d'Arcueil* T. II. p. 352. Thenard *Trait. de Chim.* T. I. p. 567. Cf. Thomf. T. V. p. 362.

gyranum, ſtibianum vel antimonianum, arſenicanum, nullum autem prodit gaz oxygenium (1).

VIII. Eorumdem metallorum oxyda in contactum ducantur cum acido muriat. oxygen., formantur eadem corpora, quae in VII. experimento enumeravimus, at expulſum habetur tantum gaz oxygen., quamtum oxygen. continuerint adhibita metallorum oxyda (2). — Hinc cum concluderet Davyus, inſignem alere affinitatem metallorum baſes cum acido muriat. oxyg., et quidem maiorem cum hoc, quam cum oxygenio (3), collegit, muriata ſicca non eſſe copulam oxydi cuiusdam cum acido muriatico, ſed eſſe copulam chlorici cum baſi ipſa (4): quam ſententiam confirmatam ratus est experimentis his duobus proxime ſequentibus.

IX. Acidis boracico et phosphorico ſiccis igni vehementiori tractatis cum ſiccis muriatibus, ſive muriate calcis, barytae, ſive argenti,

(1) *Journ de Phyſ.* T. LXXII. p. 376. ſqq.

(2) *Journ. de Phyſ.* T. LXXII. p. 378. et quae ibi annotantur. *Ann. de Chim.* T. LXXIX. p. 11. ſqq.

(3) *Journ.* laud. l. c. p. 383. et T. LXXI. p. 332.

(4) *Journ.* l. p. 384.

ti, hydrargyri, ne vestigium quidem obſervatur gaz acidi muriat. (1); neque ex muriatibus argenti et hydrargyri carbo depuratus profert acidum muriat. (2). Aliquando ſcilicet nullam arbitratur fieri poſſe decompoſitionem ob maximam, quam cum chlorico habent, baſes alcalium, ceteraque metalla, affinitatem.

X. Eodem modo haec omnia tractentur, addita tantum aqua, et tum large expellitur acidum muriat.; quam acidi expulſionem opinatur Davyus, efficere duplicem afnitatem, alteram chlorici cum hydrogenio, unde acidum muriat., alteram oxygenii cum metallis, quae dein oxydata coniunguutur cum adhibitis acidis (3).

XI.

(1) In hanc rem Gay Luſſac et Thenardus non minus quam Davyus, inquiſiverunt. Vid. *Ann. de Chim.* T. LXIX. vel in ſpecimine memorabili de acido fluorico a Thenardo conſcripto, p. 209. ſqq. Davy *Journ. de Phyſ.* T. LXIX. p. 403. 404. 411. tum *Mem. d'Arcueil* p. 307. 322. 345 et paſſim in illo ſpecimine factum eſt, ut aliquid acidi muriat. obſervatvm fuerit: atqui hoc ortum fuit, quod aliquam aquae copiam retinuerint corpora, in experimentum adhibita: habent enim quaevis muriata, et acidum phosphoricum ſiccum inſignem cum aqua affinitatem.

(2) *Mem. d'Arcueil* T. II. p. 352. ſqq.

(3) Cf. loca laudd.

XI. Stanno et gaz acido muriat. oxyg. calefactis nascitur liquor Libavii (Stannanum) ex quo non expellit gaz ammoniae oxydum stanni, sed liquore ammonia absorbetur, omnisque dein liquor concrescit in massam aliquam singularem, novis proprietatibus instructam (1).

XII. Addatur liquori Libavii aqua, tum formari incipiunt crystalli, ex quibus ammonia expellit oxydum stanni (2): quibus XI. et XII. experimentis volunt Davyani, liquorem Libavii esse copulam chlorci cum stanno: ex eo igitur ammoniam non posse expellere aliquod stanni oxydum, cum stannum non sit oxydatum: stannanum autem decomponi addita aqua; atque huius hydrogenium cum chlorico se iungere, idque vertere in acidum muriat.; oxygenium vero se adiungere stanno; idque oxydatum solvi acido muriat., dein crystallisationem suscipere; ex his tandem crystallis ammoniam ob maiorem suam affinitatem cum acido muriat., quam

quod

(1) *Ann. de Chim.* T. LXXVI. p. 115. 116. 125. *Journ. de Phys.* T. LXXI. p. 328. quacum conf. p. 332.

(2) *Journ. de Phys.* l. l. p. 332.

quod ſtanni oxydum cum eo habeat, expellere ſtannum oxydatum.

XIII. Sulfur oxygenii avidisſimum tractatum cum gaz acido muriat. oxygen. non oxydatur, ſed vertitur in peculiarem liquorem a Thomſono (1) inventum, et a Bertholleto (2), Davyo (3), Gay Lusſac, Thenardo (4), ſaepius ad examen vocatum, pluribusque inſignibus facultatibus memorabilem. Neque hic liquor ab ammonia decomponitur, ſed cum ea concreſcit in pulverem rubeſcentem, purpureum (5).

XIV. Gaz hydrogenio-ſulfurato mixto cum gaz acido muriat. oxygen., formatur acidum muriat., et ſulfur ſuperſtes eſt, non oxydatum, ſed pro parte cum acido muriat. oxyg. iunctum (6).

XV. Phosphoro combusto in gaz acido mu-

(1) Vid. Thomſ. *Syſt. de Chim.* T. I. p. 141.

(2) *Mem. d'Arcueil* T. I. p. 161—179.

(3) *Journ. de Phyſ.* T. LXIX. p. 406. T. LXXI. p. 330.

(4) *Recherch. Phyſic. Chim. et Mem. d'Arcueil.*

(5) *Journ. de Phyſ.* T. LXXI. p. 230. *Ann. de Chim.* T. LXXVI. p. 119.

(6) *Ann. de Chim.* T. LXXVI. p. 124. *Journ. de Phyſ.* l. l. p. 331. Idem obſervarunt Gay Lusſac et Thenard. *Recherch. Phyſico-Chim.* T. II. p. 147.

muriat. oxygen., ſublimis fertur materies alba, et liquor formatur flavo-viridis: utraque autem materies nullum dat indicium, quod contineat acidum phosphoricum aut phosphoroſum: Alba vero materies cum ammonia concreſcit in pulverem album, ex quo ignis aliquantum phosphori profert; quod ſi ſumatur in hoc pulvere ineſſe acidum muriat., aut phosphorum in acidum phosphoricum combuſtione tranſiïſſe, tum igni adhibito, debuiſſet ſublime ferri murias ammoniae, et ſuperſtes eſſe acidum phosphoricum (1).

Sunt quidem Auctores, qui ſcribant, phosphorum converti acido muriat. oxygen. in acidum phosphoricum; ita Fourcroy (2), „ le gaz, inquit, acide muriatique oxygené „ enflamme et change en acide phosphorique „ le phosphore bien ſec, qu'on y plonge:" et Thomſon (3): „ le phosphore brûle „ avec un grand éclat dans le gaz acide mu- „ ria-

(1) *Journ. de Phyſ.* T. LXIX. p. 405. T. LXXI. p. 328. 329. *Ann. de Chim.* T. LXXVI. p. 119. 144. ſqq. T. LXXIX. p. 327. ſqq.

(2) *Syſt. des Conn. Chim.* T. II. p. 110.

(3) *Syſt. de Chim.* T. III. p. 117.

„ riatique oxygené, ou il s'enflamme, dès „ qu'il y est plongé, et il est converti en „ acide phosphorique (1)."

Sed fatendum est, ab iis Chemicis hoc experimentum non satis accurate describi; nam characteres, ex quibus collegerunt, esse conversum phosphorum in acidum phosphoricum, nulli inveniuntur memorati. — Deinde Gay Lussacius, Thenardus et Davyus, hoc idem experimentum repetentes, ulterius probarunt, omnino non phosphorum mutari in acidum phosphoricum gaz acido muriat. oxyg; hinc ipse Thenardus, quamquam sequeretur Bertholletum, scribit (2): „ le phosphore a une très grande action sur le gaz „ acide muriatique oxygené; il a en absorbe „ tout à la fois l'acide et l'oxigène à la „ temperature ordinaire: il a resulté de là du „ *phosphore oximuriaté:*" cuius proprietates, ab acido phosphorico diversas, pergit deinde memorare.

Ita-

(1) Multum disputatum est de actione gaz acidi muriat. oxygen. in phosphorum: Bergmannus contendit phosphorum decomponi hoc gaz, negavit vero Morveau, cuius litis causam ostendit Bertholletus. Vid. *Mem. de l'Acad.* 1785. p. 290.

(2) *Traité de Chim.* T. I. p. 568.

Itaque colligendum esse videtur, Chemicos tum temporis, cum nulli dubitarent, quin gaz acidum muriat. oxyg. contineret oxygenium, omnemque combustionem putarent esse sitam in copula corporis combustibilis cum oxygenio; denique probe scirent, facilem phosphori combustionem in gaz oxygenio; videntes comburi phosphorum tanta vi in gaz acido muriat. oxygen., mox conclusisse; hanc combustionem non esse repetentendam, nisi ex oxygenii acid. muriat. oxyg. connubio cum phosphoro combustibili; atque hinc factum esse, ut non adeo accurata ratione, qua ceterum plurimum excellere solebant, inquisiverint in materiam illa combustione prolatam: qua in opinione maxime eo confirmamur, quod inveniamus nullam ab iis descriptam facultatem, qua varii deinde Chemici probarunt materiam, ex memorata phosphori combustione productam, ab acido phosphorico distinctam esse. Quare monet Davyus (1); „le phosphore, comme per„sonne ne l'ignore, brule dans le gaz acide „oximuriatique, quoique les résultats de „cette combustion n'aient jamais, selon „moi,

(1) *Journ. de Phys.* T. LXIX. p. 405.

„ moi, été examinés avec une ſcrupuleuſe „ attention." Veroſimile quoque potest videri, quod aqua ſuas partes egerit in experimentis a Fourcroy et Thomſono memoratis: ex qua decompoſita facile Davyani explicant originem illius acidi phosphorici; praecipue cum attendatur tum temporis Chemicos non curasſe, ita accurate, quam quidem nunc fit, gaz quaevis ſiccare (1).

XVI. Gaz hydrogenio, quod ſolutum contineat phosphorum, arſenicum, carbonium, immixto gaz muriatico oxyg., formatur acidum muriaticum, relinquuntur cetera corpora non oxydata (2).

XVII. Aqua et aëre additis phosphoro, combusto in gaz acido muriat. oxyg., formantur acida, phosphoricum et muriaticum: admixto autem gaz oxygenio memoratae materiae phosphorinae, oriuntur acidum phosphoricum, et acidum muriat. oxygen. (3).

XVIII. Phosphoranum, ſulfuranum, ſive copulae phosphori et ſulfuris cum chlorico, tentata ſunt apparatu Voltae maiori; neque tum

(1) Thomſ. T. V. pag. 200 ſqq.

(2) *Recherch. Pryſico-Chim.* II. p. 147.

(3) *Journ. de Phyſ.* T. LXXI. p. 332.

tum ullum gaz prodiït, quod si hae miscelae continuissent oxygenium, hoc ait Davyus, tanta vi Galvanica expulsum fuisset. Aliquando observatum est, aliquid gaz hydrogenii prodiïsse, id autem tunc profectum videtur ex humiditate, ipsi apparatui inhaerente; nam deinde eaedem miscelae passae sunt vim columnae, supra memoratae, bis fortiorem, ipso autem hydrargyro, cuius usus in eiusmodi experimentis frequens est, bene cocto, atque igitur aqua expulsa, nihil gaz hydrogenii prodiït (1).

XIX. Sulfuretum plumbi fusum teneatur in acido muriat. oxygen., et obtinebitur liquor ille Thomsoni (cf. exp. XIII. *sulfuranum* vocat Davyus) et *plumbanum*, sive chloricum cum plumbo (murias plumbi secundum Bertholletianos) nullum autem vestigium sulfatis plumbi (2).

XX. Gaz ammoniae immixto gaz acido muriat. oxyg., formatur nulla aqua, sed murias ammoniae siccum, et gaz azotum: scilicet vult Davyus partem ammoniae decomponi, eiusque azotum liberum fieri, hydrogenium vero se iungere cum acido muriat.

oxyg.,

(1) *Journ. de Phys.* t. l. 334.

(2) *Journ. de Phys.* T. LXXIX. p. 264.

oxyg., idque in acidum muriat. conve...
se coniungere cum ammonia reliqua, atque ita constituere murias ammoniae siccum. Gaz autem ammoniae, immisso gaz acido muriat., formatur murias ammoniae siccum, nullaque aqua observatur (1).

XXI. Si *plumbanum* calefiat in gaz acido sulphuroso, nulla horum corporum fit mutatio; unde concludit Davyus, nullum oxygenium inesse in plumbano; in hoc enim, si contentum fuisset, sulfas plumbi ortum fuisset (2).

XXII. Kalium, sive potassium in gaz acido muriat. oxyg. combustionem patitur, vel efficaciorem, quam in gaz oxygenio (3), cumque eo coniunctum constituit corpus siccum, simillimum muriati potassae siccissimo, igni minime mutandum; inque hac combustione nulla aqua producitur (4); porro si potassa pu-

(1) *Journ. de Phys.* T. LXXI. p. 330. T. LXXIX. p. 265. 266. *Ann. de Chim.* T. LXXVI. p. 119. 120.

(2) *Journ. de Phys.* T. LXXIX. p. 265.

(3) *Ann. de Chim.* T. LXVI. p. 212. *Journ. de Phys.* T. LXVII. p. 364. T. LXXII. p. 359 sqq.

(4) *Ann. de Chim.* T. LXXVIII. p. 303. 322. 326. *Journ. de Phys.* l. l. p.

pura, non hydratea (1), formata ex combusto kalio in gaz oxygenio ſicco, in contactum ducatur cum gaz acido muriat. oxygen., hoc ſe cum kalio coniungit, at expellitur tantum oxygenii, quantum oxygenii kalium in combustione ex gaz oxygenio ſibi adiunxerit (2).

XXIII. Potasſa ſicca, ex combusto potasſio in gaz oxygenio producta, ſi in contactum adducatur cum gaz acido muriat., formatur aqua: quam arbitrantur Davyani non posſe oriri in hoc experimento, niſi hydrogenium acidi muriat. copulam inire dicas cum oxygenio potasſae (3).

XXIV. Si volumina duo aequalia gaz hydrogenii et acidi muriat. oxyg., ſive calore, ſive radiis ſolaribus, ſive ſcintillis electricis tentantur, rediguntur in unum volumen, idque acidi muriatici, aqua ſub nebulae ſpecie depoſita (4).

XXV. Si volumina gaz acidi muriat. = 20 in

(1) Thenard *Traité de Chim.* T. II. p. *Journ. de Phyſ.* l. l. p. p. 369 ſqq.

(2) *Ann. de Chim.* T. LXXVIII. p. 309—324.

(3) *Ann. de Chim.* T. LXXVIII. p. 324.

(4) *Journ. de Phyſ.* T. LXXI. p. 331.

in contactum ducantur cum potasſio, oritur gaz hyarogenium, cuius volumen = 9—11, dum chloricum ſeſe iungit cum potasſio (1).

XXVI. Si ſtannum et zincum calefiant in gaz acido muriat., evolvitur gaz hydrogenium, cuius volumen continet dimidium gaz acidi muriat. adhibiti, et restant *ſtannanum* et *zincanum* (copulae chlorici cum ſtanno et zinco) talia, qualia comparantur, combustis ſtanno et zinco in gaz muriat. oxyg. (2).

XXVII. Si oxydum plumbi fuſum, modico calore in contactum ducatur cum gaz acido muriat., formatur aqua (3).

Haec ſunt praecipua experimenta a Davyo inſtituta, quae ſuae ipſe de acidi muriat. oxyg. natura theoriae probationi ſufficere arbitratus est. — Quibus omnibus perpenſis ad Davyanam theoriam ſequentia videntur effici.

I. II. experimenta docent, nullo modo ex acido muriat. oxygen., igni, Galvanismo, posſe elici oxygenium.

III.

(1) Ibid. *Ann. de Chim.* T. LXX. p. 58. 59. *Journ. de Phyſ.* l. l. T. . . p. 59—61.

(2) *Journ. de Phyſ.* T. LXXI. p. 332.

(3) *Mem. d'Arcueil* T. II. p. 320. *Ann. de Chim.* T. LXXIX. p. 24.

III. IV. V. VI. XIV. docent corpora maxime oxydabilia in acido muriat. oxyg. non oxydari, ſed intacta relinqui.

XVIII. XIX. XXI. docent ex corporibus cum acido muriat. oxyg. iunctis, nullum posſe elici oxygenium.

VII. XIII. XV. corpora combustibilia magnam habere affinitatem cum acido muriat. oxyg.

VIII. XXI. metalla maiorem alere affinitatem cum acido muriat. oxyg., quam cum oxygenio: expellunt enim tantam oxygenii copiam, quantam contineant.

XIV. XVI. XXIV. docent, ſi hydrogenium accedat ad gaz acidum muriat. oxyg., formari acidum muriat.; et unum volumen gaz hydrogenii, et unum gaz acidi muriat. oxyg. converti in acidum muriat.

XXV. XXVI. tantum gaz hydrogenium evolvi, quantum ex aliis concluditur experimentis continere acidum muriat., tumque hoc esſe converſum in acidum muriat. oygen.

XX. gaz acidum muriat. nullam continere aquam.

VI. X. XII. XVII. docent ex copulis acidi muriat. oxyg. proferri acidum muriat., modo accedat aqua: quae copulae cum corporibus ſic-

ſiccis tractatae nullum illius indicium dederunt ex Exp. XI. XIII. XV.

Quibus experimentis cunctis, collectis, et varia ratione compoſitis, imprimis III. IV. V. VI. collatis cum VII. XIII. XV. – VII. XXI. cum XXV. XXVI. – XX. cum XIV. XVI. XXIV. – VI. X. XII. XVII. cum XI. XIII XV. apparet origo et fons theoriae Davyanae, acidum muriat. oxyg. nihil oxygenii continere.

Deinde horum omnium ratione habita, cum IX. Exp. probet concluſionen ex VII. XIII. XV. deductam, magnam nimirum eſſe affinitatem corporum cum chlorico, intelligitur ratio, cur muriata habuerit Davyus pro copulis baſium cum chlorico.

Denique, his cunctis inter ſe collatis XIV. XVI. XXIV. XXV. XXVI. cum confirment concluſionem ex X. XII. deductam, apparet ratio, quare Davyus acidum muriat. contenderit conſtare chlorico et hydrogenio.

§. 2.

Enumeratio atque expoſitio Experimentorum, quibus Bertholletiani *conantur probare, acidum muriaticum oxygenatum componi acido muriatico et oxygenio.*

Prius autem, quam ſingula experimenta percurramus, notandum est, quo genere experimentorum uſi fuerint Phyſici, quibus theoriam Bertholletianam confirmarent.

Primum genus complectetur experimenta, quae exhibuerunt phaenomena contraria iis, quae ex ſuis experimentis elicuerat Davyus.

Alterum genus complectetur experimenta, ex quibus ope doctrinae proportionum definitarum rationes deducunt adverſarii, quibus oppugnent theoriam Davyanam.

Igitur primum de aqua videamus. Quare experimenta, quibus probare volunt Phyſici, aquam contineri in gaz acido muriatico, recenſebimus.

Principes, qui id probare ſtuduerunt fuerunt Gay Lusſacius et Thenardus (1).

Ni-

(1) *Mem. d'Arcueil* T. II. p. 317—323. 339 ſqq. tum umprimis *Recherch. Phyſico-Chim.* T. II. p. 94 ſqq. p. 118—138. 155.

Nimirum Gay Lusſacius et Thenardus inquirentes in acidum fluoricum, invenerunt hoc egregium esſe auxilium ad indicandam aquam hygrometrice in aliis gaz contentam (1), atque id ex plurimis gaz quibuscum in contactu verſaretur, vapores aqueos elicere, nullos autem ex gaz acido muriat. (2): cumque Henryum docere meminisſent, ſi torrens ſcintillarum electricarum transmittatur per gaz acidum muriat., formari acidum muriat. oxygen., et gaz hydrogenium, collegerunt aquam in gaz acido muriat., non hygrometrice inhaerere, ſed omnino chemice intima affinitate contineri (3), hinc occaſionem arripuerunt ulterius in hanc rem indagandi, multisque inſtitutis experimentis determinare conati ſunt copiam aquae quam gaz acidum muriat. contineret.

I. Transmiſerunt calore modico gaz acidum muriat. per lithargyrium fuſum, et obtinuerunt aquam (4).

II. Solvimus, aiunt Gay Lusſacius et The-

(1) *Mem. d'Arcueil.* T. II. p. 317 ſqq.

(2) Ibid.

(3) Thenard *Traité de Chim.* T. I. p. 586.

(4) *Mem. d'Arcueil* l. l. p. 320.

Thenardus in aqua, 27,151 gram. gaz acidi muriatici, refrigefacti ad gradum — 20: dein hac ſolutione in contactum ducta cum nitrate argenti, obtinuimus murias argenti, cuius pondus erat 106,82 gram., in hoc muriate igitur erant 20,61 gram. acidi ſicci: componitur enim murias argenti

100,00 argenti
7,60 oxygenii
25,71 acidi.

Itaque concluſerunt 27,151 gram. acidi muriat. continere 6,54 gram. aquae aut ſi ratio habeatur ponderis ſui 0,210 aquae. Haec autem quantitas aquae continet fere ſatis oxygenii ad efficiendum oxydum, necesſarium ad ſaturationem acidi cum aqua copulati, nam in muriate argenti oxygenium est ad acidum = 1 ; 3,38 et in gaz acido muriat. ratio 1 : 3,53 (1).

III. Deinde transmiſerunt per limaturam ferri, igni rubentem, gaz acidum muriat. et invenerunt evolvi gaz hydrogenium; ſimulque multum muriatis ferri; ceterum vero ferrum ſuperſtes manſisſe integrum: quae omnia cenſebant probare gaz acidum muriat. hic con-

(1) *Mem. d'Arcueil* l. l. p. 339. 540.

continuisse tantum aquae ad oxydandum omne ferrum, quod acidum potuit solvere, atque hoc experimentum probasse, gaz acidi muriatici continere 0,251 pondus aquae (1).

IV. Ab altera parte invenerunt aequales partes gaz acidi muriat. oxyg., et gaz hydrogenii converti in gaz muriat. vulgare, nullam autem aquam deponi: invenerunt porro gravitatem specificam gaz muriat. oxyg. esse = 2,470, aëre assumto pro unitate, sequi igitur existimant, si inde detrahatur pondus dimidiae partis 0,5517, huic vero addatur pondus 0,0732 partis hydrogenii ad formandam aquam, quantitatem acidi muriatici expressi

per 2, 470 + 0,0732 = 2,5432 continere

0,5517 + 0,0732 = 0,6249 aquae

aut ponderis sui 0,2457 aquae. Quae quantitas cum fere conveniat cum praecedentibus computationibus, concluserunt gaz acidum muriat. vulgare continere 0,25 ponderis aquae (2).

V. Davyus ipse primus quando cum potassio tentabat acidum muriat., suspicatus est,

aquam

(1) *Mem. d'Arcueil* et p. 341.

(2) *Mem. d'Arcueil* l. l. p. 341. 342.

aquam contineri gaz acido muriatico. Potassium nimirum et gaz acidum muriat. in contactum ducens obtinuit sal album, volumen autem gaz hydrogenii emissum aequale $\frac{1}{3}$ volumini gaz acidi muriatici, unde candide suo more Davyus, ad finem anni 1808 declaravit, „ je n'acquis aucune preuve que l'acide muriatique eut été decomposé dans les experiences; mais c'etait une raison pour moi de le regarder comme renfermant dans son état aëriforme ordinaire, au moins un tiers de son poids d'eau (1)."

VI. Deinde cum experirentur (sicut iam vidimus,) nulla ratione ex muriatibus siccis posse extrahi acidum muriat., ejus autem magnam copiam comparari, modo ad haec accesserit aqua, ex his et similibus aliis, (quae cum eamdem rem eadem ratione exponant et probent, non opus esse videtur enarrare) experimentis concluserunt Gay Lussacius et Thenardus acidum muriat. non posse existere gazforme absque aqua, quartam autem continere aquae partem ponderis (2); gaz acidum muriat. con-

(1) *Journ. de Phys.* T. LXIX. p. 403.

(2) *Mem. d'Arcueil* l. l. p. 345. *Recherch. Physico-Chim.* T. II. p. 90. sqq. Thenard *Traité de Chim.* T. I. p. 585 in annotat.

continere ſatis aquae ad oxydanda metalla, quae posſint deinde acido muriat. ſolvi; exinde autem oriri difficultates vix ſuperandas directe acidi muriatici decomponendi; porro contenderunt, cum neque ſulfur, phosphorus, carbo purgatus detrahere valerent oxygenium ab acido muriat. oxyg.; oxygenium non, ſicut alii voluerunt, facile posſe avelli ab acido muriat. oxyg., ſed omnino cum hoc ſumma affinitate iunctum esſe, neque niſi ope aquae, vel hydrogenii, ex acido muriat. oxyg. posſe acquiri gaz acidum muriaticum (1).

Deinde omnes Davyi adverſarii theſin ut probatam asſumſerunt, non posſe exiſtere gaz acidum muriat. ſine aqua: ipſi enim fatebantur, duas tantum esſe vias demonſtrandi in acido muriat. oxyg. inesſe oxygenium: alteram, directe probandi omnino contineri oxygenium illo; alteram monſtrandi, inesſe aquam in gaz acido muriat., cum illa prorſus videretur abſtruſa, hanc retinuerunt, omnibusque nervis intentis probare ſtuduerunt. Nulla vero argumenta aut experimenta in hujus asſumtionis probati-

(1) *Mem. d'Arcueil* l. l. p. 339 ſqq.

tionem addiderunt supra memoratis Gay Lussacii et Thenardii.

Sumentes igitur aquam inesse gaz acido muriat., plura experimenta, supra memorata Davyana, in suum usum converterunt, atque ex veteri theoria explicuerunt: ad quae pertinent:

Dicit Davyus (cf. Exp. XXIV. XXV. XXVI.) si hydrogenium se cum chlorico iungit, formari gaz acidum muriat.; contra hi putant hydrogenium se iungere oxygenio acidi muriat. oxyg., formarique aquam, quae mox se iungat cum acido muriat., et formet gaz acidum muriat.; deinde si oxydum quoddam cum acido muriat. oxyg. in contactu versatur, provenire gaz oxygenium non ex oxydo, sed ex acido muriat. oxyg; formari enim murias adhibiti oxydi: porro quod ex muriatibus siccis acidum muriat. non acquiratur, inde oriri, quod hoc gaz absque aqua non possit existere; quod sicut vidimus, Davyus explicat, ex magna chlorici affinitate cum basi, assumens acidum muriat. colligi, si adiectae aquae hydrogenium cum chlorico copulam inierit vid. Exp. VIII. XXI.

Ita Exp. VI. IX. X. XVI. XVII. eadem ra-

ratione vetus theoria explicat, quas expositiones, dum ex uno eodemque fonte proficiscuntur, enarrare non opus est.

Davyus vero cum suam theoriam invenisset, mox ostendere coepit, hypothesin, gaz acidum muriat. non existere nisi aquae ope, niti hypothesi, oxygenium contineri in acido muriat. oxyg.; nunquam enim oxygenium comparari ex eo, nisi aqua accesserit, ex qua facillime omnia exponi possint phaenomena; neque suam theoriam infringi definita illa gaz hydrogenii evoluti copia, et definita illa (quam fictam habet) oxydatione metalli; definitam enim esse debere gaz hydrogenii, quod emittatur, copiam, cum certa quaedam sit copula hydrogenii cum chlorico: definitam debere solvi metalli quantitatem, cum certa quaedam sit copula metalli et chlorici; itaque definitam esse debere rationem inter gaz hydrogenium emissum et metallum solutum; igitur hydrogenium non aliter expelli metallo, quam metallorum oxyda solent expelli alcalibus: porro praecipue provocat ad experimenta, VIII. XX. XXII.

Deinde probare voluit Curaudavius dubium esse, haberi aquam in gaz muriatico, imprimis hoc experimento: carbo et alcalia

ſi igni vehementisſimo tententur, ultimae aquae particulae (ſunt enim alcalia hydrates) ſeparantur et decomponuntur (1): inſigni vero affinitate cohaeret aqua illa cum alcalibus: atqui gaz acidum muriat., et carbo purgatus, ſi igni vehementiori tractentur, nulla fit decompoſitionis neque acidi neque carbonis umbra. Igitur vult Curaudavius, ſi contineret gaz acidum muriat. aquam, mirum videri, quod tum etiam non decomponeretur. Idem hoc experimentum repetiverunt Gay Lusſacius et Thenardus, eundemque obtinuerunt eventum; quem tamen explicuerunt ex memorata illa aquae affinitate cum gaz muriatico (2).

Videtur autem ſpecioſum argumentum adduxisſe Suchomlinovius in commodum theoriae Davyanae. Sumunt, ait (3), adverſarii Davyi, baſin acidi muriat. tantam habere affinitatem cum oxygenio, ut ab hoc avelli nequeat; deinde gaz acidum muriat. non exiſtere niſi ope aquae. Atqui principia,

(1) *Journ. de Phyſ.* T. LXVI. p. 320—323. 452. 456.

(2) *Journ. de Phyſ.* T. XXIII. p. 122.

(3) *Repertorium für die Pharmacie* von J. A. Büchner Band V. Heft I. p. 53. 54. cf. *Ann. de Gilbert.* T. LVII.

pia, quae magnam habent cum oxygenio affinitatem, formant acida absque aqua; ut phosphorus, sulfur: igitur sibi ipsi repugnant, qui opinentur acidum muriat. magnam habere affinitatem cum oxygenio, nec tamen posse existere sine aqua. Est vero animadvertendum, tueri alios acida, quamvis magna in iis basium sit cum oxygenio affinitas, absque aqua non posse existere (1).

Quibus omnibus collectis, patet, si modo spectamus phaenomenorum expositionem, aequalem esse utruisque theoriae causam: sive enim assumatur, gaz acidum muriaticum, ut existat, indigere aqua; sive hac facile carere, aeque facilem esse phaenomenorum expositionem (2). Unde factum est ut ipsis The-

(1) *Mem. d'Arcueil* l. l. p. 319. *Journ. de Phys.* T. LXXXII. p. 308.

(2) Hinc in scriptione, in qua experimenta Murrayana describuntur (*Journ. de Phys.* T. LXXIV. p. 454) leguntur sequentia: „ Si l'on prouve, qu'il existe de l'eau dans ce „ gaz (gaz acide muriatique) on aura demontré la fausseté „ de l'hypothèse de M. Davy: La difficulté git à trouver „ dans cette recherche une experience concluante; car telle „ est la facilité, avec laquelle les deux hypothèses peuvent „ s'adapter aux phenomènes, que dans prèsque tous les cas „ l'action du gaz oximuriatique, ou celle du gaz acide „ mu-

Thenardio et Gay Lusſacio in mentem venerit eadem fere, quae deinde ſtabilita est Davyana, theoria: dicunt enim (1): „ ne „ ſerait il pas posſible pourtant, que l'oxy- „ gène et l'hydrogène fusſent deux des prin- „ cipes conſtituans, deux gaz acides muria- „ tiques, et qu'il ne s'en format, q'au mo- „ ment, ou cet acide entrerait en combi- „ naiſon avec les corps; enſorte, que dans „ le muriate il ſerait tout autre, qu'à l'etat „ de gaz (2). Les phenomènes, que pre- „ ſentent les gaz muriatiques oxygènes, s'ex- „ pliquent asſes bien dans l'hypothèſe, que „ ce gaz est un corps ſimple:" neque hanc litem igitur liquet plene esſe dirimendam, niſi inveniatur materies, quae nullum oxygenium, nullamque aquam continens, habeat facultatem ſeſe cum gaz acido muriat. iungendi, cumque hoc coniuncta, exiguum omnino cum aqua habeat affinitatem: tum enim patere necesſe est, ſi gaz muriat. aquam contineat, hanc omnem deponi et elici. Superior vero esſet Davy-

ana

„ muriatique, s'explique egalement bien dans l'un ou l'autre „ ſyſtème."

(1) *Mem. d'Arcueil* l. l. p. 321. 322.

(2) *Mem. d'Arcueil* l. l. p. 357. 358.

ana causa ex exper. XX.; ni pars altera et suo experimento niteretur, cuius auctoritatem nondum minuere potuisse videntur Davyani; nimirum gaz acidum muriat. posse oxydare tantum metalli, quantum potest solvere acidum muriaticum: repetunt vero hanc oxydationem ex oxygenio aquae, quam inhaerere in gaz acid. muriat. suspicantur. Itaque progrediamur, et videamus de experimentis, quae praeclaris Chemicis exhibuisse visa sunt phoenomena, contraria iis, quae ex iisdem elicuerat Davyus.

Experimentum Davyanum, gaz oxyduli carbonis acido muriat. oxyg. non in acidum carbonicum verti, in dubium vocavit Murrayus. Verum cum experimenta deinde ab J. Davyo instituta in haec duo gaz, docuerint, novum corpus oriri ex hisce duobus, quid sit hoc gaz oxyduli carbonis, paucis videamus. Et mox, ubi investigabitur historia huius acidi, constabit, iam plures chemicos hoc gaz exercuisse et occupasse: nam iam ab eo tempore, quo primus Priestleius (1), qui tamen ipse eius indolem ignorabat, mentionem huius gaz fecit, pluri-

(1) Thoms. l. l. T. II. p. 497.

rimorum phyſicorum attentionem in ſe detinuit, ut Cruikshankii, qui eius indolem detexit, Deſormeſii et Clementii, qui eius proprietates diligenter indagarunt (1), et Bertholleti (2), qui probare ſtuduit, etiam hydrogenium in eo contineri. — Varia est eius praeparatio, ex quibus optima est, ſi oxydum zinci cum carbone rite calcinato calefiat, tum zincum, amiſso oxygenio, ſublime fertur, carbonium autem ex oxydo zinci, oxygenio ſibi adiuncto, vertitur in gaz oxydulum carbonis (3): 100 eius partes conſtant 41–43 carbonis, et 57–59 oxygenii: deinde haec ipſa carbonii quantitas fatigavit Phyſicos, cum viderent, gravitatem huius gaz esſe minorem gravitate ſpecifica gaz acidi carbonici, cum hoc tamen minorem contineret quantitatem carbonii illo (4): at in tranſitu liceat animadvertere, fieri posſe, ut carbonium, dum conditionem gazformen induit, fiat levius ipſo gaz oxygenio: dein-

(1) Thomſ. l. l. p. 497 ſqq. cf. *Ann. de Chim.* T. XXXIX. p. 88 ſqq.

(2) Thomſ. l. l. p. 510.

(3) Thomſ. l. l. p. 499—502. Thenard *Syſt. de Chim.* T. I. p. 472. 473.

(4) Davy *El. de Phil. Chim.* T. I. p. 597.

deinde gravitatem corporum gaz-formium, non esse in ratione densitatis liquorum aut solidorum, unde formata sunt: aethera enim fluidum esse levius aqua, eius autem vaporem esse graviorem aquae vapore.

Videamus iam de Murrayi obiectionibus. Murrayus lumini exposuit miscelam unius voluminis gaz oxydi carbonii, atque unius gaz hydrogenii cum duobus gaz acidi muriat. oxyg. voluminibus: 36 horis post addit et huic miscelae gaz ammoniae ad saturationem: quo facto invenit maiorem partem oxydi carbonii disparuisse; at alteram salis ammoniaci partem (erat enim altera pars salis ammoniaci murias ammoniae) effervescere addito acido nitrico diluto: igitur conclusit esse probatum, formatum fuisse acidum carbonicum, ut ea de re nullum dubium superesset (1).

Quo accepto, repetivit J. Davyus experimentum Murrayanum: miscelae vero gazozae ammonia addita, nullum superstes invenit vestigium oxydi carbonici, reliqua vero eadem, quae Murrayus; quare sine hydrogenio gaz acidum muriat. oxyg., et gaz oxy-
da-

(1) *Journ. de Phys.* T. LXXIII. p. 446.

datum carbonicum lumini expoſuit, quibus addita ammonia, eundem quem memoravimus, obtinuit eventum (1).

Itaque in tubo ſupra mercurium ſiccum expoſitam luci miſcelam aequalium voluminum gaz oxydi carbon., et acidi muriat. oxyg., obſervavit Davyus cum Brandio, quem ſuorum experimentorum reddiderat participem, ita condenſari, ut redigeretur in dimidium volumen: deinde hoc gaz condenſatum eſſe acidum, vertens colores plantarum coeruleos in rubros, aqua porro abſorberi, avide vero ab ammonia, cumque ea converti in ſal neutrum, deliqueſcens, tale, quale experimento Murrayano acquirebatur: at vero ex eo non ſeparari baſin alcalinam per acidum aceticum (2).

Igitur concluſit Davyus non ineſſe in illa ſalina miſcela ammoniacali acidum carbonicum: hoc enim ſi infuiſſet, expulſum fore acido acetico, quippe maiorem cum ammonia alente affinitatem, quam acidum carbonicum. Unde collegit, Murrayum non deceptum fu-

(1) *Journ. de Phyſ.* l. l.
(2) Ibid. p. 447.

fuisse in obfervando facto, fed in explicando: ut enim acidum nitricum dilutum ex illa mifcela expellat acidum carbonicum, inde fieri, quod aqua praefens in acido nitrico diluto decomponatur, eiusque hydrogenium adiunctum acido muriat. oxygen., hoc ipfum vertat in acidum muriat., oxygenium vero additum oxydo carbonii, id ipfum vertat in acidum carbonicum: quam fententiam confirmari putat hoc experimento; ut novum hoc gaz per fcintillulas electricas non comburatur oxygenio aut hydrogenio feorfum immifto; fed vehementer per fcintillulas electricas detonet, in mifcela iufta oxygenii et hydrogenii fimul, ac tum proferatur gaz acidum muriat., et gaz acidum carbonicum. Cuius experimenti num tanta fit vis et auctoritas, quantas huic tribuit Davyus, nolo amplius inveftigare. Est enim experimentum, quo fuam fententiam extra omnem dubitationem pofuisfe mihi videtur Davyus: estque fequens. Stannum, zincum, antimonium fupra mercurium calefacta, gaz ex acido muriat. oxyg., et gaz oxydo carbonico conftans, fubito decomponunt: quo facto prodit volumen gaz oxydi carbonici = omni volumini gaz memorati, antequam decomponeretur;

 et

et ſuperest vel *ſtannanum*, vel *antimonianum*, tale, quale comparatur ſi memorata metalla comburantur in acido muriat. oxyg. (1). Vidimus autem novum hoc gaz componi aequalibus voluminibus gaz oxydi carbonici, et gaz acidi muriat. oxyg.; vidimus ſimul, quando ope lucis copulam ineant haec gaz, ita ambo condenſari, ut tantum ſuperſit dimidium volumen; igitur cum ſequitur volumen gaz oxydi carbonici ſolius esſe = volumini integri novi gaz, ex ambobus formati: idque in experimento eiusmodi fuerit, manifeſtum est, in eo nihil acidi carbonici naſci; quod ſi factum fuisſet, longe aliam voluminis rationem habuisſet gazoza materies. Nondum tamen acquievit Murrayus in hac Davyana ſententia, ſed rurſus ſuam opinionem recoxit, duplici hoc argumento: quorum altero, petito ex auctoritate Thenardii et Gay Lusſacii, probare ſtuduit, aliquot extitisſe cauſas, quare tale gaz, quale deſcripſerat, obtinuisſet Davyus: altero refellere conatus est, datam a Davyo de ipſius acido carbonico expoſitionem (2).

Pri-

(1) *Journ. de Phyſ.* T. LXXIII. p. 447—448.
(2) *Journ. de Phyſ.* T. LXXIV. p. 264—268.

Primum argumentum legerat Murrayus apud Thenardum et Gay Lussacium (1) his verbis: „ à quelque dose qu'on ait melé „ le gaz acide muriatique oxygené sec, et „ le gaz oxyde de carbone, preparé avec le „ fer et le carbonate de baryte; quelque „ forte qu'ait été la lumière, à laquelle on „ les à exposé; enfin, quelque long qu'ait été „ le contact il n'y a point eu d'action, ce qui „ est une nouvelle preuve, que ce gaz ne „ contient pas d'hydrogène." — Itaque consentientes habet Davyus Thenardium et Gay Lussacium, quod in acidum carbonicum non vertatur gaz oxydum carbonii acido muriat. oxyg., dissentientes vero in eo, quod novum illud Davyanum gaz non observaverint. Verum legimus in diario scientiarum Physicarum Gallico (2): „ M. M. Gay „ Lussac et Thenard sont loin de sou- „ tenir contre M. J. Davy, que le gaz „ acide muriatique oxygené ne peut pas se „ combiner avec le gaz oxide de carbone: „ car ils ont repetés ses principales expe- „ riences, et les ont trouvées très exactes. „ S'ils

(1) *Recherch. Physico-Chim.* V. II. p. 192.

(2) *Journ. de Physiq.* T. LXXV. p. 410 in annotat.

„ S'ils ont imprimé dans leurs Réch. Physico-
„ Chim ; que le gaz muriatique oxygéné
„ etait sans action sur le gaz oxyde de car-
„ bone, c'est qu'alors le Mem. de M. J.
„ Davy n'etait pas connu." — Itaque hoc argumentum non confirmat aut sustinet Murrayum, sed debilitat et penitus opprimit, qui sibi ipse, quibus capiatur, tendit laqueos.

Alterum argumentum videtur speciose excogitatum. Huius vis haec est.

Vult, inquit Murrayus, Davyus originem acidi carbonici mei deducere ab aqua, in acido nitrico contenta, et sali ammoniacali addita, ut aqua non possit ad hanc miscelam salinam accedere, quin mox decomponatur, et scribit tamen, gaz suum novum absorberi aqua (1). Sed notandum est, Murrayum videri non satis attendisse ad ea, quae dixit J. Davyus: qui scripsit quidem, aqua lente absorberi novum gaz; non tamen addidit, hoc gaz, dum absorbetur, integrum persistere, neque aquam decomponere (2): at vero deinceps, quum ad diligentissimum ex-

(1) *Journ. de Phys.* T. LXXIV. p. 267. 268.

(2) *Journ. de Phys.* l. l. p. 268 in annot.

examen vocaret Davyus hoc gaz novum, id ipsum utique invenit, aquam decomponere, et tum formari acida carbonicum et muriat. (1). — Itaque apparet, Murrayum obiiciendo magis profuisse theoriae Davyanae, quam nocuisse; et omnino confirmasse experimenta Davyana, quibus Davyus voluit, acidum muriat. oxyg. non convertere gaz oxydum carbonis in acidum carbonicum.

Plures autem huius novi gaz proprietates dein memoravit J. Davyus, quas enarrandi hic locus non est (2); vocavitque hoc gaz, *phosphogène*, a Φως lumen, *γινομαι* fio, gaz luminis ope prolatum (3).

Hoc autem enarrato experimento, non tacendum est, videri aliquod partium studium abripuisse doctum Murrayum, eumque eo deduxisse, ut nimis acriter in utrumque Davyum animadverteret: his enim obiecit, ipsos in memorato experimento acidum carbonicum non observasse, quia aut negligenter in rem inquirerent, aut sibi in observationum

(1) *Journ. de Phys.* T. LXXV. p. 412. 413.
(2) Ibid. p. 410—415.
(3) Ibid. n. 415.

num eventibus, non caverent ab ambiguitate aut errore; deinde eorum theoriam esſe hypotheticam (1). Hinc factum est, ut Davyus uterque Murrayo ſubiratus fuerit: adeo ut H. Davyus vocaverit Murrayum ingenioſum quidem chemicum, verumtamen ſtudioſum hypotheſium defenſorem (2). J. autem Davyus aegrius ferens ſuam a Murrayo perſtrinctionem, illum in exemplum propoſuerit hominis, qui captus praeoccupatis opinionibus, dilectae hypotheſi tenaciter adhaereat, Baconis uſus verbis: „ *quod* „ *mavult homo esſe verum, id facile credit* (3).” Quae in Murrayum animadverſio, ſi nimis acerba videatur, mirum tamen videri non potest, obiectiones oxydum carbonicum omnino converti acido muriat. oxyg. in acidum carbonicum, aliquam Davyis movisſe bilem: ſi enim probarint, omnino non oxydari carbonem, neque carbonis oxydum converti in gaz acidum carbonicum acido muriat. oxyg. mox in promtu habent veteris theoriae defenſores, id non fieri, quia maior ſit affinitas

(1) *Journ. de Phyſ.* T. LXXXIII. p. 448.
(2) *Jonrn. de Phyſ.* T. LXXII. p. 386 in annot.
(3) *Journ. de Phyſ.* T. LXXIII. p. 448.

tas oxygenii cum acido muriat. oxyg., quam cum carbonio: contra, dum ex aliis probetur maxima affinitas carbonis cum oxygenio, contendunt tamen acidum muriat. oxyg. posse oxydare carbonem. Atque hic novo probatur exemplo, nihil magis valere ad confirmandam sive experimenti, sive hypotheseos, sive theoriae auctoritatem, quam huius ipsius adversariorum dubitationes et obloquia.

Tandem animadvertit Murrayus, Davyum etiam in errorem fuisse deductum, si per scintillas electricas comburens gaz hydrogenium carbonatum in gaz acido muriat. oxygen., non detexerit gaz acidum carbonicum: hoc affirmans, in eo experimento omnino proferri, eiusque originem non posse explicari, nisi sumas oxygenium in acido muriat. oxyg. contineri (1). At Davyus hanc Murrayi obiectionem refellit, non quidem negando memoratum experimenti eventum, sed demonstrando, hunc unum, neque alium potuisse observari. Scilicet adhibuerat Murrayus gaz hydrogenium carbonatum ex carbone humectato, deinde igni can-

(1) l. l. p. 449.

candefacto, prolatum: atque iam Henryus docuit, tale gaz non esse merum gaz hydrogenium carbonatum, sed esse miscelam ex hoc gaz et oxydo carbonii; deinde si in hoc gaz per aquam calcis transmittatur gaz acidum muriat. oxyg., turbari aquam calcis, *acido carbonico formato*, et iuncto cum calce (1). Itaque fieri potuit, ut gaza a Murrayo adhibita, aliquam aquam continuerint, quod si sumatur, omne experimentum Murrayanum facile explicatur; parum enim oxygenii indiget illud carbonii oxydum, ut in acidum carbonicum vertatur. Quidquid sit, omnino non proferri acidum carbonicum ex hydrogenio carbonato, immixto gaz muriat. oxyg., effici videtur: quia deinde J. Davyus omni ope nixus fuit, ut esset utrumque gaz siccum; quo facto miscela combusta nullum gaz acidum carbonicum obtinuit (2): deinde, quia cum Davyo consentiunt physici, et huius aevi, et proxime antecedentis Fourcroyus (3), Thenardus (4), qui ambo scribunt, agere gaz

(1) l. l.

(2) l. l. p. 445.

(3) *Syst. des Conn. Chim.* T. II. p. 111.

(4) *Trait. de Chim.* T. I. p. 579. 580: carbonium expelli

gaz acidum muriat. oxyg. in gaz hydrogenium carbonatum, velut esset merum gaz hydrogenium: omne enim carbonium in gaz hydrogenio carbonato contentum, praecipitari, hydrogenium solum comburi.

Tertio, quia vidimus, carbonem purgatum ne in igni quidem vehementiori, ullo modo affici gaz muriatico oxyg.

Quarto, si gaz hydrogenium carbonatum ita est compositum, ut contineant eius 100 partes, 79,67 carbonii, 20,33 hydrogenii, (quod est gaz, quod dicitur *oléfiant* (1)) in con-

pelli scribit Fourcroyus; quod phaenomenon Thoms. vocat, explicatu difficile. (T. V. p. 359)

(1) Debetur haec momentosa inventio celebri illi Chemicorum Amstelaedamensium societati, cuius merita, erant enim plurima, in confirmanda theoria Lavoisieriana, quae dicitur Antiphlogistica, non tantum magni aestimarunt nostrates, sed externi etiam, prae ceteris Galli, summis celebrarunt laudibus. Sunt alia, eaque plura et memorabilia a Deimanno, Paets van Troostwijk, Bondtio, Nieuwlandio, aliisque qui ad hanc societatem, pertinuerunt, inventa, quae magni aestimat item ipse magnus chemicus Fourcroyus, ita plurimi huius gaz inventionem: „ les ingé„ nieuses, inquit (*Ann. de Chim.* T. LXVI. p. 219 et ll. ibi citt.) „ récherches des chimistes Hollandais sur le gaz „ oléfiant, sont du petit nombre de celles, qui fournissent „ de nouvelles vues; elles tiendront, ainsi que celles, qu'on „ leur

contactum ducatur cum gaz acido muriat. oxyg. non formatur acidum carbonicum, sed materies illa oleosa, nostratibus primum observata (1).

Denique, quia ipse Berzelius concedit, minime oxydari carbonem ab acido muriato oxyg. (2). Ipse quoque Murrayus deinceps in responso ad J. Davyum hanc rem prorsus missam facit (3).

Aquam autem in culpa esse, producti acidi carbonici in experimentis Murrayanis, potissimum colligimus, quia constat, semigranum aquae satis *oxygenii habere*, ut quatuor pollices cubicos oxydi carbonici convertat in acidum carbonicum (4).

Ex quibus apparet, quanta opus sit Physico circumspectione in instituendis experimentis, ne fallatur incognita materiae, quam in ex-

„ leur doit déja sur la décomposition et la récomposition „ de l'eau par l'éectricité, sur les sulfures alcalins et metal- „ talliques, etc. un rang distingué dans la chimie pneuma- „ tique, aux progrès de laquelle ils ont attaché la gloire de „ leurs travaux et de leurs découvertes."

(1) Thomf. T. I. p. 62—57. T. V. p. 360 sqq.

(2) *Journ. de Phys.* T. LXXXII. p. 308.

(3) *Journ. de Phys.* T. LXXIV. p. 268.

(4) *Journ. de Phys.* T. LXXIII. p. 445.

E

experimentum adhibet, indole: haec enim, nisi ea sit, quae habetur, non fieri potest, quin Physicus in explicando erret. Inde enim Murrayo profecta est omnis explicandi ratio de formatione acidi carbonici ex gaz hydrogenio carbonato. Alterum exemplum eiusdem generis invenitur apud Thomsonum, qui memorat gaz oxydum carbonicum converti in gaz acidum carbonicum per acidum muriat. oxygenatum, ita explicans hoc phaenomenon, ut oxygenium acidi muriat. oxyg. se iungat cum oxydo carbonis (1). At acidum in hoc experimento adhibitum, non fuisse muriaticum oxygenatum, apparet, si inspiciatur annotatio (2), quae docet, hoc acidum fuisse collectum, acido muriat. instillato muriati potassae superoxygenato; ex hoc enim sale deinceps probavit Davyus, evolvi ope acidi muriat., gaz novum, euchloricum dictum, i. e. chloricum oxydatum, sive gaz acidum muriat. superoxygenatum (3). Quod oxygenium, cum non adeo fortiter cum acido muriat.

oxyg.

(1) Thomf. *Syst. de Chim.* T. II. p. 506.

(2) l. l.

(3) Davy *El. de Phil. Chim* T. I. p. 388.

oxyg. cohaereat, in caufa est producti acidi carbonici in experimento, a Thomfono memorato.

Hinc arbitratur ipfe Berzelius, fi quid aliud experimentum, illud omnium maxime videri favere doctrinae Davyanae, quod carbo, ne igni quidem vehementisfimo, afficiatur gaz acido muriat. oxyg., aut muriate argenti: contra metalla quaevis facillime acido muriat. oxyg. comburantur. Addit tamen non omni in re facillimam explicationem esfe optimam, aut veram. Univerfe hoc Davyanum experimentum ita labefactare conatur, ut asfumat, plura esfe acida, quae absque aqua aut oxydis fibi adiunctis, non posfint exiftere, inter quae recenfet acidum fulfuricum, nitricum, oxalicum, tartaricum: deinde pergit neque acidum muriat. per fe exftare, nifi aquae ope: „ D'apres cela, inquit, un corps combuftible, dont l'oxide „ formé par l'oxigène de l'acide oximuriatique, infuffifant pour faturer la totalité „ d'acide muriatique contenu dans ce gaz, „ ne peut a aucune temperature décompofer „ le gaz oxi-muriatique en oxigène et en „ acide muriatique, par ce que l'acide muriatique ne rencontre pas de bafe avec la „ quel-

„ quelle il puisse se combiner pour reprendre „ son état d'acide." Necesse enim esse, pergit, tale corpus combustibile abripiat basi acidi omne oxygenium: quod si nequeat, propter minorem suam cum oxygenio affinitatem, acidum minime decomponatur; constare autem, gaz oxydum carbonis non habere facultatem copulae ineundae cum quocunque alio oxydo.

Carbonem igitur concludit nullum posse praebere oxydum, quod se iungat acido muriat., si hoc acidum expers sit sui excessus oxygenii.

Igitur si sumatur, basin acidi muriat. habere affinitatem maiorem cum oxygenio, quam carbonem, facile esse intellectu, quare carbo, et acidum oximuriat. nihil in se agant (1). Apparet Berzelii ingenium; quod fortissimis adversarii armis in suum uti commodum haud dubitat. Attamen, si iuveni liceat a tanto tam magno viro discedere; nonnihil, dixerim, molestum omne hoc ratiocinum; primum enim assumit aquam in gaz acido muriat., de quo iam vidimus; praeterea minorem affinitatem principium carbonicum alere cum oxygenio, quam

(1) *Journ. de Phys.* T. LXXXII. p. 308. 309.

quam basin acidi muriatici: de qua nihil certum est; deinde inesse acido muriat. oxygen. oxygenium; quibus omnibus assumtis, factum, cuius exstat longe facilior et planior expositio, difficili et quaesita ratione explicat. Quare non debilitari mihi videtur conclusio Davyana, ex experimento III. et VI. deducta.

Nulla vero ferme experimenta sunt, quae maiorem sibi contraxerint Physicorum attentionem, quam Davyana illa, gaz acidum muriat. cum gaz ammoniae coalescere in murias ammoniae siccum, nullumque tunc observari aquae vestigium: alterum, gaz acidum muriat. oxyg. et gaz ammoniae coalescere in murias ammoniae, tumque evolvi quidem gaz azotum, nullam vero aquam: quorum experimentorum explicationem secundum Davyanam theoriam, dedimus Exp. XX. — Haec nimirum expetimenta minime exponere valet vetus theoria: haec enim, cum velit gaz acidum muriat. non existere, nisi ope alicuius definitae aquae copiae, nescit rationem reddere defectus aquae, admixto gaz acido muriat. cum gaz ammoniae: facile autem omne experimentum exponit, modo, quando id instituatur, aqua prodeat. Itaque Bertholleti sententiam qui amplectebantur Phy-

Phyſici, cum viderent, ſi experimentum ſeſe tale haberet, quale deſcripſerat Davyus, hypotheſin aquam in omni gaz muriat. ineſſe, maxime debilitari vel infringi, ſeduli hoc experimentum repetiverunt. Inter hos potiſſimum nominandi ſunt Murrayus et Urius, qui igitur ambo conati ſunt, diverſa ratione, probare, gaz ammoniae admixto gaz acido muriat., aquam omnino proferri.

Exiſtimavi autem, ante, quam litis de hoc experimento compoſitionem referrem, operae pretium eſſe, dicere, quanti momenti ad omnem litem de acidis muriat., et muriat. oxyg. componendam, hoc ipſum experimentum ducat Murrayus. De la Rive (1) inquit, „ M. Murray croit, que la combi-
„ naiſon du gaz ammoniac avec le gaz acide
„ muriatique peut fournir une expérience
„ déciſive; ſi dans cette combinaiſon il n'y
„ a point d'eau produite, le réſultat ſera con-
„ forme à la théorie de M. Davy; ſi au con-
„ traire on obtient de l'eau, comme elle n'exi-
„ ſtait pas dans le gaz ammoniac, et qu'il n'y à
„ aucun moyen de rendre compte de ſa produc-

„ ti-

(1) Vid. *Journ. de Phyſ.* T. LXXIV. p. 456. Extrait des expériences ſur le gaz acide muriatique de M. Murray.

„ tion, lorsqu'il n'y a point d'oxigène, il en „ faut conclure, qu'il y avait de l'eau dans le „ gaz acide muriatique, et la verité de l'autre „ fyftème est ainfi établie."

Experimenta autem, quibus conatus est probare Murrayus, aquam proferri, haec funt:

Mifcuit gaz ammoniae ficcum cum gaz acido muriat., et nactus est murias ammoniae, ex quo deftillato aliquam comparavit aquae copiam. — Deinde transmifit fuper carbones candentes, tubo contentos, vapores muriatis ammoniae eiusdem, et obtinuit aliquam aquam, et acidum carbonicum.

Ex his conclufit hanc aquam originem duxisfe ex gaz acido muriat., dum hoc copulam inibat cum ammonia (1).

Haec tamen conclufio mihi videtur difficilis, et immatura esfe: quamvis enim concederetur, Murrayum adhibuisfe gaz ammoniae omnis aquae expers, potuit tamen variis viis irrepfisfe aqua in eius experimenta: nam vel vas, in quo collegit fal, potuit continuisfe aliquam aquam, vel hanc potuerunt continuisfe vafa, in quibus fal deftillavit, aut carbones, fupra quos candentes transmifit va-

(1) *Journ. de Phyf.* T. LXXIV. p. 455. fqq.

vapores ſalis: vel ipſe in vaſis contentus aër potuit esſe in cauſa aquae natae: cuius aëris oxygenium potuit demere hydrogenium ammoniae, eoque ſibi adiuncto converti in aquam. Univerſe magis valeret experimentum, niſi J. Davyus, accuratius, quam Murrayus fecerat, repetito experimento, contrarium prorſus obtinuisſet eventum.

Hic enim repetiit illa experimenta in vaſis aëre vacuis, magna adhibita copia utriusque gaz; et mixturam utriusque fecit in vaſe ita, ut in eodem posſet prolatum ſal ſublime ferri: neque tum potuit detegere ullum aquae veſtigium: cum autem ſal aëri exponeretur, et deinde ſublime ferretur, ſatis magnam exinde comparavit aquae copiam (1).

Quatuor tamen annis post Murrayi ſententiam recoquere coepit Urius. Hic immiſit in tubum limaturam argenti, cupri, ferri et murias ammoniae; eoque tubo igni rubefacto, comparavit aquam, et murias adhibiti metalli. At Dulongius eadem haec et eiusmodi alia inſtituens experimenta, docuit, deceptum fuisſe Urium, adhibito etiam ſubcarbonate ammoniae, aquae nunquam experper-

(1) *Biblioth. Brittann.* Vol. L. p. 220—229.

perte (1). — Nec tamen eo ſubſtitit Davyus, ſed repetiit experimenta ab Urio memorata; et coram ſocietate Regia anno 1818 egit de his experimentis, docens, aquam ab Urio comparatam originem duxiſſe ab hydrogenio acidi muriat., et oxygenio aëris in tubo contenti, aut ex alcali et oxydo plumbi (fuerat enim tubus ab Urio adhibitus vitreus, is qui dicitur flintglas) ipſius tubi depromta; ſe autem, quo maiori uſus eſſe cura, ne oxygenium quoquomodo in ſua experimenta irreperet, eo minorem aquae copiam obtinuiſſe (2). Nec nimis quaeſita et moleſta videatur haec de vitro anglico Davyi expoſitio: nam huius eiusdem vitri uſus aliquando Phyſicos eo deducere valuit, ut quae probata erat, aquae compoſitionem negarent. — Quae hiſtoria cum mire Davyo faveat, paucis illam memoraſſe ab hoc loco non erit alienum. — Itaque cum acciperent Phyſici Angli, gaz inflammabile, modo ad hoc nullus aëris eſſet aditus, igni etiam vehementiori immutatum perſiſtere, tubum vitreum anglicum gaz hydrogenio impleverunt, eumdemque bene clauſum igni

tra-

(1) *Journ. de Phyſ.* Tom. 86. p. 48.
(2) *Journ. l.* p. 245.

tradiderunt: quo tamen facto dum invenirent partem gaz inflammabilis perditam, eiusque loco aquam, in dubium vocarunt ab aliis memoratam aquae naturam. Hi vero idem hoc experimentum repetentes in tubis ferreis, ſive aliis, cum omnino immutabile obſervarent gaz inflammabile, tandem etiam uſi ſunt tubis anglicis, et ecce aquam natam viderunt: videntes porro interiorem tuborum faciem quaſi eroſam, et ſuſpicati, num forſitan plumbi calx, unde proficiſci noſcebant vitri anglici et alias dotes, et vero inſignem gravitatem ſpecificam, in aquae cauſa esſet, aliquid minii cum gaz inflammabili in aptis tubis igni dederunt: quo facto aquam natam obſervarunt, et liti finem impoſuerunt.

Quibus omnibus collectis, patet, experimenta ab Urio et Murrayo inſtituta, non tantum non debilitasſe theoriam Davyanam, ſed maxime confirmasſe. Quam concluſionem probare videtur alterius experimenti Davyani eventus. Huius quoque experimenti, modo in eo proferatur aqua, facilem reddit rationem vetus theoria, nullam autem dare potest, ſi in eo aqua non gignatur: quam ſi ſumas gigni, haec experimenti est

ex-

explicatio, ut oxygenium acidi muriat. oxyg. ſeſe coniungat cum hydrogenio, altera parte ammoniae, deinde aquam formet; altera vero ammoniae pars, azotum, liberum evadat; deinde vero acidum muriat. oxygen. demto oxygenio, converſum in muriaticum, ſeſe coniungat cum ammonia ſuperſtite, atque ita formet murias ammoniae. At vero ſi ſumas aquam non gigni hoc experimento, ſicut ſcripſit Davyus, non habet vetus theoria, ut ex his difficultatibus ſeſe expediat. Unde enim explicabit profectum gaz azotum? an ex ammonia? ſed ubi igitur hydrogenium, altera pars ammoniae? ubi oxygenium acidi muriat. oxyg.? Contra ſi aqua in memorato experimento gignatur, Davyana theoria in angustias redacta est. Sentiit id ipſe Davyus, et confesſus est (1): „ s'il y avait eu, inquit, réellement formation d'eau pendant l'action de la chlorine „ ſur l'ammoniaque, ce reſultat auroit été „ des plus importans: il auroit prouvé, ou „ que la chlorine, ou l'azote etoient des composés, ayant pour un de leurs elemens „ l'oxigène, ou que l'un et l'autre contenoient

(1) *Journ. de Phyſ.* T. LXXIX. p. 266.

„ noient cette ſubſtance." Affirmat autem Davyus, qui modo viderit multum muriatis ammoniae, parati in vaſis clauſis, gaz ammoniae cum gaz acido muriatico oxyg. copulando, deſtillatum, eum ſibi prorſus perſuaſum esſe habiturum, quod nulli prodeant aquae vapores ex eiusmodi muriate ammoniae deſtillato (1). Sunt tamen ab aliis phyſicis in hanc rem inſtituta experimenta, quae alium demonſtrarent eventum. Ita legitur apud Thenardum et Gay Lusſacium(2): „en
„ décompoſant le gaz muriatique oxigené par
„ le gaz ammoniacal, on trouve qu'il con-
„ tient préciſement la moitié de ſon volume
„ de gaz oxigène, et qu'il peut abſorber,
„ par conſequent, un volume égal d'hydro-
„ gène:" et apud Fourcroyum (3): „j'ai
„ découvert, inquit, qu'en faiſant pasſer le
„ premiér de ces gaz (le gaz ammoniacal)
„ dans le ſecond (le gaz muriatique oxygené)
„ il y avait inflammation et lumière blanche,
„ degagée pendant l'union de l'oxygène avec
„ l'hydrogène de l'ammoniaque; l'eau, qui

„ ſe

(1) *Journ. de Phyſ.* T. LXXIX. p. 265.

(2) *Mem. d'Arcueil* T. II. p. 341.

(3) *Syſt. des Conn. Chim.* T. II. p. 243.

„ se forme en même tems presente une va-
„ peur blanche, très epaisse: elle dissout
„ l'acide muriatique, et il reste du gaz azote."
Quo quidem experimento, et Fourcroyi auctoritate confisus Berthollетus Davyanam theoriam prorsus reiecit.

Ast vero cum omni, quantum fieri potest, adhibita prudentia, repetierit et hoc et antecedens experimentum, atque in utroque nullam viderit prodiisse aquam, strenuus veteris theoriae contra Davyum, Curaudavium, aliosque physicos, defensor, in cuius gratiam vel vetus theoria iure vocata est Bertholletiana, Bertholletus igitur suam reliquit theoriam; et contendit, simplicitatem gaz chlorici, tamquam hypothesin, eodem iure posse defendi; atque compositionem gaz acidi muriat. oxyg.

Denique Murrayus etiam XIV Experimentum in dubium vocavit, et contendit, acidum muriat. oxyg. in se continere satis oxygenii ad sulfur ex hydrogenio sulfurato oxydandum et convertendum in acidum sulfurosum, vel et sulfuricum (1). Sed est animadvertendum, hydrogenium non in contactum venire cum acido muriat. oxyg., quin ab-

(1) *Journ. de Phys.* T. LXXIII. p. 445.

absorbeatur (sive hoc velis ex veteri theoria, sive ex Davyana explicare): quod optime apparet ex hydrogenio carbonato, in contactum ducto cum gaz acido muriat. oxyg.: deinde vidimus ex XIII. Exp. sulfur solvi in acido muriat. oxyg., atque inde fieri liquorem illum Thomsoni, longe diversum ab acido sulfurico: denique apud nullos alios Physicos, quamvis Davyi adversarios, legitur confirmatio huius Murryani experimenti. Contra Fourcroyus (1) et Thenardus (2) experimentum tale observarunt, quale descripsit Davyus.

Deinde J. Davyus repetiit experimentum, usus gaz utroque, acido muriat. oxyg., et gaz hydrogenio sulfurato; et obtinuit acidum muriat., et sulfur iunctum cum acido muriat. oxyg., sive illum liquorem Thomsoni (3).

Tandem scribit Berzelius ad Marcetum, unam superesse viam, quae, quamvis minus directe, at vero certissime, ad veritatem ducat: omnemque inter viros doctos de horum acidorum natura litem componere valeat.

(1) *Syst. de Chim.* T. III. p. 111.

(2) *Traité de Chim.* T. I. p. 580.

(3) *Journ. de Phys.* T. LXXIII. l. l.

leat. Illam affirmat esſe doctrinam *propor-tionum definitarum:* hanc enim omnia ea calculo ſubmittere, quae ſenſuum aciem fugiant, et chemicis esſe tale inſtrumentum, quale Astronomis formulas: quarum felicisſimus uſus Astronomos docet, quasvis memorabiles et momentoſas facere detectiones (1). In qua opinione ſecum habet Berzelius conſentientes quosvis optimos chemicos, Proustium, Daltonum, Thomſonum, Davyum, Wollastonum, Doebereinerum, Gay-Luſacium, Trommsdorffium, Schweiggerum, Gilbertum, Chrevreullium (2), alios.

Hinc celebris chemicus Gaulthier de Claubry doctrinam proportionum definitarum vocat pulcherrimum eventum, ad quem aliquando conducturam esſe chemiam, ſperari posſet. Hunc enim eventum non asſecutos fuisſe phyſicos, niſi continua ſerie indagationum et analyſium accuratarum: eamque doctrinam iam hoc tempore niti, et ſuffulciri nimis magno factorum numero, quam quod

(1) *Journ. de Phyſ.* T. LXXXIII. p. 309.

(2) J. B. van Mons *Princ. El. de Chim.* 1818. p. 60 ſqq.

quod metui posſet, ne fallax ſit (1). Quare quum haec doctrina tantos exercuerit chemicos, quantos ſupra memoravimus, et ab iis tantis efferatur laudibus, ut vel difficillimas (inter quas ſi hanc de acidorum muriatici et muriat. oxyg. natura retulerim, me omnino vera dixisſe mihi videor,) lites posſet dirimere, eam paulo accuratius indagemus.

Prima initia huius doctrinae poſuisſe dicitur Bergmannus, cum oſtenderit, quo magis oxydarentur metalla, eo maiorem accipere capacitatem ſaturandi acida (2). Deinde Richterus (3), quum iaceret fundamentum calculi, quem vocant *Stoechiometricum*, docuit, ſi corpus copuletur pluribus una proportionibus, compoſitiones ſecundas ſemper esſe in aliqua ratione ad primas; atqui praecipue nominandus est Higgins, primus conditor theoriae, quam vocant *Atomisticam*. Hic

(1) *Journ. de Phyſ.* T. LXXXIV. p. 393.

(2) Bergman. *Op. Phyſ. Chem.* cf. *Princ. El. de Chim.* avec les applications générales de la doctrine des proportions déterminées, par J. B. van Mons Brux. 1818. p. 61. cf. J. J. Winterl. *Proluſion. ad Chem.* Sec. XIX. Budae 1800. §. 4. p. 3. 4. et annot.

(3) Richter über die neueren Gegenſtände der Chimie cf. van Mons l. l. p. 61. 62.

Hic A° 1789 edidit librum inſcriptum, *comparative view of Phlogiſtic and Antiphlogiſtic theories*, quod opus ſummis celebrat laudibus Davyus, id vocans, ingenii et laboris pleniſſimum (1). In hoc opere ſumit Higgins, corpora duo chemice coniungi, alterius atomis coniunctis cum atomis alterius. Ita aquam componi, hydrogenii atomis coniunctis cum atomis oxygenii, easque materias continere aequalem diviſionum numerum. Omnem autem differentiam gravitatis ſpecificae potiſſimum pendere a volumine particularum ultimarum: porro gaz nitroſum componi duabus particulis oxygenii, et una azoti: acidum ſulfuricum una particula ſulfuris, duabus oxygenii: acidum vero ſulfuroſum una ſulfuris, et una oxygenii (2). At accidit Higginſio idem, quod accidit Joanni Rayo (cuius praeclara obſervatio, facta 1630, qua cauſam indicabat, quare plumbum et ſtannum in aëre calefacta, ponderis augmentum capiant, phyſicos latuit, dum iſtam tandem ex obſcuro quodam angulo evocabat ſumma ſummi Lavoi-

(1) *Journ. de Phyſ.* T. LXXII. p. 370 in annot.

(2) *Journ. de Phyſ.* T. I. p. 370 in annot. T. LXXVIII. p. 375. T. LXXXIV. p. 392 ſqq. van Mons l. l. p. 62.

voisierii industria) ut ipsius opus non tantum apud exteros, sed vel apud suos in oblivionem abierit (1): cui forsan nondum fuisset abreptum, nisi aliquot annis post, Daltonus conscripsisset librum, cui titulus *New system of chemical Philosophy*, in quo plura quidem inveniuntur nova, eaque egregia, multa tamen, iam ab Higginsio indicata. Egregium vero specimen exhibet Thomsonus convenientiae theoriae Daltoni cum ipsa analysi. Thomsonus acidum oxalicum inquirens, secutus Daltonum, assumsit hydrogenium = 1, oxygenium = 6, carbonium = 4 – 3; per analysin invenit acidum oxalicum componi

oxygenii	64,69	: per calculum	oxygenii	61
carbonii	31,78		carbonii	34
hydrogenii	3,53		hydrogenii	5
	100,00			100

Sin autem, sicut alii fecerunt, computatur oxyg. = 6 – 96, calculus computat

oxygenii	64,24
carbonii	31,15
hydrogenii	4,61
	100,00

quae

(1) *Journ. de Phys.* T. LXXXIV. p. 392.

quae ſumma fere est eadem, quae fuit per analyſin indicata (1).

Tuetur autem Daltonus theoriam atomorum, ſumens, quod ſi corpus alteri iungitur una proportione, atomus atomo iungatur; ſin autem variis proportionibus corpora coniungantur cum aliis, et forment combinationes binarias, ternarias, atomus alterius elementi ſe iungat cum atomis 1, 2, 3, alterius elementi.

Atqui hanc theoriam atomorum utpote nimis ſubtilem, reiecit etiam Davyus (2), et fere omnes Phyſici: quare Higgins deinceps reclamavit ſuam theoriam (3).

Edito autem opere a Daltono, ulterius in hanc rem inquiſiverunt Phyſici, variasque baſes asſumentes, diverſis quidem modis, attamen omnibus, ex uno fonte provenientibus, doctrinam proportionum confirmarunt, eamque adhibuerunt ad detegendam indolem quorumvis corporum, fosſilium prae ceteris (4). Reliquis igitur huius doctrinae inves-

(1) *Journ. de Phyſ.* T. LXXVIII. p. 378.
(2) *Journ. de Phyſ.* T. LXXII. p. 370.
(3) *Journ. de Phyſ.* T. LXXXIV. p. 392.
(4) cf. omnino van Mons l. l. p. 63—70. 336—380.

vestigatoribus misſis, ne a propoſito ordine aberremus, videamus, quid hac de re docuerit Davyus, quid Berzelius.

Si corpora, memorat Davyus, ſe cum aliis chemice coniungant, novasque conſtituant materies, hanc copulam esſe proportione definita: ſi igitur ſe proportione inaequali coniungant, ut alterius ſit excesſus, hunc excesſum esſe in ea ratione, ut posſit exprimi, aliqua multiplicitate ſimplici minimae proportionis, qua idem hoc corpus ſeſe posſit coniungere. E. g. oxalatem potasſae acidum continere quantitatem acidi bis maiorem, quam quae opus ſit ad ſaturandam potasſam: carbonatem alcalinum alcali quantitatem bis maiorem, quam opus habeat ad ſaturandum acidum.

Si adhibeatur numerus ad exprimendam minimam quantitatem corporis cuiuscunque, qua posſit copulam inire, ceteras quantitates omnes corporis, quibus copulas ineat, esſe ad primam compoſitionem ratione quadam multiplici. Minimis proportionibus, quibus corpora nondum decompoſita, posſunt copulam quamdam inire, cognitis, conditionem materiarum compoſitarum, quas forment, cognoſci posſe: et ſi exprimatur per

unitatem elementum, quod chemice ſe coniungit cum ceteris corporibus, in minima, quam novimus, proportione, cetera elementa, eorumque compoſita, ſignificari per rationes earum quantitatum ad unitatem.

Omnium elementorum gaz hydrogenium esſe id, quod ſe omnium minima proportione coniungit: nullum enim elementum ſe posſe coniungere pondere minori, quam hoc gaz: hoc autem ipſum in nullo alio cognito corpore minori proportione contineri, quam in aqua: aquam vero componi 2 voluminibus gaz hydrogenii, et 1 volumine gaz oxygenii, gravitatem autem ſpecificam gaz oxygenii, esſe ad gravitatem ſpecificam gaz hydrogenii = 15 : 1. Igitur rationem esſe hydrogenii in aqua ad rationem oxygenii = 2 : 15. Cum autem aqua componatur 2 proportionibus hydrogenii, et 1 oxygenii, ſequi, cum numerus exprimens hydrogenium ſit 1, numerum oxygenii esſe 15. In quo hydrogenio asſumendo pro baſi, cum Davyo conveniunt Daltonus, Doebereinerus imprimis.

Quisnam numerus itaque phosphorum exprimat, ſi quis quaeſiverit, respondebitur, per 20: docuit enim experientia phosphori granis 10 opus esſe 7, 7 granis oxygenii, ut con-

convertatur in acidum phosphorofum, eandem autem phosphori quantitatem indigere quantitate oxygenii bis maiori, ut convertatur in acidum phosphoricum. Cum igitur 7, 7, fit omnium minima proportio oxygenii, cum quo fe phosphorus coniungit, erit $10 : 7,7 = 100 : 77$.

Igitur $77 : 10 = 15 : x = 20$ fere; porro $20 + 15 = 35$ exprimet acidum phosphorofum; $20 + 15 + 15 = 50$ acidum phosphoricum.

Si quis quaerat, per quem numerum exprimatur carbo, respondebitur per 11, 4. Nam acidum carbonicum conftituitur 13 partibus carbonii, et 34 oxygenii; oxydum vero gazofum carbonii 13 partibus carbonii, 17 oxygenii. Igitur omnium minima proportio oxygenii, cum fit 17, habebimus

$$13 : 17 = 100 : 130,7$$

$130,7 : 100 := 15$ (numerus oxygenii exprimens) $: x = 11,4$. Igitur $11,4 + 15 = 26,4$ exprimet oxydum carbonis, et $11,4 + 15 + 15 = 41,4$ exprimet gaz acidum carbonicum.

Si quis quaerat, per quem numerum exprimatur potasfium, refpondebitur per 75. Nam potasfa pura componitur 100 partibus potasfii, et 20,1 oxygenii. Oxydum autem fla-

vum potassii 100 partibus potassii et 57, 8 oxygenii. Igitur cum 20, 1 est minima proportio: habebimus

$20,1 : 100 = 15 : x = 74,99$ vel 75 fere: quod si faciamus $57,8 = 60 = 3 \times 20$ aliquod nanciscimur ius, quod ponamus, potassam componi una proportione oxygenii cum una potassii: oxydum autem potassii flavum 3 oxygenii et 1 metalli. Et potassa erit expressa per $75 + 15 = 90$, oxydum flavum per $75 + 15 + 15 + 15 = 120$ (1).

Porro arbitratur Davyus, theoriam proportionum definitarum maxime confirmari decompositione mutua salium, observata a Richtero, et Guyton de Morveau; mutuis decompositionibus compositorum hydrogenii et azoti, azoti et oxygenii; tum acidis salibus a Wollastono, et Thomsono observatis; praeprimis decompositionibus, factis ope apparatus Voltae, quibus constitit oxygenium et hydrogenium, oxygenium et corpora inflammabilia, acida et alcalia, seiungi proportionibus aequalibus (2).

Hanc

(1) *Journ. de Phys.* T. LXXVIII. p. 383 sqq. cf. Davy *El. de Phil. Chim.* T. I. p. 67 sqq.

(2) *Journ. de Phys.* T. LXXII. p. 371 in annot. cf. T. LXX. p. 106 sqq.

Hanc deinde doctrinam, cum esſet ingenii plenus, diligentisſime tractavit et amplificavit Berzelius, eaque adhibita vel eruere ſtuduit leges, quibus dum formantur, inorganica corpora obediunt (1): quin tanta fuit Berzelii illa admirabilis in hac doctrina elaboranda industria et ingenii vis, ut exinde excogitaverit fundamenta, ex quibus exſtrueret ſyſtema Mineralogicum (2) quod quantas opes in ſe contineat, is optime collegerit, qui haud ignoret immenſam et infinitam fere regni mineralis amplitudinem.

Itaque vidimus, quid ſit doctrina proportionum definitarum: quidque de hac cogitent et Davyus et Berzelius; iam conſideremus, quaenam argumenta ex hoc fonte hauſerit Berzelius ad confirmandam veterem theoriam Bertholletianam. Ostenſum est, ſerie experimentorum, aquam quam ſal aliquod contineat chemice adiunctam, in eo exiſtere, ea proportione, ut oxygenii quantitas ſit aequalis quantitati baſeos.

Sub-

(1) *Journ. de Phyſ.* T. LXXX. p. 118—180. *Journ. der Pharmacie* van J. B. Trommsdorff B. XXI. St. I. p. 36—88.

(2) *Journ. de Phyſ.* T. LXXXVI. p. 136—156 p. 209—242 p. 276—290. p. 356—365.

Subſulfas ferri (*ſous-ſulfate de fer* (1)) continet copiam aquae, cuius oxygenium reſpondet quantitati oxygenii in oxydo ferri, baſin huius ſalis conſtituente. *Subſulfas cupri* ea ratione est compoſitum, ut aqua, acidum et oxydum, aequalem contineant oxygenii copiam. Quare poteſt hoc ſal conſiderari ut compoſitum ex 1 parte acidi et 3 partibus hydrateae cupri. Nova hypotheſis de acido muriat. admittit exiſtere ſal *ſubmurias cupri*. Obtinetur hoc ſal, infuſa potasſa cauſtica in ſolutione muriatis cupri, ea copia, ut omne cupri oxydum non ſeparetur. Praecipitatum rite lotum et ſiccatum exhibet *ſubmurias cupri*. Si ſolvitur hoc ſal in acido nitrico, et per nitratem argenti, acidum muriat. praecipitatur, obtinemus ex 100 partibus *ſubmuriatis cupri*, 12,1 acidi muriatici. Si digeratur ſuperſtes liquidum cum mercurio, ut omne argentum ei adimatur, et ad ſummam ſiccitatem evaporet, ac deinceps candefiat, in crucibulo pla-

(1) cf. omnino: Mémoire pour déterminer les proportions ſimples et définies, dans lesquelles les parties conſtituantes des ſubſtances inorganiques ſont unies les unes avec les autres, par Berzelius *in Journ. de Phyſiq.* T. LXXX, p. 113 ſqq.

platinae, ut ſublime feratur omne acidum cum mercurio, pondus oxydi cupri est 72. His conſequens est, ut 100 partes muriatis cupri contineant oxyda cupri et acidi coniuncta 84, 1: quae deſunt partes 15,9, debeant esſe aqua combinata.

Potest monſtrari haec aqua, ſi calefiat ſubmurias cupri in vaſe, cuius pondus antea exploratum ſit, adaptato ad tubum, repletum muriate calcis.

Subſal liberam emittit cum aqua parvam quantitatem gaz oxygenii, quod tranſit per muriatem calcis, dum aqua cum ea coniungatur. Obtinentur in hoc experimento 15,75 ad 16 aquae, ea ratione, qua minus perfecte aut melius ſubmurias ſiccatum ſit. Hoc eventu ad calculum vocato, apparet, 72 oxydi cupri continere 14, 37 partes oxygenii, et aquam combinatam complecti copiam oxygenii eamdem, atque metallo continebatur; ut idem hoc locum habeat in *ſubſulfate cupri*. Scimus, 100 partes acidi muriat. ad conditionem ſalis neutrius posſe redigi per 147,27 partes oxydi cupri: quibus conſequens est, *ſubmurias* compoſitum esſe, una parte acidi, et 4 partibus hydrateae cupri.

Unde apparet mirabilis conſenſus inter haec com-

composita, cum spectatur status combinationis ex veteri theoria Bertholletiana.

Consideranda iam venit huius salis compositio ex hypothesi Davyana. Acidum muriat. esset ex hac hypothesi coniunctio unius partis chlorici, et unius partis hydrogenii: unde sequitur *submurias cupri* comprehendere 16,08 acidi muriat. in proportione 72 partium oxydi cupri. Occupat aqua combinata 11,92 partes, sed analysi dante 15,9; considerandus est excessus 3,98, quasi ortus ex decomposito acido muriat., cuius hydrogenium aquam format cum parte oxygenii oxydi, dum metallum, ex oxydo prolatum, se coniungit cum acido muriat. oxyg., quod iam secernitur.

In 11,92 aquae partibus, quae est aqua combinata *submuriatis*, ex hypothesi Davyana, non essent, nisi 10,74 oxygenii, id est, 3,4 copiae oxygenii, oxydo cupri contenti.

Itaque *submurias* complectitur 1 partem oxydi, et 3,4 partes aquae, atque ita quantitas aquae est ad quantitatem baseos, in tali proportione, qualis repugnet theoriae proportionum definitarum.

Submurias hydrateae plumbi acquisitum ex praecipitatione, meliori etiam est documento, quia in eo facilius definitur aquae quanti-

ti-

titas. Ab altera parte, qui examinaverit ſubmurias aquae expers, quale ſubmurias plumbi candefactum, inveniet ſecundum veterem hypotheſin, acidum in eo coniunctum eſſe cum parte oxydi; dum ſubmuriata exhiberent claſſem corporum plane novam, compoſitorum chlorico, metallo, et tali oxygenii copia, qualis non ſufficeret ad oxydandum metallum: haec doctrina Davyana proponit ſubmuriata, aqua privata, tamquam compoſitum quoddam, ex uno atomo chlorici, uno metalli, et tribus oxydi metallici.

Sumo, (verba ſunt ipſius Berzelii) defenſores novae hypotheſeos periculum facturos, eam in conſenſum adducendi cum doctrina proportionum definitarum: in eo, quod contendant, ſubmuriata, aqua non expertia, ut ſubmurias cupri e. g. compoſita eſſe 1 parte *cuprani*, et 3 partibus hydrateae cupri. Poterimus iis recte obiicere, magis illam operam navare hypotheſi defendendae, quam veritati detegendae (1).

Contra Exp. VIII. p. 17.
animadvertit Berzelius, doctrinam proportionum experimentum hoc facile explicare;

(1) *Journ. de Phyſ.* T. LXXXII. p. 310. 312.

re; hanc enim docere, acidum muriat. oxygenat. esſe compoſitum una parte baſeos, et tribus partibus oxygenii: idque acidum posſe in neutram conditionem redigere quantitatem baſis cuiuscunque, cuius oxygenium est dimidia pars oxygenii acidi: atque igitur quantitatem oxygenii, quod expellitur ex gaz acido muriat. oxygenat., decompoſito baſi ſalificabili, esſe aequalem quantitati oxygenii, contenti in baſi, quae inſerviit decompoſitioni.

Tandem vult Berzelius, compoſitionem formatam ex gaz oxydo carbonis, et gaz acido muriat. oxygenat., luci expoſitis, facile explicari in ſavorem veteris theoriae Bertholletianae doctrina proportionum definitarum; ſecundum quam corpora, quorum conditio chemico-electrica eadem est, ſe coniungant in talibus proportionibus, ut eorum quantitas oxygenii aequalis ſit. Antiquam autem hypotheſin conſiderare illud gaz, ut compoſitum una parte acidi muriat., et una acidi carbonici, atque igitur ſimile acido fluo-borico.

Sed haec argumenta Berzelii variis armis oppugnarunt Phyſici. Thenardus enim defenſionem novae theoriae minine in animo habens, animadvertit, Berzelium, legem in nonnullis hydrateis corporibus obſervatam, ſi-

ſibi propoſuisſe nimis generalem: experimenta enim, quibus haec lex nitatur, et esſe pauciora, nec ſatis accurata (1). Atqui inquit Davyus: „ je ne puis accorder aucun poids „ aux raiſonnemens de mon ſavant et illuſtre „ ami Berzelius: il n'y a point de règle „ générale rélativement aux multiples des pro„ portions dans lesquelles les différens corps „ ſe combinent." Quam amniadverſionem illuſtrat exemplo, in azoto poſito: hoc enim, pergit, leges ſequi prorſus diverſas in variis ſuis, quas ineat, copulis: hoc enim cum tribus voluminibus hydrogenii coniungi, huiusque unum, duo, duo et dimidium cum dimidio volumine oxygenii, et cum quatuor chlorici: deinde ſi modo transferantur ad metalla definitae oxygenii proportiones, quas detulit Berzelius ad chloricum, omnem ab eo datam expoſitionem, nihil aliud esſe, quam nudam factorum enarrationem (2).

Denique contra Berzelium aliud argumentum attulit Suchomlinovius; hic nimirum animadvertit ſalia (ſous-muriate de cuivre, ſous-muriate de plomb) (*baſischſalz-*

ſau-

(1) Thenard l. l. T. II. p. 172.

(2) *Journ. de Phyſ.* T. LXXIX. p. 266. 267.

ſaures Kupfer, *baſischſalzſaures Bley*) (1) (quae ſunt ſalia, ſecundum definionem, quam dedit ipſe Berzelius, in quibus minor continetur quantitas oxygenii, quam in ipſorum acido conſtituente) non esſe copulas chlorici cum hydrateis, ſed componi neutris muriatibus, et metallis hydrateis: qua theſi asſumta prorſus quadrare in ſalia doctrinam proportionum: tum enim oxygenium neutrius muriatis cupri esſe, ad oxygenium oxydi cupri, in cupro hydrateo contentum, ut 1 : 3 : hoc autem ad oxygenium in aqua copulata contentum, ut 3 : 3. — Addit tandem, ſi hoc ſal calefiat, evolvi oxygenium, qua neutrum murias cupri oxydati convertitur in cupranum, ſive copulam chlorici cum cupro : hoc autem phaenomenon minime posſe exponere veterem theoriam (2).

Quod autem ad tertium argumentum attinet, ſatis videtur apparuisſe, non produci acidum carbonicum ex gaz oxydo carbonii et acido muriat. oxyg.: igitur cum haec ita ſint, non tantum non corruere videtur hoc omne

Ber-

(1) *Journ. de Phyſ.* T. LXXX. p. 114.

(2) *Repertorium für die Pharmacie* van J. A. Büchner B. V. St. I. p. 56. 57. cf. *Annal. de Gilbert* T. LVII.

Berzelii argumenti fundamentum: verum eo ipſo apparet, aliquando esſe experimentis contrariam doctrinam proportionum definitarum. Qui quidem disſenſus oriri videtur, quod natura corporis non talis ſit, qualis habetur, quippe quae recedat a naturae illius corporis, unde deſumta est ratio proportionum.

Quibus omnibus collatis, apparet, Berzelii expoſitionem de doctrina proportionum longe non esſe eam, qualem deſcripſerat, ut ſcilicet perderet prorſus omnem Davyanam theoriam.

Quod quidem efficitur: primum, quia ob factorum paucitatem Phyſici nondum Berzelianam regulam admittunt; deinde quod alii negant, exiſtere posſe generalem eiusmodi regulam; porro, quia idem factum variis modis exponit Davyana theoria in ſuum commodum; denique quia hoc facto expoſito ex theoria Davyana, videntur ſuperesſe difficultates, haud facile adeo veteri theoriae removendae. Quae omnia eo magis valebunt, quo certius conſtabit, Davyum ex doctrina proportionum posſe argumenta capere ad ſuam theoriam confirmandam. Itaque ſupereſt, ut videamus, num id fecerit Davyus.

Computavit Davyus, adhibita doctrina proportionum, granum potasſii abſorbere 1,08 pollicis cubici gaz acidi muriat. oxyg., potasſam vero, formatam grano potasſii, decomponere 2,16 pollices cubicos gaz acidi muriat. Experimenta hanc computationem confirmarunt. Per computationem quoque collegit Davyus, numerum qui ſignificaret proportionem, qua ſodium ſe cum corporibus coniungit, esſe 22.

Unde manifestum est, unum granum ſodii debere abſorbere fere 2 pollices cubicos gaz acidi muriat. oxyg., eandem vero ſodii quantitatem in ſodam converſam decomponere fere 4 pollices cubicos gaz acidi muriat.: qua theſi asſumta, concludit Davyus, murias ſodae debere conſtare, quo ad proportionem 22 ſodii et 32,9 gaz acidi muriat. oxyg.: et haec est illa ſumma, quam per analyſin computavit Marcetus. Potasſa hydratea, pergit, debeat continere proportionem potasſii expresſam per 48, et proportionem aquae expresſam per 8,5. Compoſitionem vero dat, ut 15,1 aquae, et 84,9 potasſe. Igitur concludit, quod potasſa hydratea debeat continere proportionem ſodae 29,5, et proportionem aquae 8; igitur 100 partes 22,4

aquae,

aquae, quam computationem etiam confirmavit analysis (1).

Tandem effecit Davyus, manifestum esse, quoties copula quaedam, in qua continetur acidum muriat. oxyg., aqua decomponatur, oxydum aut acidum, aut alcali, aut corpus oxydatum, formatum, esse debere in eadem proportione, qua gaz acidum muriat., sicut oxygenium et hydrogenium debent habere, eandem relationem secum invicem: atque haec composita ad examen vocata praebere simplices modos computandi proportiones elementorum in diversis oxydis, acidis, et terris alcalinis; quam ratiocinandi rationem exemplis illustrat (2).

Qui-

(1) *Journ. de Phys.* T. LXXII. p. 359 sqq. imprimis p. 366. sqq.

(2) vid. L. l. l. c. et *Journ. de Phys.* T. LXXI. p. 338; Si d'après le système ingénieux de Dalton, inquit Davyus, l'hydrogène est consideré comme 4 en pesanteur dans la proportion ou il existe dans l'eau, l'oxigène sera alors d'environ 7,5, et en admettant que la potasse est composée d'une portion d'oxigène, et d'une de potassium, la potasse sera alors de 48, et le potassium d'environ 40.5; et d'après une expérience l'acide oxi-muriatique sera représenté par 32,9 et le gaz acide muriatique conséquemment par 33,9 estimation qui s'accorde avec la pesanteur specifique du gaz acide

oxi-

Quibus omnibus perpenſis, mihi effici videtur, pro praeſenti rerum conditione, hanc doctrinam nondum ſternere viam ad litem dirimendam de acidorum natura. In quam ſententiam adductus ſum, tum quia utraeque partes videantur inde in ſuum commodum argumenta petere; tum quia analyſes unius eiusdemque corporis ſaepe diverſae memorentur a Chemicis. Utrum vero recte ſit inſtituta doctrina proportionum ad corpus quoddam, colligitur ex eo, ut definita indoles huius corporis per calculum, conveniat cum indole eiusdem per analyſin inventa; denique, quia aliquando fit, ut aeque bene duas diverſas opiniones eadem de re ſuſtentet doctrina proportionum, cuius rei perſpicuum dedit Davyus exemplum, idque ſequens.

„ Une choſe digne de remarque, inquit Davyus,

oxi-muriatique et du gaz acide muriatique. D'après mes expériences, 100 pouces cubes gaz acide oxi-muriatique pèſent, toutes reductions faites a cauſe de la temperature et de la preſſion moyennes, 74,5 grains, autrement d'après l'eſtimation elles pèſeront 74,6. Selon moi, dans les mêmes circonſtances, 100 pouces cubes de gaz acide muriatique pèſent 39 grains, et d'après l'eſtimation, ils pèſeront 38,4 grains.

vyus, „ c'est que quelque théorie de la na-
„ ture de ce composé (l'amalgame de l'am-
moniac) „ que l'on adopte, s'y trouvera une
„ heureuse coincidence avec les proportions
„ determinées. Si l'on suppose, que l'hy-
„ drogène provienne de la decomposition de
„ l'eau, alors l'oxygène, que l'on doit re-
„ garder comme existant dans l'ammoniac
„ suffira exactement pour neutraliser l'hy-
„ drogène dans un volume égal d'acide mu-
„ riatique: ou si l'on dit, que l'ammonium
„ est un composé d'ammoniac, et d'un hy-
„ drogène en volume, alors les volumes
„ égaux de gaz acide muriatique produiront
„ le même composé que l'oxide oximuriati-
„ que et l'ammonium, en supposant,
„ qu'ils puissent être inmediatement combi-
„ nés (1)."

Verum enim vero coniungens cum experimentis ipsam Berzelianam doctrinam proportionum definitarum, argumentum protulit Bertholletus in favorem doctrinae Davyanae gravissimum. Nimirum hic est in Bertholleto veritatis amor, haec ingenii magnitudo, ut sequi maluerit adversarii par-

(1) *Journ. de Phys.* T. LXXI. p. 338. 339 in annot. 2.

partes, quam inhaerere hypothesi, prorsus suae; nimirum cum invenisset, suis ipse experimentis, in quibus instituendis, quis Bertholleto versutior, quis magis circumspiciens ad minima etiam, pondus tamen habentia, Davyana illa de ammoniae copulis cum gaz acido muriat., acido muriat. oxyg., omnino confirmata, non tantum non haec aliis experimentis torquere et minuere studuerit, sed vel ipso novo argumentorum genere, eoque ingenioso, Davyanam theoriam confirmare voluerit. Quem quidem locum hic integrum tradere operae pretium visum est. Postquam igitur momentum hypotheseos Davyanae ostendit, ita pergit: „aujourd'hui „ je vais plus loin; il me parait, que l'on „ peut trouver dans les faits connus des „ preuves, qui obligent de regarder le chlore „ comme une substance simple, et pareille „ en cela à toutes celles, que nous regardons „ comme élémentaires. Je vais en donner „ un exemple.

„ M. D'Arcet avait determiné la quan„ tité d'eau, que contient l'hydrate de pot„ asse en le combinant avec l'acide sulfuri„ que, et en comparant les quantités de cet „ acide, qui saturent un poids donné de

„ cet

„ cet hydrate, et un poids correspondant de „ ſous-carbonate, dans lequel il avait recon- „ nu avec ſoin la proportion d'eau, et d'a- „ cide carbonique.


„ De mon coté j'avais cherché à établir „ les principes de l'hydrate de potasſe en le „ combinant avec l'acide muriatique: en „ pousſant au feu le muriate de potasſe, qui „ en reſultait, et en determinant enſuite la „ proportion de l'acide muriatique, qu'il „ contenait par le muriate d'argent, que je „ formais avec lui: j'avais conclu en adop- „ tant la compoſition du muriate d'argent „ donnée par Bucholz, que l'hydrate de „ potasſe tenu au feu jusq'au ce qu'il ne „ s'en degage plus d'humidité contient 13,64 „ d'eau ſur 100; mais la methode la plus „ directe de M. D'Arcet, lui à donné 27 „ d'eau ſur 100.

„ Si j'etablis mon calcul ſur la ſimplicité „ du chlore, et ſi j'adopte ſelon l'evalua- „ tion de M. Berzelius, qu'il ſe trouve „ ſur 100 parties de muriate d'argent 75,4 „ d'argent, et par concequence 24,6 de chlore; „ j'aurai 25,58 d'eau ſur 100 d'hydrate de pot- „ asſe, ce qu'il ſe rapproche d'une manière „ ſatisfaiſante de l'evaluation de M. D'Arcet.

„ Cette évaluation est confirmée par les ex-
„ périences de M. M. Gay Lusſac et The-
„ nard, qui ſe ſont ſervis de deux metho-
„ des differentes, pour reconnaitre la pro-
„ portion d'eau dans l'hydrate de potasſe,
„ elles abaiſent un peu celle admiſe par M.
„ D'Arcet, mais leurs reſultats s'éloignent
„ beaucoup plus de celui, que j'avais
„ adopté.

„ On ne peut douter, ſi cette évaluation
„ a asſez d'exactitude, que le chlore doive
„ être admis, comme un corps ſimple, pour
„ que les analyſes, par lesquels on détermi-
„ ne les proportions des combinaiſons ſoient
„ concordantes entre elles, et qu'elles puis-
„ ſent répreſenter la nature: ou pourrait
„ multiplier cette eſpèce de verification." —

Igitur cum in nostram rem ſatis dixerimus de doctrina proportionum, conſideremus analogiae uſum.



CAPUT III.

De usu analogiae integrae theoriae Chemicae in confirmanda theoria Davyana et veteri Bertholletiana.

Antequam hanc analogiam investigemus, paucis videamus, quid sit *analogia*.

Analogiae latissime patens definitio videtur, quod sit illa ratiocinandi methodus, cuius auxilio, ex corporum, experimentis et observationibus exploratorum, natura, concludimus, ex similibus proprietatibus, ad similem corporum nondum exploratorum, naturam et indolem; aut contra, cuius quidem methodi ratiocinandi usus imprimis multiplex est et egregius ad intelligentiam corporum vivorum; cognitis fabricae facultatibus et functionibus, ex simili fabrica concludimus ad similes corporum facultates et fun-

ctiones (1). Quae notio ut nostro consilio adaptetur, videtur esse ea argumentandi ratio, qua ex corporum, quorum compositio experimentorum ope cognita est, convenientia cum acidis muriat. oxyg. et muriatico, efficimus, eandem esse horum acidorum, atque horum corporum naturam. Ex hoc vero fonte proficiscuntur classes vel genera corporum, in quibus philosophice ordinandis, fundamentum constituendi ordinis debet esse analogia, quae existit inter maximum numerum proprietatum corporum, quae in eodem genere constituuntur. Hinc itaque classis alcalium, hinc classis acidorum, metallorum, salium, aetherum, aliorumve corporum: hinc Vauquelinus glucinam, Klaprothus zirconiam, Gadolinus yttriam, inter terras retulerunt, cum hae haberent proprietates communes cum cognitis terris; hinc Vauquelinus chromium, Klaprothus Uranium, Wollastonus Rhodium, Berzelius Cerium, inter metalla retulerunt, cum haberent omnia notas, quibus a ceteris corporibus sese distinguunt

(1) cf. 's Gravesande *Orat. de Evid.* p. LIV. LV. cf. et Musschenbroek *Introduct. in Phil.* T. I. §. 38.

guunt metalla: hinc Davyus quum alcalia et terras decompoſuisſet, horum baſes retulit inter metalla, quia cum his haberent illae communes ſplendorem, opacitatem, malleabilitatem, facultatem conductricem calorici et electricitatis: quamvis haberent gravitatem ſpecificam a ceteris metallis diverſam, minorem: ut hanc ob cauſam nollet ille eximius Ritterus has baſes inter metalla relatas (1). Hinc etiam Lavoiſierius ſe analogiam invocaſſe teſtatur, cum referret acida muriaticum (2), fluoricum (3), boracicum (4), inter acida: quamvis enim nulla darent indicia, quod continerent oxygenium, ſingula tria ipſi videbantur exhibere proprietates, non niſi acidis, ſive combuſtibilibus oxygenatis, proprias.

Itaque cum vidimus, quae ſit analogia, quique eius in Chemiam uſus, eundem, quem in Cap. II. ſecuti ordinem, videamus, num ex analogia integrae theoriae Chemicae confirmetur Davyana theoria: quare quae huic prae-

(1) *Journ. de Phyſ.* T. LXVI. p. 256.
(2) *Traité de Chim.* T. I. p. 255.
(3) l. l. p. 263.
(4) l. l. p. 267.

praecipua hic fons praebere nobis visus est, afferemus argumenta.

I. Ex corporibus oxydatis et oxygenatis solent fluidum Galvanicum et Electricum elicere oxygenium: haec vero ex acido muriat., neque ex acido muriat. oxyg. ullum gaz oxygenium eliciunt, sed contra attrahitur acidum muriat. oxyg. polo positivo: ergo hoc differt a ceteris acidis, aut corporibus oxydatis.

II. Omnia acida, quibus addi potest nova portio oxygenii, ut fit, cum acida sulfurosum, nitrosum, phosphorosum, mutentur in acida sulfuricum, nitricum, phosphoricum, retinent proprietates acidorum: igitur acidum muriat. oxyg. si fingas constitutum esse acido et oxygenio, hoc etiam credes retinere proprietates acidi: contra sicut primus Bertholletus, deinde Kirwannus optime observarunt et docuerunt, acidum muriat. oxyg. caret facultatibus acidi, quibus excellit acidum muriat., ut sapore acido, et facultate convertendi colores plantarum coeruleos in rubros; hos enim delet prorsus. Igitur dotibus distinguitur a ceteris acidis.

III. Corpora oxydabilia, quae varia proportione se cum oxygenio iunguut, ut forment

ment et oxyda et acida, fiunt acida, dum bafes iam oxydatae plus oxygenii asfumunt. Ita proto-oxydum et deuto oxydum azoti, oxydum arfenici, aliorumve metallorum, fi fe cum oxygenio coniungant, abeunt in acidum nitricum, nitrofum, arfenicofum. Igitur deberet oxydum acidi muriat., (acidum muriat. oxyg.) continere minus oxygenii, quam acidum muriat. Contrarium tamen defendunt fautores theoriae veteris Bertholletianae. Verum inveftigans in affinitatum rationem, quam habeat acid. muriat. oxyg. cum oxygenio, hanc regulam reperi et fervatam et confirmatam egregie acido muriat. oxyg.; modo id ex theoria Davyana pro fimplici habeas. Scilicet docuerunt Davyus, Gay Lusfacius, Stadion, aliique, quadruplici proportione cum oxygenio fefe iungere acidum muriat. oxyg.: quae copulae hae funt

chlorici		oxygenii	
1	+	1	Partes.
1	+	3	
1	+	5	
1	+	7	

Et

Et vero duae priores conſtituunt oxyda, duae posteriores acida (1).

IV. Acida vel oxyda, oxygenio ditia, aut non ſolvunt alia combuſtibilia, aut ea oxydant: at acidum muriat. oxyg. non oxydat phosphorum et ſulfur, ſicut iam apparuit, ſed ſolvit utrumque, et conſtituit novum corporum genus, plurimis et novis proprietatibus indutum. Conſtat, quam longe alius ſit effectus e. g. acidi nitrici in phosphorum; hunc enim in acidum phosphoricum mutat.

V. Si quis acidum muriat. oxyg. intelligit esſe acidum muriat. cum oxygenio, is triplicem combinationem acidi muriat. oxyg. cum phosphoro et ammonia, cum ſulfure et ammonia, ratione habita III argumenti, prorſus non intelliget, cum nulla oxyda eiusmodi phaenomena offerant.

VI. Metalla non ſolvuntur in acidis, niſi oxydata, et oxyda metallica ex menſtruis expelluntur, ut aliis alcalibus, ita etiam ammo-

(1) *Ann. de Chim.* T. LXXIX. p. 316—349. *Journ. de Phyſ.* T. LXXIII. p. 82 ſqq. Thenard *Traité de Chim.* T. IV. p. 215. 221. *Repertorium* van Büchner B. V. St. I. p. 57—66.

monia. Igitur producta ex combustione metallorum in gaz acido muriat. oxyg. (cum vetus theoria affirmat metalla esse oxydata ex gaz acidi muriat. oxyg.) debent decomponi addita ammonia; oxydaque ammoniâ debent expelli; at ammonia addita miscelae metallicae, haec in novam miscelam concrescit, nihil tamen oxydi expellitur. Igitur videtur colligi posse, aut metalla non oxydata fuisse ex acid. muriat. oxygenat. atque id igitur tamquam metallorum menstruum differre a ceteris horum menstruis; aut, si haec omnino oxydata fuisse sumas mirum esse, quod ex menstruis haec oxyda non sint expulsa alcalibus; cum nullae aliae solutiones metallicae ita se cum ammonia adiungant, et eiusmodi materiae formam constituant.

VII. Contra solutiones eorumdem metallorum in acido muriat. ammonia decomponuntur, expulsis oxydis metallorum. Itaque combusta metalla in gaz acido muriat. oxyg. volunt esse non muriata, sed novas miscelas: et suspicantur, acidum muriat. oxyg. non dimittere oxygenium ad metalla, atque igitur combustionis auctorem non existere ipsius oxygenium: ubi enim combustio sit ex oxygenio, pergunt, oxygenium se cum corpore con-

coniungere. Et ſane est nulla combuſtio in aëre, quin oxygenium aëris ſe coniungat cum corpore combuſtibili: ita etiam ſulfur et carbo oxydantur ex oxygenio acidi nitrici in nitrate contenti, dum accenditur pulvis pyrius. Quod ſi rem ulterius perſequamur, haec nobis ſubiit concluſio: metalla, ſi combuſta forent ex oxygenio acidi muriat. oxygen., debuisſent evadere oxydata, atque acidum muriat. oxyg. debuisſet converti in acidum muriat., hoc autem (magnam cum alat affinitatem cum metallorum oxydis) debuisſet ſolvere oxyda metallorum: atque tum ex muriate debuisſet ammonia expellere oxyda metallorum; vidimus vero longe alium huius rei eventum.

VIII. Salia metallica, i. e. copulae acidorum et oxydorum metallorum, non ſolvunt alia combuſtibilia integra, ut phosphorum, ſulfur; tamen in acido muriat. oxyg. combuſta metalla ſolvunt phosphorum et ſulfur; quae igitur copulae cum a ſalibus metallicis multum diſcedant, confirmatur concluſio praecedentium VI. VII. Exp.

IX. Salia metallica nunquam ſolvunt metalla, quae verſantur in ſtatu metallico: *Prouſtius* docuit, copulam argenti cum acido muriat. oxyg. ſolvere argentum metal-

tallicum (1), itaque hae copulae, cum differant magnopere a metallorum salinis, confirmant conclusionem praecedentem.

X. Corpora oxygenio ditia, quae dimittant oxygenium ad metalla, singula facile oxydare solent carbonem, ut aëris oxygenium, oxygenium acidi sulfurici, nitrici faciunt. Igitur cum sumatur, oxydare acidum muriat. oxyg. metalla, nonne foret consentanea conclusio, tunc huic quoque, imprimis in igni vehementiori, materiem adeo oxygenii avidam, quam carbonicam, abripere oxygenium? ast longe alium vidimus huius rei eventum.

XI. Nesciunt acida se cum azoto coniungere, cumque eo converti in liquorem singularem, acrem volatilem, facillime detonantem. Eiusmodi materiam constituit copula azoti cum acido muriat. oxyg. (2). Hanc Davyus vocat *azotanum*. Huius argumenti vis mihi videtur augeri et suffulciri, si ad conditionem attenderim, in qua azotum versatur, dum cum acido se coniungit; haec enim est, quam vocant evolutionis, (*gaz naissant*,) i. e. ea, qua elemen-

ta

(1) *Repertorium* l. l. p. 55.

(2) *Journ. de Phys.* T. LXXVII. p. 53 sqq. 418 sqq. Thenardus l. l. T. I. p. 537.

ta gazoza omnium facillime sese coniungunt: hoc igitur gaz azotum, si in contactum venerit cum corpore adeo diti oxygenio, quam sumitur esse acidum muriat. oxygen.; nonne attraheret oxygenium, et oxydi formam assumeret sive aëris, sive gaz oxyduli, sive oxydi nitrosi? Itaque rursus magnopere gaz acid. muriat. oxygen. discedit a reliquis, aut acidis, aut oxydis.

XII. Constat gaz oxydum carbonii facile oxydari et ab acidis et ab oxydis. Itaque nonne hoc gaz etiam deberet oxydari ab acido muriat. oxyg.? Id fore sperantes Murrayus et Berzelius, instituerunt hanc in rem experimenta: spem autem fefellit eventus: neque enim oxygenatum viderunt gaz oxydum carbonicum acido muriat. oxygenato, at vero utrumque gaz in singularem materiam coalitum: quem inopinatum eventum eo magis mirati sunt, quo certius scirent, gaz oxydum carbonicum nullam cum ceteris acidis aut oxydis inire copulam.

Equidem vero censerem, argumentum ex analogia petitum, cum constet, acida componi basi et oxygenio, igitur et his construi acidum muriat. oxygen., theoriam Davyanam non debilitare. Videamus itaque de rationibus,

bus, quibus in hanc ſententiam ſim adductus.

Si conſulamus Chemicos, inveniemus eos aliquando de notione acidi disſenſisſe inter ſe, et anxie in cauſam aciditatis inquiſivisſe, inter quos Winterlus (1), et van Mons (2) primi nominandi ſunt. Ex quibus quamvis forſan aliquot depromenda ſint argumenta, quae probent, non uni oxygenio vim acidificantem esſe tribuendam, haec tamen ut nimis ſubtilia, mittimus.

Hoc autem potisſimum argumento defenderem cauſam, ut ſint acida, quibus nihil inest oxygenii; quae quamvis paucisſima ſint, vel ſi tantum unum eiusmodi cognoſcatur tum non liceat Chemico concludere, acidum incognitum conſtare radicali et oxygenio: quod ſi quis tamen ſibi licere putet, is ſciat, ſe in vehementem incurrere ſuſpicionem ignorantiae et temeritatis; cum ignorare videatur id erroris genus mire nocuisſe rectae Naturae intelligentiae; et caducum extitisſe theoriarum fundamentum, quarum millia, ut pote fal-

(1) J. J. Winterl. *Proluſ. de Chem.* Sec. XIX. Prol. I. de cauſa aciditatis p. 1 ſqq.

(2) *Princ. El. de Chim.* p. 98.

falſa corruere et disſipata ſunt: deinde con-torquere ſtudeat Naturae vim et ubertatem ad humilem inopiam, cui una tantum via pateret, qua ad propoſitum finem perveniret. Contrarium probari posſet multis exemplis; at ſatis illuſtratur hoc uno, ex ſaccharo, melle, terra glucina deſumpto, quae tria diverſisſima ſunt et origine, et natura, ſingula tamen dulcia ſunt. — Posſe vero fieri ſuſpicor, ut amplior et perfectior analyſis, facta etiam elementorum, ex una cauſa omnem aciditatem repetat: ſed haec est temporis filia! Nos igitur videamus, an talia, quae diximus, exiſtant acida. Et ſane Trommsdosffius, et Berthollетus docuerunt, esſe gaz quoddam, quod plurimas habet proprietates cum acidis communes, et tamen nihil oxygenii continet. Est gaz hydrogenium ſulfuratum; Germani vocant acidum *hydrothionicum* (1).

Habet hoc has proprietates cum acidis communes, ut aqua ſolvatur, ut colores plantarum coeruleos vertat in rubros (2), ut cum alcalibus ſe iungat, et formet ſalia neutra; adeo ut ſolutionem ſaponis decomponat, co-

pu-

(1) Thomſ. *Syſt. de Chim.* T. III. p. 253—255.

(2) Thenardus l. l. T. I. p. 304.

pulam iniens cum alcali, et expellens oleum: ut cum oxydis metallorum ſeſe iungat: quas ſalinas formas recenſet omnes Thenardius (1).

Huic a quovis Chemico pro acido habito, addidit Davyus aliud A° 1809, quod est gaz hydrogenium telluriferum; tantopere tum aliis notis, tum odore illo moleſtisſimo cum gaz hydrogenio ſulfurato conveniens, ut pro eo aliquando a Davyo, Pepyſio et Warburtono habitum fuerit (2); quod tamen accuratiori examine aliter patuit. Hoc igitur gaz ſcribit Davyus, habere multas notas acidi, ſolvi aqua, ſeſe coniungere cum baſibus ſalifiabilibus alcalibus, vertere colores plantarum coeruleos in rubros (3).

His tertium adiecit Gay Lusſacius. Hic inquirens in acidum Prusſicum, cuius natura Chemicos latuit, quamquam dubium ſit, utrum cetera acida maiori induſtria, quam hoc Prusſicum, melioribus Chemicis ad examen fuerint vocata (4), haud ita pridem

(1) l. l. T. II. p. 652 ſqq.

(2) *Ann. de Chim.* T. LXXV. p. 50 in annot.

(3) *Ann. laud.* p. 49—52.

(4) Vid. Beiträge zur Geſchichte der Blauſäure mit Verſuche über ihre Verbindungen von F. von Ittner.

dem detexit eius indolem, idemque demonſtravit, componi 44, 39 partibus carbonii, 51, 71 azoti, 3, 90 hydrogenii, ponderis ratione habita; vel uno volumine vaporis carbonii, et hydrogenii et azoti, utriusque, dimidio volumine: porro inveniens, detracto ab acido Pruſſico hydrogenio, ſuperesſe ſingularem materiem, hanc vocavit *cyanogène*, illud *acide hydro-cyanique* (1): id vero vidit, itemque plures alii, omnes notas acidi exhibere.

Igitur apparet, oxygenium minime inesſe in omnibus acidis; in his vero quae oxygenio carent, multum hydrogenii.

Atque hic quidem ulterius progrediamur, et videamus de facultatibus, quibus diſtinguatur horum acidorum baſis.

Scilicet conſtitit, horum baſin et cum hydrogenio, et cum oxygenio, posſe formare acida: nam ſulfur ſe cum oxygenio iungens, format acida ſulfuroſum, et ſulfuricum; et cum hydrogenio, acidum hydrothionicum.

Unde argumentum in favorem theoriae Davyanae videtur posſe elici praeſtans, idque ſequens. Sicut ſulfur ſe duabus proportionibus cum oxygenio coniungit, et duo acida con-

(1) Thénard. l. l. T. IV. p. 227. ſqq.

constituit, alterum sulfurosum, alterum sulfuricum, sed cum hydrogenio, una proportione, format acidum hydrothionicum: ita chloricum se duabus dissimilibus proportionibus cum oxygenio iungens, duo profert acida; cum hydrogenio vero una tantum proportione acidum muriat. — Atqui obiici poterit, sequi igitur, acidum muriat. convenire cum acido hydrothionico, acidum chlorici cum acido sulfurico; atque muriata cum hydrosulfuretis, chlorata cum sulfitibus et sulfatibus.

Sed animadvertere liceat, primo notas diversorum acidorum non satis distinctas esse: conveniunt enim notae acidorum mineralium, vegetabilium, animalium, tantopere inter se, ut distingui a se invicem vix possint, nam tres horum factae classes habent fundamentum in ipsa elementorum natura, quae per analysim detecta est, non autem in facultatum dissimilitudine.

Deinde satis conveniunt hydrosulfurata alcalina bene parata et crystallisata cum ceteris salibus. Hinc potissimum Bertholletus retulit gaz hydrosulfuretum inter acida; qui tamen acidum muriat. oxyg. ex acidorum numero proscripsit; quamquam arbitrabatur

huic inesſe oxygenium, et probe ſciebat, hoc illi deesſe.

Praeterea non deſunt teſtimonia convenientiae acidi muriatici cum iis, ex hydrogenio conſtitutis; e g. videntur acida ex hydrogenio compoſita in eo convenire, ut ſe facile et avide cum metallorum oxydis coniungant; hoc apte acidum hydrothionicum, et gaz hydrogenium telluriferum, et acidum Pruisſicum faciuut; et quam avide ſolvat aquea ſolutio acidi muriat. quaevis oxyda metallica, conſtat inter omnes.

Tandem quis obiecerit, muriata tantopere forma cryſtallina convenire cum ſalibus, quorum baſin acidum, oxygenio compoſitum, ſaturaverit. At vero hic non nimis premendum est; tunc enim dixeris, ſi quid acidum, Pruisſicum omnino continere oxygenium: nam Prusſiata ſummopere conveniunt cum ceteris ſalibus; cryſtalliſantur enim facile et egregie, et forma analoga ceterorum ſalium (1).

Denique arbitror, argumentum ex analogia petitum, acido muriat. oxyg. inesſe oxygenium, quia in eo comburuntur combuſtibilia, ut haec facere ſolent in aëre, aut in gaz oxyge-

(1) Thénard, l. l. T. III. p. 466 ſqq.

genio; aut ſi alia corpora, oxygenii ditia, ſuum oxygenium dimittunt, ſicut acidum nitricum ad ſulfur et carbonem in accenſo pulvere pyrio, non multum valere. Hac de re variis locis exponit, Davyus. Ita (1) „ la „ chaleur, inquit, et la lumière ſont ſimple„ ment les réſultats de l'agence intenſe de „ la combinaiſon, et c'est le fait (la vive „ combuſtion) que l'on doit attendre dans „ une operation auſsi rapide, que celle de „ l'acide oximuriatique ſur les métaux et les „ corps inflammables." Simili modo ſolvit hanc obiectionem alio loco (2): qua in expoſitione alios Phyſicos ſecum conſentientes habet (3).

Longius a quaeſtione aberrarem, ſi in notionem combuſtionis inquirerem; aut quid contingat in combuſtione, enarrarem: praecipue cum tantus ſit inter Pyſicos, omnes et recentiores imprimis, disſenſus de calorico et lumine: et utrum haec exiſtant, necne; an emit-

(1) *Journ. de Phyſ.* T. LXXI. p. 733.

(2) *Journ. de Phyſ.* T. LXXIX. p. 267. *El. de Phil. Chim.* T. I. p. 368.

(3) cf. *Beknopt Handboek der Scheikunde* door P. van Werkhoven II. Druk 1815. p. 351.

emittantur ex corporibus; an vero ex motu quodam molecularum, an ex aliis? Sed res videtur ita posſe diiudicari: nimirum, utrum demonſtrari posſit, num, praeter combuſtiones in gaz acido muriat. oxyg., obtineant combuſtiones absque oxygenio, quod ſi demonſtrari posſit, videtur illa objectio parum tangere theoriam Davyanam. Itaque videamus. Et conſtat, quantum calorici liberum fiat, ſi aqua cum calce viva, aut cum acido ſulfurico ſeſe coniungat: conſtat ex presſione aëris caloricum et lucem prodire: memoratur potasſium, dum in contactum venit cum tellurio et arſenico, cum his ſe ſubito coniungere, et flammas et caloricum emittere (1); quibus plura eiusmodi generis exempla addere ſi vellemus, posſemus: ſed malo Noſtrates laudare, qui experimentis pluribus, iisque egregiis, et maxime perſpicuis ostenderunt, esſe corpora, quae absque oxygenio inflammantur et velut comburuntur (2).

Ob-

(1) Davyus *El. de Phil. Chim.* T. I. p. 367. 368. Thomſ. l. l. T. II. p. 263 ſqq.

(2) cf. Expériences ſur l'inflammation du mélange de ſouffre, et des metaux, ſans la préſence de l'oxygène: *Récherch. Phyſico-Chim.* 1794. Cah. III. p. 73—96.

Obſervarunt enim miſcelam ſulfuris et metallorum purorum inflammari, i. e. chemice coniungi, una cum lucis et calorici emisſione; prae primis 3 partes cupri (1), ferri, ſtanni, zinci (2) et unam ſulfuris puri inflammari in gaz azoto, hydrogenio, acido carbonico (3), ſub mercurio, aqua (4), in vacuo (5). Hinc pergunt: „ les métaux et le „ ſouffre après avoir été enflammé, ont cesſé d'être ſeulement un melange méchani„ que, ils ſe ſont combinés enſemble, ils „ ſont devenus des ſulfures métalliques. Ne „ ſe pourrait-il pas, que ces ſulfures for„ més n'ayent pas asſez de capacité de calo„ rique comme partie conſtituante, pour ab„ ſorber le total du calorique contenu, dans „ les métaux, et dans le ſouffre, conſiderés „ pour ſoi. Dans ce cas, il faut qu'il y ait „ dégagement de ce calorique libre, et ſi ce „ dégagement ſe fait en quantité et rapide„ ment, il y aura non ſeulement de la cha-

„ leur,

(1) l. l. p. 73 ſqq. Exp. IV. V. VI. VIII.
(2) l. l. p. 78. 79. Exp. X.
(3) l. l. p. 83. XIV.
(4) l. l. p. 86 ſqq. XVII.
(5) l. l. p. 80. ſqq. XIII.

„ leur, mais encore de la lumière et de la „ flamme (1)."

Igitur obtinere apparet, combustionem absque oxygenio. Quare necesſe non est quod concludas, inesſe oxygenium gaz acido muriat. oxyg., cum alat flammam. Intelligitur itaque, vulgo receptam combustionis notionem nimis arctis circumſcribi limitibus, quippe quae ſola pertinet ad oxydationem aut oxygenationem: haec vero latius pateat, necesſe esſe; ſulphur enim et metalla comburi nec tamen oxydari quare forſitan haud male definieris, ſi combustionem obtinere dixeris, quando duo vel plura corpora ſub lucis et calorici emisſione ſeſe coniungant; modo teneas, ſolitum combustionis in aëre eventum esſe oxydationem vel oxygenationem. Univerſe omnis ambiguitas facile evitatur, modo teneatur definitio a Noſtratibus data. Nommons, pergunt, „ *inflammation* toute ſorte „ de dégagement de calorique, qui ſe fait „ avec lumière et flamme, et retenons ſi „ l'on veut, les mots *combustion*, pour dis- „ tinguer, quand cela est nécesſaire, ces in- „ flammations la, qui ſont cauſées par l'oxy-

„ gè-

(1) l. l. p. 94.

„ gène, qui ſe combine avec dégagement de
„ flamme, tandis que le mot *oxydation* reste-
„ ra pour ſignifier les combustions lentes,
„ ſans flamme ſenſible (1)."

Tandem cum gaz acidum muriat. oxyg. polo poſitivo attrahatur, cum in gaz acido muriat. oxyg. corpora inflammentur, cum acidum muriat. oxygenat. ita ſe cum variis baſibus inflammabilibus coniungit, analogiae uſu gaz acidum muriat. oxyg. et gaz oxygenium in unam claſſem redegit Davyus (2): quod utrum recte, non hic locus est disputare.

Quibus omnibus collectis apparet, acidum muriat. oxyg. exhibere proprietates, a ceteris acidis et oxydis diverſas: deinde diſtingui notis ſuis, ſi velis, cum gaz oxygenii proxime convenientibus: tum copulas acidi muriat. oxyg. cum baſibus ſalificabilibus, metallis, differre a ceteris copulis ſalium: deinde esſe acida, quae componuntur baſi et hydrogenio: porro esſe baſes, quae formant acida cum hydrogenio, et cum oxygenio: deinde acidum muriat. habere proprietates communes cum acidis hydrogenio compoſitis: ſolu-

ti-

(1) l. l. p. 96. cf. Thomſ. l. l. T. II. p. 263 ſqq.

(2) Davyus *El. de Phil. de Chim.* T. I. p. 367 ſqq.

tiones salium muriatum habere proprietates communes cum aliis salibus; deinde salia composita acido, cui hydrogenium inest, exhibere proprietates salibus communes, quorum oxydatae bases cum acidis, ex oxygenio natis, coniunctae sunt, sicut prussiata: acidum muriat. oxyg. varie posse oxydari; et si magis oxydatur, constituere acida: detracto oxygenio converti in oxyda: haec acida habere proprietates, reliquis acidis proprias: denique inflammationem absque oxygenio posse obtinere; neque igitur in omni combustione fieri oxydationem aut oxygenationem corporis combusti.

Cum itaque vidimus de analogiae usu in confirmanda doctrina Davyana, videamus de eiusdem usu in Bertholletiana.

Cum floreret vere doctrina Lavoisieriana, eaque probasset, phosphorum, carbonem, sulfur, combusta vel in aëre, vel in gaz oxygenio converti in acida (1); in reliqua acida accuratius indagatum est; qua indagatione cum efficeretur, acida quaecunque ad examen vocarentur, componi basi et oxygenio; hoc vocatum est principium acidificans,

(1) Lavoisier *Traité de Chim.* T. I. p. 57 sqq.

cans, atque inde generales acidi proprietates deductae sunt: quod patet ex hoc Fourcroyi loco (T. II. p. 27.) ,, puisque l'oxy- ,, gène ou principe acidifiant est commun à ,, tous les acides, il est narurel d'attribuer leurs ,, proprietés génerales d'acide à ce principe." Hinc factum est, ut, cum basin acidi non invenirent, quaerere coeperint, utrum proprietates acidi, cuius natura latebat, cum iis cognitorum acidorum convenirent: quarum aliquot cum viderent similes proprietatibus acidorum, quorum natura erat cognita, inferebant acidum incognitum componi ea ratione, qua reliqua erant composita, i. e. basi et oxygenio. Hinc cum invenirent, proprietates acidi muriat. convenire cum proprietatibus acidorum cognitorum, affirmabant, esse acidum muriat. compositum basi et oxygenio: deinde cum reperisset Lavoisierius, praeeuntibus Priestleio et Cavendishio, corpora combustibilia, sulfur, phosphorum, metalla, dum combusta erant, ponderis incrementum passa fuisse, ipsum autem aerem, in quo erant combusta, ineptum esse redditum ad flammam alendam; neque in eo comburi corpora combustibilia, neque amplius ponderis incrementum capere; ipsum vero gaz, cum a metallis com-

combustis seiungeretur, et colligeretur, tantum esse, quantum ponderis decrementum aër caperet: idque gaz habere facultatem flammae alendae, et combustibilia in calces, et acida convertendi: primo, repugnante quidem, ut fit, deinde vero rei perspicuitate convicta schola chemica, assumtum est, combustionem oriri ex copula principii, oxygenii dicti, cum corpore combustibili. Quum itaque deinde invenirent, acidum muriat., tractatum cum oxydis metallicis, converti in novum gaz, ipsum vero oxydum metallicum amittere oxygenium: deinde illud novum gaz hanc habere facultatem, ut in eo comburantur corpora; hanc combustionem derivarunt ex oxygenio, quod ex oxydo metallico sibi adscivisse putabant acidum muriaticum. Hinc tum temporis affirmatum est, componi acidum muriat. oxyg. acido muriat. et oxygenio.

Haec sunt potissimum argumenta, ex analogia desumta ad probandam horum acidorum naturam, quae omnino pulchre cohaerebant, et rei probationi tunc temporis sufficiebant: nec mirum; erant Lavosierii; quodnam vero his pretium nunc sit statuendum, post tot et tanta inventa, iam vidimus. His vero deinde alia argumenta sunt addita, prae-

pri-

primis novissimo tempore. Quorum praecipua recensebimus.

Acidum muriat. oxyg. dicitur habere proprietates cum corporibus oxydatis communes (1) — I. Odorem.

Est enim ipsius odor pungens, acris, suffocans. Hujus autem argumenti vim equidem non magnam existimarem. Sunt, fateor, acida, quae ingrate et moleste olent, ut sulfurosum, nitrosum, alia; contra tamen sunt alia, quae non olent; num igitur, quaerere liceat, acidum tartaricum, aut gaz acidum carbonicum non sunt acida, quia non olent? aut acidum sulfuricum minus acre, minus acidum, quia non olet, quam foetidum sulfurosum: atqui ne acidum quidem muriat. oxyg. est acidum: quodsi vel concesserim esse oxydatum; nonne sunt plura, ad respondendum habeo, corpora oxydata, quae non olent? nonne inter corpora, pro simplicibus habita, inveniuntur

(1) *Repert.* von Büchner B. V. St. I. p. 52. Cf. Gilbert *Ann.* L. p. 356 sqq. *Journal* von Schweigger B. XI. XII. Hildebrandt *in Neues Journal für Chemie und Phys.* Bd. XIII. H. I. 1815 S. 72. et *Handwörterbuch der allgemeinen Chemie* von S. F. John 1817. B. I. p. 166. 167. et *Auct.* ibi laud.

tur olentia: gaz hydrogenium olet ingrate; plura metalla ſuum habent odorem, unde vel distingui posſunt, quem ſingula amittunt, cum oxydantur.

II. Solubilitatem (1) in aqua. Hoc argumentum gravius est, et omnino ſtringit: omnia enim acida gazoza facile aqua ſolvuntur, ut gaz acid. carbonicum, nitroſum, ſulphuroſum, phosphoroſum. Liceat tamen monere, alia gaz ſimplicia etiam aqua ſolvi, ut gaz hydrogenium, oxygenium: praeterea hanc facultatem habere diverſisſimam corpora, quae tamen ad eamdem clasſem pertinere cenſentur; ita e. g. conſtat, oxydorum metallicorum nullum aqua ſolvi, deliqueſcunt tamen potasſa et ſoda.

III. Cryſtalliſandi facultatem (2) in frigore. Omnino hac carent gaz ſimplicia, oxygenium, hydrogenium. Atqui animadverto, hac etiam carere gaz acida, nitroſum, ſulfuroſum, phosphoroſum, carbonicum: praeterea gaz acid. muriat. oxygen. non cryſtalliſari, niſi ſe cum aqua coniunxerit: nam Davyus ſiccatum gaz acidum muriat. oxyg. invenit mi-

(1) Ibid.

(2) Ibid. l. l.

minime solidescere, ne ad gradum zero scalae Fahrenheitianae: sed cum in aqua gaz solvisset, hoc invenit concrescere ad gradum 40 Fahrenheit: porro constare, non sola acida esse corpora, quae crystallisentur, sed facultatem formam solidi assumendi competere fere omnibus, quae cognoverimus corporibus, aliis quidem in igni, aliis in aqua. Atque hinc inferri posset, hanc generalem esse corporum proprietatem, et ad ea quoque pertinere, quae sola tamquam gaz existere cognoscuntur; hanc vero in his impediri et quasi praeverti variis in quibus versentur conditionibus, temperatura maiori, e. g. pressione minori; nec male; quodsi fingas semper regnasse temperaturam maiorem 32 grad. scal. Fahrenh., num facilem et perspicuam aquae crystallinae notionem fore credas? aut si gradum temperaturae sexcentesimum ad quadragesimum infra zero redigas, nonne gaz mercurii in octaëdricas crystallos solidescet? quidni igitur tantum temperaturae frigus cogites, quo detracto calorico, gaza simplicia solidescant; imprimis, si illud adiuveris sufficientis pressionis auxilio. — Quibus addas observationes, simplicia corpora, ut metalla, cum aqua formam solidam assumere peculi-

 arem:

arem: quam quidem hydrateorum perſcrutationem ſuſpicor, et velut auguror, limpidum aperuisſe fontem rectius cognoſcendi plures plurium corporum facultates, et aliquando ducturum fore ad bonam multorum naturae phaenomenorum intelligentiam.

Sed video tempus esſe ad ea quae ſuperſint, progrediundi.



CAPUT IV.

DE USU BASEOS ACIDI FLUORICI ET PRINCIPII IÖDICI IN CONFIRMANDA VETERI THEORIA BERTHOLLETIANA ET DAVYANA.

Cum detexisset Margrafius A° 1768 in fluore sive spatho fusibili non inesse acidum vitrioli, sicut credebatur tum temporis (1), ulterius progressus est Scheelius: hic enim docuit A° 1773 esse in illo spatho singulare acidum, idque vocavit fluoricum (2). Quod cum deinde negarent Physici, omni, qua erat, ingenii sagacitate usus est Scheelius, ut suam contra adversarios sententiam defenderet, et confirmaret; quam defensionem brevi subsecuta est plena victoria, omnibus Che-

(1) Thomf. l. l. T. III. p. 64.

(2) Scheele *Exam. Chem. Fluoris mineralis, ejusque acidi in Opusc.* II.

Chemicis Scheelio asſentientibus. Expellitur ex fluore hoc acidum ſub ſpecie gaz, acidi ſulfurici ope, et est memorabile praeſertim duabus facultatibus, quarum altera est haec: ut ex gazoſis corporibus ſub forma denſae et albae nebulae aquam hygrometrice in gaz contentam extrudat (1); altera est molestisſima illa vaſa vitrea corrodendi et perdendi vis, attrahendo materiam ſiliceam (2): ob quam ei Amperius nuper dedit nomen acidi *Phthorici* a voce *φθοριος* (3). Saepius est hoc acidum ad examen vocatum, ut detegeretur eius compoſitio; irrita tamen hunc in finem fuerunt quaevis quorumvis Chemicorum tentamina (4). Quum autem potasſii et ſodii inſignis vis et oxyda, et acida, et plurima corpora alia decomponendi, detecta et confirmata est, primi fuerunt Gay Lusſacius (5) et Thenardus, et mox Davyus (6), qui haec metalla ad-

(1) *Mem. d'Arcueil.* T. II.

(2) *Beknopt Handb. der Scheik. door* P. van Werkhoven p. 342. 343. cum annot. et Auct. ibi laudd.

(3) *Ann. de Chim.* Mai 1816. p. 24.

(4) Thomſ. l. l. T. III. p. 65.

(5) *Ann. de Chim.* T. LXVI. p. 213 ſqq.

(6) *Journ. de Phyſ.* T. LXXIX. p. 397—401.

adhibuerunt ad decomponendum acidum fluoricum, eiusque naturam inveniendam.

Tres ſunt principes formae ſub quibus occurrit acidum fluoricum.

Primum est acidum fluoricum ſiliceum, primo Scheelio inventum, deinde a Priestleio ulterius examinatum. Acquiritur, ſi ſpathum cum acido ſulfurico et vitro calefiat. Est fluidum elaſticum, denſum, materiem ſiliceam ſolutam ferens, cum gaz ammonia in ſal concreſcens. Alterum est acidum fluoricum liquidum a Scheelio inventum, purum autem a Gay Lusſacio et Thenardio paratum. Paratur, ſi acidum ſulfuricum purum et ſpathum in vaſis argenteis aut plumbeis tractentur.

Excitat cum aqua calorem, et habet ſingularem proprietatem, ut cum aqua denſum fiat: adeo ut Davyus obſervaverit, gravitatem ſpecificam tunc increſcere ab 1–25.

Est in inſtituendis experimentis moleſtum, et plurimum vexavit Davyum et Gay Lusſacium et Thenardum (1).

Tertium denique est acidum fluo-boricum

a

(1) *Ann. de Chim.* T. LXIX. p. 204 ſqq. *Mem. d'Arcueil* T. II. p. 317 ſqq.

a Gay Lussacio et Thenardo inventum (1).

Acquiritur, si in tubo ferreo miscela acidi boracici vitrei et spathi candesiat. Superat bis et tricies gravitatem specificam gaz hydrogenii; cum ammonia concrescit in sal, quod in aqua format acidum boracicum. Videamus iam, quomodo potassium in haec singula agat.

Si potassium igni fusum in contactum veniat cum gaz acidi fluorici-silicei, comburitur, multum lucis et calorici emittitur, multum gaz evanescit, et prodit aliquod gaz hydrogenium, et nascitur materies fusca, palpabilis, cum aqua effervescens, et gaz hydrogenium emittens (2).

Si cum acido fluorico liquido puro potassium tractetur, nascitur gaz hydrogenium et fluas acidum (3) potassae, si cum acido fluoborico, fluas potassae et basis acidi boracici (4). His itaque ut factis consideratis, videamus quaenam sint Physicorum senten-

ten-

(1) *Ann. de Chim.* T. LXXXVIII. p. 286 in annot.
(2) *Ann. de Chim.* T. LXIX. p. 215 sqq.
(3) l. l. p. 211—213. *Ann.* T. LXXXVIII. p. 277.
(4) *Ann. de Chim.* l. l. p. 277.

tentiae de natura acidi fluorici, eiusque copulis cum aliis materiis.

Sunt duae, maxime diversae, quarum altera sumit, gaz acidum fluoricum siliceum esse compositum terra silicea et acido quodam singulari, instar reliquorum, formato basi et oxygenio: acidum fluo-boricum esse compositum acido boracico et fluorico: denique acidum fluoricum purum componi aqua et acido. Et haec est sententia vulgo recepta, praesertim ab iis, qui veterem Bertholletianam theoriam defendunt (1).

Altera a Davyo et Amperio accepta contendit, acidum fluoricum siliceum esse formatum principio singulari *phthorico (fluorine,)* dicto, nondum decomposito, analogo chlorico et oxygenio, coniuncto cum *siliceo*, sive basi terrae siliceae: acidum fluo-boricum esse compositum eodem principio, et borio, basi acidi boracici: acidum vero fluoricum liquidum purum esse formatum eodem *phthorico* et hydrogenio, igitur simile acido muriatico (2).

Itaque mox apparet, utramque theoriam posse explicare omnia phaenomena, ea ratione,

(1) l. l. p. l.
(2) l. l. p. l.

ne, qua utraque explicat phaenomena, quae edunt acida muriat. oxyg. et muriaticum.

Hoc exemplis illuſtrare, non incongruum mihi videtur. Fluatis potasſae et borii originem ex combustione potasſii in gaz acido fluo-boracico, ita explicarem Berzelianus, ut oxygenium acidi boracici ſe coniungat cum potasſio, unde hoc oxydatum ſolvatur in acido fluorico, atque ita liberum fiat borium: contra Davyanus ita, ut phthoricum, principium ſe coniungat cum potasſio (ſicut chloricum cum potasſio ſolet facere) unde borium liberum fiat.

Sic phaenomena ex combustione potasſii in acido fluorico puro, ita exponerem Berzelianus, ut aqua, contenta in acido fluorico, decomponatur, eiusque hydrogenium liberum fiat, ſed oxygenium ſeſe iungat cum potasſio, atque hoc nunc in acido fluorico ſolvatur. Contra Davyanus hoc modo: ut acidi fluorici baſis, (fluorine) ſeſe iungat cum potasſio, hydrogenium vero acidi fluorici liberum evadat. Atque plura phaenomena, quae offerant tres memoratae materies, ex utraque theoria ſimili modo explicari posſe videntur. Experimenta vero nondum inſtituta ſunt, unde litis compoſitio apparet. Quae enim a

Gay

Gay Lusfacio, Thenardo (1) funt facta, cum haec aeque facile utramque expofitionem admittant, haec non illuftrare cenfenda funt naturam acidi fluorici. Pauca igitur illa videamus, quibus deinde Davyus probatam putat fuam fententiam.

I. Acida, quae funt compofita oxygenio, bafi, et aqua, ficut acidum fulfuricum, nitricum, emittunt aquam, fi in contactum veniant cum gaz ammoniae: igitur acidum fluoricum, quum esfet compofitum aqua, oxygenio, et bafi, quoque aquam emitteret, fi in contactum venerit cum gaz ammonia; hanc vero, fumma adhibita cura, Davyus, ufus apparatu platinae, ex gaz ammoniae et acido fluorico puro, in fal converfis, nullam detegere potuit (2).

II. Si falia ammoniae, quorum acidum continet oxygenium, ut fulfas ammoniae, nitras ammoniae, cum potasfio tractentur, ammonia fecernitur, et bafis acidi, ita azotum in hoc fale, fulfur in illo; igitur, fi acidum fluoricum esfet compofitum bafi et oxygenio tum etiam bafis potasfio eliceretur, et oxygenium de-

(1) l. l. p. 282 fqq.

(2) *Ann. de Chim.* T. LXXXVIII. p. 279 fqq.

detraheretur; sed longe alium experimenti eventum vidit Davyus, cum fluatem ammoniae cum potassio calefaceret: sicut enim potassium agit in muriatem ammoniae, ita etiam in fluatem ammoniae; scilicet ammonia expellitur et gaz hydrogenium: igitur nullum indicium aut oxygenii aut basis inflammabilis (1).

III. Omnia hydratea (i. e. corpora, in quibus proportiones definitae aquae coniunctae sunt cum acidis, alcalibus, oxydisve aliis) decomponuntur columna Galvanica, eorumque principia inflammabilia attrahuntur aut mera, aut cum aliqua oxygenii copia coniuncta, a superficie negativa, dum oxygenium attrahitur superficie positiva; ita acidi sulfurici sulfur et hydrogenium a negativa; attrahitur oxygenium vero a superficie positiva, ita cum acidis phosphorico, nitrico, obtinet: contra, cum columna tractato acido fluorico puro corrodebatur filum platinae ad polum positivum, et tegebatur pulvere fusco; et ad negativum, observabatur materies gazosa, quae videbatur esse hydrogenium: igitur si esset hydrateum acidum fluoricum purum, ubi

(1) l. l. T. cit. p. 281 sqq.

ubi tum oxygenium aquae, ubi basis acidi (1)?

IV. Corrodit acidum fluoricum plura metalla, stannum, plumbum, alia; eaque vertit in varios pulveres coloratos. Ex quibus allatis concludit experimentis Davyus, „ la manière la plus simple de les expliquer (les „ phenomènes de l'application de l'electricité „ voltaique à l'acide fluorique) c'est de sup„ poser l'acide fluorique, ainsi que l'acide „ muriatique, composé d'hydrogène, et d'une „ substance jusqu'ici inconnue sous une for„ me distincte, possedant, comme l'oxygène „ et la chlorine, l'énergie électrique néga„ tive, par consequent portée à la surface „ positive, et fortement attirée par les sub„ stances métalliques (2)."

V. Considerans Davyus composita acidi fluorici esse copulas *phthorici* et combustibilium, instar copularum chlorici, quum arbitraretur chloricum separari ab hydrogenio per oxygenium, et oxygenium separari a metallis per chloricum, probalile esse suspicabatur, illud *phthoricum* posse separari a basibus, sive chlorico, sive oxygenio: quod confirmatum vi-

(1)

(2) T. I. p. 285—287.

vidit pluribus experimentis, ita fluas mercurii et argenti decomponi chlorico, ut etiam fluata potasfae et fodae (1).

VI. Tandem animadvertit Davyus, si ratio habeatur proportionum definitarum, debere asfumi, acidi fluorici basin multo plus oxygenii continere, quam aquam ipsius acidi hydrateae, id autem repugnare analogiae. Ex quibus omnibus deducit Davyus, contineri in acido fluorico materiam quamdam fluorinam (phthoricum) hancce habere magnam cum hydrogenio et metallis affinitatem (2). Hinc, hanc nomenclaturam propofuit Amperius, ut principium acidi fluorici dicatur *phthoricum*; quod cum hydrogenio cum formet purum acidum fluoricum; hoc dicatur *hydro-phthoricum*: huius falia *hydro-phthorata*: fin autem phthoricum fe cum oxygenio iungat, et formet *acidum phthoricum*, eius falia *phthorata* vocentur (3).

Omnibus vero collatis, quamquam cum Thenardo et Tierrio opinamur, hanc rem minime extra dubium esfe positam, tamen

(1) Tom. I. p. 288—293.

(2) Tom. I. p. 295. 296. *Journ. de Phys.* T. LXXIX. p. 259—264.

(3) *Ann. de Chim. et de Phys.* May 1816 p. 24.

men apparuit, praeterquam quod theoria, Davyana possit exponere phaenomena, ad acidum fluoricum pertinentia; instituisse et attulisse experimenta et argumenta Davyum, quae altera theoria non ita facile explicet; praeprimis si analogiae ratio habeatur: exhibere enim proprietates et agendi rationem acidum fluoricum, dissimiles iis acidorum, quae constant basi inflammabili, et oxygenio, contra convenientes alius generis acido, quocum igitur etiam natura conveniat.

Denique considerandum est principium *Iödicum.*

B. Courtois (1) A° 1811 in lixiviis sodae de varec primus observavit materiam quamdamsingularem; cuius cum certiorem fecisset Clementium, hic hanc examinare coepit, eiusque mentionem fecit mense Nov. A° 1813 (2), quo experimenta hac de re communicavit cum Societate Instituti Regii Parisiensis: hic autem Davyo, qui tum Parisiis degebat, monstravit materiam: paulo post vero haec optimos quosque chemicos multum occupavit; ut Gay

(1) *Ann. de Chim.* T. LXXXVIII. p. 304. T. XCI. p. 118 sqq.

(2) *Ann.* laud. T. LXXXVIII. p. 305.

Gay Lussacium (1), Collinum (2), Davyum (3), Vauquelinum, Gaulthier de Claubry (4), Berzelium, Doebereinerum, Stromeyerum, Lampadium, Büchnerum (5), alios. Unde non mirum est, tanta tantorum Chemicorum industria fortuitam novae materiae detectionem, mox secutam fuisse eiusdem proprietatum satis plenam historiam. Quam quidem hic, si liceret meae satisfacere voluntati, quantum ego possem, traderem integram, ni metuendum esset, ne ex rei amplitudine nimis a proposito consilio aberrarem; igitur eam invitus relinquens, ea tantum memorabo, quae ad quaestionem pertinere videntur. Quem in finem enumerabimus praecipuas proprietates et copulas principii *Iödici:* quo facto satis superque apparebit, qualis et quanti sit usus et momenti principium hocce *Iödicum* ad litem de natura acidorum muriatici, et muriat. oxyg., componendam.

Col-

(1) l. l. T. cit. p. 4—96.

(2) *Journ. de Phys.* T. LXXIX. p. 31 sqq. p. 111 sqq.

(3) *Journ.* l. T. LXXVII. p. 456 sqq. T. LXXIX. p. 154 sqq.

(4) l. l. T. LXXX. p. 147 sqq.

(5) *Repert.* von Büchner B. V. St. I. p. 71 sqq.

Colligitur haec materies, si lixivio sodae de varec infundatur acidi sulfurici ea quantitas, ut acidum abundet, deinde omnis miscela calefiat: tum vapores exsurgunt, eximie violacei, qui frigefacti sub specie lamellarum inhaerent vasis parietibus. Ob hunc egregium colorem dicta est a Gay Lussacio *iöde*, a voce Ἰώδης. Claubry vero fuit, qui examini subiecerit Fucos, (sodae enim de varec dicitur illa sodae species, quae acquiritur ex fucis, ad mare crescentibus;) ut fucos serratos, vesiculosum, siliquosum, ulvas, alias plantas; ex nulla autem maiorem iödici copiam comparavit, quam ex fuco saccharino: in pluribus tamen eiusmodi plantis frustra hoc quaesiverunt Büchnerus et Stolzius. Continetur autem Iödicum in fucis sub forma acidi hydro-iödici, basi cuidam adiuncti.

Iödium modo, quem supra tradidimus, paratum, sequentes habet proprietates.

Formam lamellarum rhomboïdalium; splendorem metallicum; colorem plumbagineum; odorem pungentem, simillimum acidi muriat. oxyg.; saporem acerrimum; gravitatem specificam metalli.

Perdit colores vegetabiles.

Solvitur aqua; et haec miſcela fit flavo-aurantea: funditur ad gradum 107°, et facile fit volatile.

Habet proprietates tales electricas, quales oxygenium, et acidum muriat. oxyg.; ducitur verſus polum poſitivum.

Se coniungit cum corporibus combustibilibus. Cum phosphoro ſe iungit, et tum emittitur caloricum et lux: ad quam miſcelam, ſi aqua accesſerit, vapores acidi provenient.

Se coniungit cum ſulfure, et format quamdam materiam griſeam.

Se coniungit in igni cum hydrogenio, et format acidum: 100 partes iödici, et 0. 849 hydrogenii, conſtituunt hoc acidum.

Cum carbonio ſe nullo modo coniungit, neque ſolita temperatura, neque igni.

Cum azoto copulam init, (ſicut detexit Courtoiſius, confirmarunt deinde Collinus, Gay Lusſacius et Vauquelinus) et formatur pulvis fuſcus facillime detonans; paratur hic, ſi gaz ammoniae tractetur cum iödio.

Cum metallis quibusvis ſeſe coniungit: ita 100 partes iödii ſe iungunt cum 26, 225 zinci: ita cum ferro, ſtanno, ſtibio, cupro,

plum-

plumbo; si cum potassio iungitur, emittitur multum calorici et luminis. Omnes hae copulae iodii cum metallis (*iödures* vocant) decomponuntur acido nitrico, sulfurico ita, ut metalla oxydentur et secernatur iödium: etiam decomponuntur acido muriat. oxyg.; sed iödicum sulfureta et phosphoreta decomponit. Memorabilis est actio principii iödici et oxydorum: si in contactum veniat iödium cum oxydo potassii, oxygenium expellitur et acquiritur iöduretum potassii, quod oxygenium provenire videtur ex potassio, cum copia oxygenii emissa conveniat cum copia oxygenii in potassio contenti: singularis magis est actio si ad haec accedat aqua, tum enim formantur acida diversa duo, iödicum, et hydro-iödicum; hinc concludit Gay Lussacius, postquam multa eiusmodi exempla attulerat;

Videri oxyda alcalina, quae oxygenium habent, quasi condensatum maxime, et cum acidis perfecte, neutras vocant, constituunt materies, ita cum iödio decomponere aquam, ut iödata proveniant, et hydro-iödata.

Oxyda metallica vero, quae minus condensatum habent oxygenium, et minus perfecte neutras cum acidis formant copulas, non valere aquam decomponere, ita ut iödata proveniant.

Oxyda vero, in quibus magis ſolutum ineſt oxygenium, cum iödio aquam non poſſe decomponere, at convertere iödium, tradito ſuo oxygenio, in acidum (1).

Si iödicum tractetur cum phosphoro, dein haec miſcela cum aqua, formatur gaz quoddam acidum, quod, ſi in contactum veniat cum mercurio, decomponitur: mercurius enim vertitur in materiam flavo-viridem, et gaz hydrogenium liberum fit: quod efficit dimidium partem gaz acidi adhibiti. — Hoc gaz acidum tractatum cum metallis, potasſio, zinco, formantur iödureta (tales copulae, quales formantur, ſi iödium tractetur cum iisdem metallis) et liberum fit gaz hydrogenium. Praeterea ſi gaz illud candeſcat cum gaz oxygenio in tubo ferreo, formatur aqua, et liberum fit iödicum.

Sin autem in contactum ducatur iödium cum gaz hydrogenio ſulfurato, formatur gaz hoc acidum, et expellitur ſulfur. Hinc dicit Gay Lusſacius, cumque eo fere omnes, non dubiam esſe indolem huius acidi; quippe esſe compoſitam hydrogenio et iödio; quare vo-

(1) *Ann. de Chim.* T. XCI. p. 44. 45.

minem de praeiudicata opinione accuſare;) is inquam, velit in memoriam revocare, quae diximus de historia acidi muriat. oxyg.; deinde ſciat, et huius facultates et copulas, et multorum aliorum corporum tunc latuisſe, quae nunc innoteſcunt; acida nempe, quae oxygenio carent; copulas acidi muriat. oxygen. cum azoto, ſulphure, phosphoro; et quae alia pugnent argumenta pro ſimplicitate acidi.

Atqui aliquis obiecerit, omnem de iodio oxydato ſententiam Berzelium finxisſe ex ſua de acido muriat. oxyg. quam tueretur ſententia; equidem respondeo, quominus quis isti ſuſpicioni indulgeat, vetare probatam Viri fidem, et veri amorem; et vero prudentiam, et ingenii magnitudinem. — Nunc igitur pergamus ad caput ultimum.



CAPUT V.

CONCLUSIO.

Quae omnia ſi in unum contrahamus confici poſſe videtur:

Nulla eſſe experimenta, quae ex puro gaz acido muriat. oxygen. eliciant oxygenium; quod autem prodeat oxygenium in experimentis, cum acido muriat. oxygen. et oxydis captis, ex oxydis emitti, ſi horum baſes cum acido muriat. oxygen. ſeſe coniunxerint: probatum enim eſſe, quantitatem gaz oxygenii emiſſi eam eſſe quam continent oxyda; producta vero eſſe eadem, quae acquiruntur, ſi baſes eorum, dum omni carent oxygenio, cum acido muriat. oxygen. coniunxeris.

Eſſe experimenta, quae probent, proprietates competere acido muriat. oxygen., diverſas a ceteris et oxydis, et acidis.

Copulas acidi muriat. oxygen. cum quibusvis corporibus distingui proprietatibus, a copulis acidorum, oxydorumque cum iisdem corporibus, longe diverſis. Nullam non tantum eſſe repugnantiam in experimentis Davyanis, ſed ſummam convenientiam; ſingula

enim

enim per se ad eandem ducere conclusionem ad quam variata, repetita, extensa, connexa; alterumque ex altero exponi, et se invicem firmare. Experimenta, quibus velint, aquam contineri in gaz acido muriat., admittere aliam exponendi rationem; semper enim tunc concurrere corpora ex quibus illius aquae origo apte derivetur: contra experimenta alia probare, nihil aquae inesse gaz acido muriatico, atque haec nulla, nisi Davyana theoria, et hac quidem facillime, exponi.

Doctrinam proportionum definitarum utrique theoriae inservire: quippe ex qua et una et altera pars argumenta depromat, ad suam theoriam firmandam.

Argumenta ex analogia desumta, quibus veteris theoriae defensores utuntur, omnia acida, atque adeo etiam acidum muriat. oxygenat. constare basi et oxygenio, minus valere, post alia acida detecta, quibus deëst oxygenium, quaeque basi et hydrogenio sunt composita.

Argumenta quibus velint oxygenium inesse acido muriatico oxygen. quia in hoc comburuntur inflammabilia, debilitari et refelli ex observatis combustionibus sine oxygenio.

Esse vero plura, eaque certissima argumenta ex analogia petita, quae solvi non possunt,

ad

ad quae pertinent maxime, quae enumeravimus, in usum theoriae Davyanae.

Esse inventa corpora, consensu Chemicorum pro simplicibus habita, quorum proprietates conveniunt cum iis acidi muriat. oxygenat. adeoque hoc non aliter simplex esse quam illa.

Haec omnia in suum commodum habet doctrina Davyana: quae porro confirmatur ex regula Lavoisieriana, nullum corpus pro composito esse habendum, nisi composita eius natura experimentis fuerit demonstrata: et vim maiorem nanciscitur ex regula Newtoniana, quae iubet illam theoriam sequi, ex qua facillima et plenissima petatur phaenomenorum explicatio: Quibus additum velim Ipsius veteris theoriae conditoris consensum: qui igitur suo exemplo nostrum iudicium confirmavit, non suam, *sed novam theoriam Davyanam praerogativam mereri.*

Haec sunt, quae ad propositam Quaestionem conferre potui; multae quidem in scriptione sint lacunae, quae expleri, errores in ratione et oratione, qui corrigi debeant, sed tamen ipsi unius partis studium deest.

TANTUM.

IOACHIMI SANDRA,

LUGDUNO-BATAVI,

IURIS CANDIDATI

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA,

RESPONSIO

AD QUAESTIONEM

AB

ORDINE IURIDICO

PROPOSITAM:

Quae videtur ratio fuisse, quod Romani in infantia Iurisprudentiae simplicitatem iuris naturae non aeque servaverint in negotiis stricti iuris, atque in iis, quae bonae fidei dicuntur? Qua ratione, salvo iuris principio, iniquitatem inde oriundam correxerunt Romani? An modus procedendi apud Romanos vim habuit diversam circa valorem negotiorum, circa petitionem actoris, remedia defensionis et officium iudicis, prout negotia erant bonae fidei vel stricti iuris? An mutato procedendi modo cessavit etiam actionum bonae fidei et stricti iuris differentia?

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT.

Leges nobis carae ſunt non propter litteras, quae tenues et obſcurae notae ſint voluntatis, ſed propter earum rerum, quibus de ſcriptum est utilitatem et eorum qui ſcripſerint ſapientiam et diligentiam.

Cicero, *de Inventione.*

PRAEFATIO.

Profecto, siquidem id quod molitus sum operis mecum diligentius intuear, iuvenili ac temerario more egisse videbor, cum eiusmodi proposita sit materia, ut plane tutus in elaborando esse nequeam. Illud vero argumentum a nobilissimo Ordine Iuridico Academiae Rheno-Traiectinae studiosis propositum, tantum mihi utilitatis promisit, ut et plus animi adiiceret, ad difficultates, quae imminerent scribenti, superandas. Ita enim mihi persuasum habebam, quamvis etiam minus prospere ipsa efficienda res mihi cessisset, tamen ad cognoscendam Iuris Romani originem, progressum et peculiarem indolem atque rationem, optime mihi consultum iri.

Quod ad rerum seriem attinet et agendi ordinem, cum id quidem in quavis re maximi sit, non potui tutiore via procedere, quam si ex praescripta Clar. Virorum quaestione omnem disputationem ordinassem. Cum vero aliquantum mihi in via progresso, quaedam occurrerent argumenta, quae propter amplitudinem a proposito consilio animum seducerent, id mihi

inprimis cavendum cenſui, ne in ipſis explicandis iustos fines produci paterer: qua quidem in re, cum difficilius ſit modum ſervare, ſi deliquisſe ſubinde videar, aequo animo accipiatur velim. Alterum erat non exiguae cautionis, ut, quo loco res apud Interpretes controverſae dubium animum huc illuc diverſe traherent, in eas omnes exponendas non nimium temporis ac ſtudii conferrem, ſed in quibusdam maioris momenti ſententiis tradendis acquieſcerem; cum quidem, quae veriora mihi viderentur, pro viribus meis, rationis ac legum ope, qua decet verecundia, palam fecisſem.

Nunc vero, antequam ipſam rem agamus, unicum hoc ſuperest, ut animum ac benevolentiam nobis adiungamus Clar. Virorum, quorum iudicium hac in re veremur.

CA-

CAPUT PRIMUM.

QUAE VIDETUR RATIO FUISSE, QUOD ROMANI IN INFANTIA IURISPRUDENTIAE SIMPLICITATEM IURIS NATURAE NON AEQUE SERVAVERINT IN NEGOTIIS STRICTI IURIS, ATQUE IN IIS, QUAE BONAE FIDEI DICUNTUR.



Nonnullis in rebus, utilitatem ſane praebent ſolemnes ritus atque formulae; ſic enim accuratius homines mentem explicant reique geſtae memores manent. Inprimis vero apud incultos barbarosque populos, ſolemnitates certique verborum complexus uſu veniunt: etenim ita rudes illi et indocti homines certa quadam tutaque via in negotiis gerendis litibusque inſtituendis progrediuntur; conſtat ita de hominum voluntate, unde lites breviores et inprimis rariores fiunt (1). Hinc

(1) Conf. Heineccius, In Orat. *pro Iurispr. Formul.* § 13, 14. et 16.

Hinc mirum non est, ſolemnitates illas penes antiquas et incultas gentes frequenter obſervari et quidem maxime in ſacris (1); ex his vero quae originem ducunt, ſaepius ad negotia civilia transferuntur.

Plerique antiquae Italiae populi, uti Albani, Etrusci, ſolemnium rituum amantisſimi fuerunt, quos imitati ſunt Romani, aut, cum eorum colonos in civitatem ſuam reciperent, ſimul etiam illorum conſuetudines, ſolemnitates atque ritus ſuis rebus accommodarunt (2). Religioni quoque multae ſolemnitates ſuam originem debent. Scilicet Romanorum res ſacrae, feroci hominum indoli iam ab ipſis Regibus accommodatae, ſolemnium rituum plenae fuerunt (3). Arctisſimum autem tum temporis iam vinculum fuit inter res ſacras et civiles. Reges enim dum ſacrorum curam gerebant, ſimul etiam legum custodes fuisſe dicuntur (4). Ius Pontificium

(1) Conf. Schroeder, in Orat. *de ICtis Offic. ſuum non transgr.* pag. 25. et Beyerus, in praef. ad Brummeri *Opusc.* pag. 3. ſeqq.

(2) Plurima huc pertinentia collegit Luzac, *in Obſerv. Apolog. pro ICtis Rom.* Cap. 5. § 20. ſeq.

(3) Vid. Livius, L. I. C. 19. ſeqq. Hic conferri meretur Luzac, *Op. Cit.* C. 5. § 2. ſeqq.

(4) Dionyſ. *Antiq. Rom.* l. 2. pag. 87.

cium inprimis privato iuri cohaerebat, uti Augurium et Feriale ius cum iure publico maxime coniunctum erat. Legum interpretatio et iurisprudentia, initio non tantum penes Patricios verum et Pontifices fuit (1). Iidem viri rebus sacris et civilibus simul praeërant; unde seriori tempore plures egregii ICti, inter Pontifices numerati fuerunt (2). Ex hisce iam colligi potest, solemnitatum usum, primis iam temporibus, ad iurisprudentiam transferri coepisse. Sic confarreationis ritum Romulo tribuit Heineccius (3); solemnis per vindictam manumissio legibus duodecim Tabb. antiquior fuit (4). Invaluit sensim per varias causas, rudes inter et nondum cultos Romanos, solemnitatum formularumque usus. Pulsis enim Regibus atque abrogatis plerisque eorum legibus, cum Consules maxime pro arbitrio ius dicerent, per leges duodecim Tabb. primum Iurisprudentiae fundamen-

(1) L. 2. § 6. ff. de O. I. Conf. Bachius, *Hist. Iurispr. Rom.* L. 2. C. 2. S. 4. § 2.

(2) L. 2. § 39. et 41. ff. de O. I. Conf. Cicero, *de Orat.* L. 3. C. 33. et *de Senect.* C. 14. in fine. Vid. Vell. Paterc. L. 2. C. 26.

(3) *Antiq. Rom.* L. 1. T. 10. § 1.

(4) L. 2. § 24. ff. de O. I. Conf. Livius, L. 2. C. 5. et Hein. *Op. Cit.* L. 1. T. 5. § 5.

mentum conditum fuit (1). Hae vero leges breviter adeo expresſae erant, ut peritorum interpretatione carere non posſet vulgus hominum: hinc populo iura praeſcripta ſive formulae exhibitae fuere, quibus in foro ageretur (2). Porro in iis quoque negotiis, quibus nulla inerat contentio, ſolemnes formulae ritusque, ſive coram magistratu ſive ſecus obſervandi, prodierunt (3). Diviſio inter res mancipi et nec mancipi, multis quoque formulis originem dedit (4). Augescente negotiorum numero, novi ritus novaeque formulae concipiebantur. Hîc obſervasſe ſufficiat, quotidiano illo et crebro ſolemnium rituum uſu, Quiritium ingenium, ad quodvis ſolemnitatum genus valde proclive factum esſe atque omnia fere negotia ſecundum certos ritus verbaque ſolemnia fuisſe peracta; unde et ipſa Iurisprudentia, cum ex indole atque conditione populi, tum ex penuria legum, per ICtorum inprimis operam, formularia evaſit et eatenus a ſimplicitate iuris naturae deflexit (5).

Hîc

(1) L. 2. § 3. et 4. ff. de O. I.

(2) L. 2. § 6. ff. de O. I.

(3) Conf. Bachius, *Op. Cit.* L. 2. C. 2. S. 4. § 3.

(4) Vid. Luzac, *Op. Laud.* C. 6. § 14.

(5) Conf. Heineccius, in Orat. *pro Iurispr. Form.* pag. 421–426 et Luzac, *in Spec. Laud.* C. 5. § 19. et 21.

Hîc autem notandum, in omnibus actibus, qui secundum certas solemnitates erant peragendi, praescriptos ritus servandos, imo caute admodum observandos fuisse, utpote sine quibus nil actum esset; cum contra, servatis iis, iura et obligationes inde oriundae, eatenus plenam vim habuerint.

Usum hunc solemnitatum et formularum etiam in iurisprudentia attendentes, nil mirabimur, Romanos eum morem quoque in contractibus ineundis fuisse secutos. Pactis ergo, sive nudis de dando aut faciendo promissionibus, teneri cives noluerunt; sed in contractu, qui validam praeberet iure civili actionem, requisiverunt ut vel re, vel verbis solemnibus, vel literis, vel solo consensu, tale negotium initum esset.

Frequens fuit Romae mos, negotia, inprimis quae maioris momenti erant, per solemnes interrogationes atque responsiones perficiendi (1), adeo quidem, ut inter antiquissimos modos obligationes privatas contrahendi referenda videatur stipulatio. Perficiebatur haec per congruam responsionem, interrogationem subsecutam, solemnibus verbis factas (2). Forma legitima observa-

(1) Heineccius, *Antiq. Rom.* L. 3 T. 16. § 3.

(2) Conf. § 1. Inst. de Verb. Oblig. et Hein. *Op. Cit.* L. 3. T. 16. § 2—6.

vata, plenam vim habebat ſtipulatio, quae, ubi aliquid e requiſitis illis deerat, in foro agenti minime proderat. Antiquisſimis Romanorum contractibus mutuum quoque accenſendum videtur: eius forma lege requiſita erat ritus traditionis (1), quae ſimul ac intercesſisſet, plenam vim habebat obligatio inde oriunda.

Diverſa plane erat ratio in aliis negotiis, quorum obligationes verbis ſolemnibus non erant adſtrictae, maxime illae, in quibus ambo contrahentes vicisſim obligabantur, nec ſtatim praeſtari debebat, de quo erat conventum. Hi enim contractus, rei ſemper nec traditione nec etiam promisſione ſolemni ab una parte interpoſita, potuerunt iniri. Necesſitas itaque effecit, ut quaedam conventiones, quae uſus erant frequentis, ex conſenſu ſolo cauſam civilem obligandi haberent et per id actionem producerent, ſi quidem partes in his conventionis obſervasſent formam, quam leges ineundis eiusmodi negotiis praeſcripſisſent. Rem omnem aperte docet Iustinianus (2). „Ideo," inquit, „ istis modis obligatio dicitur conſenſu „ contrahi, quia neque ſcriptura neque prae-„ ſentia

(1) L. 2. § 3. ff. de Reb. cred. L. 102. ff. de Oblig. et Act.

(2) § 1. ſeqq. Inſt. de Oblig. ex conſ.

„ sentia omnimodo opus est, nec dare quidquam „ necesse est ad substantiam obligationis; suffi- „ cit eos qui negotia gerunt consentire, unde „ inter absentes quoque talia negotia peragun- „ tur".

Hunc autem Iustiniani locum eo libentius addo, quoniam viam parat ad constituendam veram differentiam inter contractus bonae fidei et stricti iuris. Ut enim ostendat Imperator differentiam horum contractuum a reliquis et simul causam det, quare non solemnitate verborum ineantur, haec addit: „ item in his con- „ tractibus alter alteri obligatur in id, quod „ alterum alteri ex bono et aequo praestari „ oportet, cum alioqui in verborum obligatio- „ nibus alius stipuletur, alius promittat". Inter alia itaque differentiam inter contractus consensuales et verborum obligationes hanc ponit Imperator primo loco, quod in illis uterque contrahens obligetur, in his unus tantum; deinde, quod in illis alter alteri obligetur in id quod ex bono et aequo praestari oportet, unde vi oppositionis iam satis posset effici, secus obtinere in verborum obligationibus: sed quod huic loco deëst, supplet Celsus (1), affirmans de stipulatione, „ quidquid adstringen-

„ dae

(1) L. 99. de Verb. Oblig.

„ dae obligationis est, nisi palam verbis expri-
„ matur, omissum intelligendum est". E binis his locis, differentia contractuum bonae fidei et stricti iuris commode potest erui, quippe quae in ipsa negotiorum indole sita est.

Erant scilicet bonae fidei illa negotia, in quibus uterque contrahens ad aliquid praestandum obligatur, ut vicissim alter alteri quid debeat, quales dici solent bilaterales contractus. Si in his de quadam praestatione dubium oriatur, potest in his contractibus ex bona fide ratio iniri, quatenus illud ex natura contractus praestari debeat. Ita in his bona fides est fundamentum, e quo constituitur de praestatione alterutri contrahentium incumbente.

Contractus stricti iuris sunt illi, e quibus unus tantum contrahentium tenetur; in his alter alteri, non vero ambo vicissim, quid dare promittit: in iis itaque inspicitur tantum quid sit promissum vel traditnm; reliqua intelliguntur omissa. Veram hanc et genuinam esse horum contractuum differentiam, oriundam ex ipsorum negotiorum natura, paucis probandum videtur.

Exempla contractus stricti iuris sumamus a stipulatione et mutuo.

Stipulationis formae consentaneum erat, ut omnis vis obligationis, solis verbis contineretur, adeo ut iure peti non posset, quod iis non fuerat

rat expresſum. Cum nempe verba ſolemnia requirerentur ad conſtituendam obligationem, ſolummodo ad illud attendi poterat, quod per ea fuerat promisſum. Per verba illa, non ſtipulator ſed ſolus promisſor ſe obſtringebat; neque e facto aliquo ſubſecuto obligari poterat ſtipulator. Unde enim oriretur huiusmodi praeſtatio? Conſtituta promittentis obligatione, nulli ſequebantur actus, e quibus teneri posſet ſtipulator: ſecundum rei naturam plenum atque abſolutum erat negotium per debitoris ſolemnem promisſionem. Stipulationis itaque obligatio unilateralis erat; nulla prorſus creditori obligatio incumbebat. Haec cum ita ſint, de eo minime quaeri poterat, quid ex bona fide a ſtipulatore praeſtandum foret. Porro non ex bona fide mutanda erat promittentis obligatio, propter mutui debiti conditionem, cui illam aequalem et congruam esſe oportebat; etenim prorſus deficiebat mutua obligatio: tandem non augebatur promittentis debitum per praeſtationes, ex actibus ſubſecutis oriundas. Hisce omnibus iam conſentaneum videbatur, ut in ſtipulatione, ad id ſolum quod dictum fuerat, reſpiceretur.

Mutui haec erat forma, ut per ritum traditionis circumſcriberetur obligatio; unde ICtus ſcribit, „ re obligationem contrahi non posſe

„ niſi

„ nisi quatenus datum sit" (1). Ratione ipsius obligationis naturae aequiparandum erat mutuum stipulationi. Nimirum per traditionem solus accipiens se obligabat; nil in se suscipiebat mutuum dans; neque tenebatur hic ex obligatione quadam post conventionem demum orta: sic de indemnitate v. c. quaeri non poterat, quia transferebatur speciei dominium (2). E mutui natura igitur ultro sequitur, unilateralem fuisse obligationem inde oriundam, soli accipienti inhaerentem; quod cum ita sit, in mutuo aeque ac in stipulatione, creditoris obligationes ex bona fide neutiquam erant definiendae. Neque accipientis obligationum norma et mensura erat constituenda secundum mutuum debitum, quod aequipollens esse oportebat: porro negligentiae nomine teneri non poterat debitor; res enim mutuo datae accipientium fiebant (3). Cum itaque mutuum, negotium unilaterale et valde simplex esset, non adeo ex bona fide obligationes in eo erant constituendae, sed solummodo attendendum esse videbatur ad id, quod traditum fuisset.

Ut

(1) L. 17. pr. ff. de pactis.

(2) L. 102. ff. de Oblig. et Act. L. 2. pr. ff. de Reb. Cred.

(3) Conf. Leges modo citatae.

Ut vero ea, quae de ſtricti iuris negotiis disſeruimus, magis dilucide appareant, videamus, quantopere bonae fidei negotiorum diverſa plane natura postulaverit, ut in iis ſervaretur ſimplicitas iuris naturae.

Per formam negotiorum non adeo reſtringebantur bonae fidei obligationes, imo potius ea de cauſa aliquando ex aequo et bono definiendae erant. Per verba ſolemnia non contrahebantur bonae fidei negotia: in nonnullis rei traditio quidem interveniebat, verum propter naturam obligationis in iis ex bona fide iudicandum erat, uti mox videbimus. In quibusdam bonae fidei negotiis, quae quaſi ex contractu oriri dicebantur, plane deërat conventio partium; cum tamen ex utilitate publica et aequitate naturali admisſae esſent illae obligationes, necesſario ſecundum ſimplicitatem iuris naturae definiendum erat, quod per conventionem fieri non potuerat. Tandem contractus quidam per ſolum conſenſum perficiebantur; cui formae conſentaneum erat, ut non tantum ad expresſam, verum et ad tacitam contrahentium voluntatem attendi posſet.

Vidimus ita de forma; iam in ipſam obligationum naturam inquiramus.

In bonae fidei contractibus, qui per rei traditionem perficiuntur, in ſpecie reſtituenda erat res tradita, unde uterque contrahens obligabatur.

tur. Rei traditae reddendae obligationi aliae necesſario accedebant; veluti ad debitam diligentiam, ad reſtituenda quae ex ea re provenisſent, quippe quae dominis cedunt; hi contra ad indemnitatem tenebantur. In obligationibus bonae fidei, quae quaſi e contractu oriuntur, necesſario ſibi invicem ad plura obſtrictae erant partes: ſic tenebatur negotiorum gestor rem apta diligentia et utiliter peragere; reſtituere quae eo nomine acceperat; ipſe indemnis erat praeſtandus a domino: in tutelis idem fere obtinebat: porro, aequa ratione mutuas obligationes in rei communione, absque conſenſu inita, definiendas fuisſe, ſponte apparet. In emtione-venditione, locatione-conductione et in ſocietate, arctisſimo vinculo ſibi invicem connexae erant mutuae obligationes. In his nempe aequalitas quaedam mutuarum praeſtationum deſiderabatur; unius obligationis norma ex alterius contrahentis praeſtationibus erat definienda; id manifeste ſequitur ex illorum negotiorum natura: hinc vero non ſemel quodammodo erat mutanda obligatio per conventionem conſtituta; huic nonnunquam quaedam erant adiicienda, aut detrahenda, habita ratione mutui debiti aequipollentis; varias utrimque oriri praeſtationes necesſe erat. Tandem e mandato quoque ſibi invicem tenebantur contrahentes: pro diverſo

man-

mandati genere et pro varia illud exſequendi ratione, diverſae necesſario oriebantur obligationes; reſtituenda erant a mandatario, quae in gerendo conſecutus fuerat; hic vero, qui absque mercede alterius negotia peregerat, indemnis erat praeſtandus.

In omnibus itaque actionibus, quae in catalogo bonae fidei actionum a Iustiniano in Inſtitutionibus (1) numerantur, obtinet bilateralis obligatio. Quod ſi quaedam videantur excipiendae, uti actio praeſcriptis verbis ex permutatione et contractu aestimatorio, etiam actio ex ſtipulatu de dote, fatemur quidem in his praeſtationem esſe unilateralem tantum, ſed ad bonae fidei actiones relatae ideo videntur, quia oriuntur e negotiis, quae fere affinitatem habent ſummam cum negotiis, in quibus bilateralis locum habet obligatio et quae adeo bonae fidei ſunt: aestimatorius enim contractus et permutatio multa habent ex venditione; actio vero ex ſtipulatu de dote, volente ita legislatore, naturam asſumſit actionis rei uxoriae, quae ſua indole bonae fidei erat.

Conſtat ergo iam ſatis, diverſam indolem negotiorum bonae fidei et ſtricti iuris petendam esſe ex obligatione bilaterali aut unilaterali, quae

(1) § 28. ſeq. Inſt. de Action.

quae hisce negotiis inest. Sed ulterius videamus, an dentur rationes, quare in illis magis quam in his servanda sit simplicitas iuris naturae; sive unde factum sit, ut in bilaterali negotio magis ex aequo et bono iudicetur quam in unilaterali. Meretur utique hîc attendi, quod obligationes unilaterales ab initio certae et valde simplices sint; proinde in iis ex bona fide non erant definiendae eiusmodi aliae praestationes, quae ex obligationibus subsecutis oriundae erant et de quibus in ipsa conventione cautum non fuerat: hisce etiam congruum erat, ut in definiendis stricti iuris negotiorum obligationibus, solummodo respiceretur ad id, quod dictum factumve esset. Contra vero obligationes bilaterales saepius ab initio erant incertae, imo in nonnullis statim non poterant in specie certo definiri; porro mutuae illae praestationes erant valde diversae, multiplices et implicitae, unde frequenter de iis omnibus non constabat: hisce utique consentaneum erat, ut in definiendis illis obligationibus, non ipsi vel soli conventioni omni in casu standum esset. Maxime vero huic rei ansam dedisse videtur praesumta contrahentium voluntas. Ubi enim duo contrahunt, uterque velle dicendus erit, ut secum agatur, quemadmodum inter bonos agier oportet: consensus ideo, ab utroque interpositus,

de-

debet ad bonam fidem exigi et iudicari, partes contrahentes eatenus consensisse, quatenus bona fides obligationem singulorum limitat aut extendit, quia utraque pars censeri debet consensisse in id, quod bonae fidei est conveniens. Ubi vero in unilaterali negotio unus se obligat, illius mens esse nequit, ut sua obligatio aliunde aestimetur quam ex sua promissione vel facto; ideoque haec obligatio iudicari debet secundum dictum aut factum; alia enim in his obligationibus mensura non apparet. Prudenter ergo Romani et apposite ad negotiorum naturam, in unilateralibus unius obligationem ex dicto promissove et facto iudicarunt, sed in bilateralibus obligationibus mutuas praestationes ex aequo et bono; adeo ut in his non tantum ad id quod dictum factumve fuisset iudici attendendum esset, verum ad ea quoque quae ex bona fide secundum mentem contrahentium vel partium atque negotiorum indolem essent praestanda.

Respondisse iam mihi videor ad quaestionis partem huic capiti praepositam et probare studui, veram rationem antiqui discriminis inter bonae fidei et stricti iuris negotia, in diversà horum natura quaerendam esse. Nempe bonae fidei negotiorum haec erat natura, ut non simpliciter ad solam conventionem attendendum esset; praestationes ex bona fide definire omni-

 no

no necesſe erat. Contra vero in ſtricti iuris negotiis deërat illud fundamentum praeſtationes ex bona fide definiendi, quia ſolummodo erat videndum quid promisſum vel traditum fuerat; eo continebatur et abſolvebatur totum negotium.

Paucis iam videamus, quomodo vetus procedendi modus convenerit cum diverſa bonae fidei et ſtricti iuris negotiorum natura.

Iurisdictio, quae primum penes Reges fuit, mox ad Conſules et deinde ad Praetores transiit (1). Putant nonnulli (2), primis temporibus ipſos magistratus lites in totum diremisſe; increscente tamen civium et negotiorum numero, disceptationes facti ab aliis, iudicibus ſcilicet, peractas fuisſe. Certum est, originem huiusce procedendi modi, antiquioris aevi esſe (3). Hinc deinde quaedam primum coram Magistratu, mox alia apud iudicem peragaban-

(1) L. 2. § 1. § 16. et § 27. ff. de O. I.

(2) Inter quos est Bachius, in *Hiſt. Iurispr. Rom.* L. 2. C. 1. § 25.

(3) Eiusmodi iudicum in Legibus duodecim Tabb. mentio iam occurrit. Conf. Fragm. XII. Tabb. apud Pothier, T. 2. C. 2. et T. 9. C. 3. Forte et Regum tempore ſimile quid obtinuit. Vid. Noodt, *de Iurisd.* L. 1. C. 6. et Sigonius, *Ant. Iur. Pop. Rom.* T. 1. L. 2. C. 18.

bantur; illa in iure, haec in iudicio, fieri dicebantur (1): Magistratus litem ordinabat; causa summatim cognita et concessa actione, ad solemnem litigantium petitionem vi muneris sui iudices constituebat (2). Absque tribunali, iurisdictione aut imperio, de facti quaestionibus cognoscebant illi iudices, quibus nomen Pedaneorum (3); hi vero privatae personae erant, nudam tantum notionem habentes; nam de iure decernebat Magistratus (4). Praetores iudicibus formulas iudicandi praescribebant (5), quae

(1) Noodt, *de Iurisd.* L. 1. C. 15. et Bachius, *Hist. Iurispr. Rom.* L. 2. C. 1. § 25.

(2) Conf. L. 1. ff. de Iurisdict. Heineccius, *Antiq. Rom.* L. 4. T. 6. § 14—22. et 39. et 40. Aliquando ipsi magistratus absque iudice extra ordinem cognoscebant, veluti in minorum restitutione in integrum. Vid. Noodt, *de Iurisd.* L. 1. C. 8.

(3) Quippe qui in subselliis ad magistratuum pedes sedebant. Conf. Noodt, *do Iurisd.* L. 1. C. 13. et 15.

(4) Conf. L. 5. pr. ff. de Re iudic. Vid. Noodt; *de Iurisd.* L. 1. C. 8. et 13. Distinctio inter iuris et facti controversias ratione personae iudicantis, non tamen strictissimae erat interpretationis, saltem in bonae fidei iudiciis. Conf. Noodt, *Op. Cit.* L. 1. C. 8.

(5) Vidimus supra, quantopere formularum usus primis iam temporibus Romae invaluerit.

quae petitioni actoris, rei responsioni atque diversae negotiorum naturae erant accommodatae (1). Nempe in stricti iuris iudiciis arctissima erat illa formula, cui admodum adstrictus erat iudex et quae hunc in modum concipiebatur: „ si paret Sempronium Maevio centum „ ex mutuo dare oportere, neque illud factum „ fuerit, iudex condemna" (2). In bonae fidei iudiciis magis libera potestas iudici concedebatur ex aequo et bono litem dirimendi; etenim in iis tali modo concepta erat formula; „ si „ paret Caium Maevio domum locasse, tum „ quantum Maevium Caio ob eam rem dare „ ex bona fide oportet, tanti damnetur" (3): interdum bonae fidei mentio fiebat per verba: „ quantum aequius melius", veluti in rei uxoriae actione; fiduciae iudicio inserebantur verba, „ ut inter bonos bene agier oportet" (4).

Prae-

(1) Conf. Seneca, *de Benef.* L. 3. C. 7. et Cicero, *pro Rosc. Com.* C. 4. et *in Verrem* L. 2. C. 12.

(2) Conf. Cicero, *pro Rosc. Com.* loc. laud. et Seneca, loc. cit. Vid. Vinnius, ad tit. Inst. de Act. ad § 28. n°. 3.

(3) Noodt, *de Iurisd.* L. 1. C. 13. Heineccius, *Ant. Rom.* L. 4. T. 17. § 1. Conf. L. 54. pr. ff. Locati.

(4) Cicero, *pro Rosc. Com.* loc. cit. et *de Offic.* L. 3. C. 15. Conf. L. pen. § ult. ff. Sol. matrim.

Praetores itaque diversam iudicandi formulam praescribebant, prouti negotia erant bonae fidei vel stricti iuris. Et sane illorum Magistratuum erat tueri atque interpretari ius civile; proinde debuerunt in concipienda formula mentem intendere iis, quae secundum leges, consuetudines atque negotiorum indolem, in his praestanda erant. Cum iam in negotiis stricti iuris quaeri vix posset de aliis praestationibus praeter unum illud ab alterutro contrahentium initio constitutum, iudici pedaneo simpliciter ad illud respicere iniungebatur, quod dictum factumve fuerat. Contra multiplices et implicitae praestationes e bonae fidei negotiis oriundae, quae partim a facti disceptatione pendebant, non poterant omnes initio in formula iudicandi exprimi; unde valde expediebat, eas obligationes, instituta facti disquisitione, ex aequo et bono definiri.

Non omni tamen vinculo solutam fuisse iudicis pedanei arbitrium in bonae fidei iudiciis, verbo animadvertendum est. Scilicet non simpliciter, quid praestari aequitas suaderet, videndum erat; verum eo sensu condemnationem fieri ex bona fide oportebat, ut ea praestanda essent, quae secundum veram aequitatem naturalem ex mente contrahentium vel partium, ratione habita negotiorum naturae, debeban-

tur: ſalvas quoque manere leges et iuris principia omnino neceſſe erat; ſic v. c. peti non poterat, quod pacto, licet in continenti adiecto contractui bonae fidei, qui re perficitur, fuerat promiſſum, nempe de augenda ipſa re quae tradita fuerat; re enim non poteſt obligatio contrahi, niſi quatenus datum ſit (1). Huc pertinent verba Tryphonini (2), ex cuius ſententia, „ bona fides, quae in contractibus „ exigitur, ſummam quidem aequitatem deſide„ rat; verumtamen ea non ad merum ius gen„ tium, ſed cum praeceptis civilibus et praeto„ riis aeſtimanda eſt".

(1) L. 17. pr. ff. de Pact. Conſ. L. 1. § 7. ff. Depoſ. L. 17. pr. ff. Commod.
(2) L. 31. ff. Depoſ.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

QUA RATIONE, SALVO IURIS PRINCIPIO, CORREXERUNT ROMANI INIQUITATEM E DISCRIMINE INTER BONAE FIDEI ET STRICTI IURIS NEGOTIA ORIUNDAM?

Quum in contractibus ſtricti iuris condemnet iudex ex formula ſibi data, neque alius praeſtationis ratio habeatur, quam quae in ipſa conventione est expreſſa, adeo ut pro omiſſo habeatur quod non est dictum, ſolummodo in id inquirendum erat, an quantitas petita atque formula expreſſa, per verba ſolemnia promiſſa, aut tradita fuiſſet. Ita vero aliter fieri non potuit, quin in illis iudiciis aliquando quid erat admittendum, quod aequitati parum videbatur convenire. Huc pertinent verba Ciceronis (1). „ Quid „ est in iudicio? Directum, asperum, ſim-

„ plex"

(1) *pro Roſc. Com.* C. 4.

„ plex" cet. (1). Eius rei quaedam exempla proponam.

Iuris naturae ſimplicitas in omni contractu bonam fidem et veritatem requirit; dolum itaque in nullo admittit contractu et idem in bonae fidei negotiis ſervatum est in foro Romano, quia haec bona fide nituntur. Quod ſi vero negotium ſtricti iuris debita forma esſet initum, quamvis dolus lateret, hic tamen ante praeturam Aquilii Galli non magnopere vindicabatur; non quod dolum admittat ius civile, ſed quod ſtricti iuris actionum non ea ſit vis, ut propriis viribus dolum posſint repellere, niſi eo nomine per ſtipulationem cautum ſit (2). Docet illud Cicero, ubi narrat, Canium, equitem Romanum, a Pythio argentario hortulos emisſe, et cum in contractum nominum, qui ſtricti iuris erat (3), transfuſa esſet illa em-

(1) Solebant distinguere Romani inter iudicia et arbitria, prouti ex negotio ſtricti iuris aut bonae fidei agebatur. Conf. Heineccius, *Antiq. Rom.* L. 4. T. 6. § 39.

(2) Conf. L. 1. § 4. ff. de Dol. mal. L. 121. pr. ff. de Verb. Oblig. Vid. Pothier, ad Tit ff. de Dol. mal. n°. 1. not. *a* et Noodt, *de Form. Emend. Dol. mal.* C. 4, 6. et 16.

(3) Vid. Theoph. ad Tit. Inſt. de Litt. oblig.

emtio, vidit Canius se a Pythio dolo malo esse deceptum. Iam ait Cicero; „ stomachari „ Canius, sed quid faceret? Nondum enim „ Aquilius collega et familiaris meus protule„ rat de dolo malo formulas" (1).

In contractibus stricti iuris si convenisset, ut certo quodam in loco praestatio fieret, petitio frustra fiebat alio in loco quam convento. Hinc v. c. si appareret rem e stipulatione Romae petitam deberi quidem, verum eam, vi conventionis, Capuae praestandam fuisse, absolvendus erat reus, quia secundum formulam simpliciter videndum erat, an Romae deberetur res (2). Durum erat, ut creditor suo destitueretur, siquidem reus Capuam venire nollet aut non posset (3).

Porro qui e contractu stricti iuris ultra debitum petiverat, olim in omni casu totam litem amittebat, adeo ut ne verum quidem debitum adi-

(1) Cicero, *de Off.* L. 3. C. 14. Conf. Noodt, *de Form. Emend. Dol. mal.* C. 5.

(2) Arg. L. 99. ff. de Verb. Oblig. Conf. L. 1. ff. de eo quod cert. loc. Amittebat quoque litem, qui loco plus petebat. Vid. § 33. Inst. de action. Conf. Noodt, ad Tit. ff. de eo quod cert. loc. pr.

(3) L. 1. ff. de eo quod cert. loc. Vid. Noodt, loc. cit.

adipisci posſet (1). Nimirum plane abſolvendus aut ſecundum petitionem actoris condemnandus erat reus; id quoque ex illo fonte oritur, quod formulae verbis admodum adſtrictus esſet iudex pedaneus.

Ex his, exempli tantum cauſa adductis, iam ſatis conſtat de iniquitate, quae primis temporibus in ſtricti iuris negotiis obvia fuit; cum contra in negotiis bonae fidei, obligationes vi formulae ad aequitatis naturalis normam flec-

(1) Exemplo id illustrat Cicero, *pro Roſc. Com.* c. 4: „ pecunia", inquit, „ tibi debebatur certa, „ quae nunc petitur per iudicem, in qua legitimae „ partis ſponſio facta est. Hic ſi tu amplius H. S. „ nummo petisti, quam tibi debitum est, cauſam „ perdidisti: propterea quod aliud est iudicium, ali- „ ud arbitrium. Iudicium est pecuniae certae; ar- „ bitrium incertae. Ad iudicium hoc modo venimus, „ ut totam litem aut obtineamus, aut amittamus: ad „ arbitrium hoc modo adimus, ut neque nihil, ne- „ que tantum, quantum postulavimus conſequamur. „ Eius rei ipſa verba formulae testimonio ſunt. Quid „ est in iudicio? Directum, asperum, ſimplex. Si „ paret H. S. ıↃↃↃ dari oportere, hic niſi planum „ facit H. S. ıↃↃↃ ad libellam ſibi deberi, cauſam „ perdit. Quid est in arbitrio? Mite, moderatum, „ quantum aequius melius, id dari". Conf. § 33. Inſt. de action. et Noodt, ad Tit. ff. de Reb. Cred. in fin.

flecterentur (1). Videndum iam est, quanam ratione in emendando iure perrexerint Romani, ut denique de remediis videamus, quibus iniquitatem correxerint.

Pulsis Regibus, iurisdictio ad Consules (2), dein ad Praetores pervenit (3). Apud populum, libertatis amantissimum et ab omni ex mero arbitrio profecta auctoritate alienum, Magistratus, regia maiestate destituti, liberâ pro arbitrio iudicandi facultate, frui non potuerunt. Ita vero aliter fieri non potuit, quin ab unâ parte magistratus iuri, sive scripto, sive consuetudinario et omnino antiquis iuris institutis adstricti fuerint, ut a veteribus formulis aut a receptis iuris principiis recedere, Praetori omnino nefas esset: verum ab alterâ parte, abrogatis maxime Regum placitis (4), nullis fere ante duodecim Tabulas legibus latis (5), dumque illae brevissimâ oratione continerentur (6), insignis legum Civilium defectus exstitit, ad quem re-

far-

(1) Qua de re infra suo loco agendum erit.

(2) L. 2. § 1. et § 16. ff. de Orig. Iur.

(3) L. 2. § 27. eodem.

(4) L. 2. § 3. eodem.

(5) L. 2. § 3. Cit. et Bachius, *Op. Cit.* p. 21. et seqq.

(6) L. 2. § 5. ff. de Orig. Iur.

ſarciendum, tum magistratuum Edictis, tum interpretationi ICtorum latus campus patere debuit (1). Scilicet Praetores, annuum munus auspicaturi, ſolebant in Edictis modum atque formam, in iure dicendo obſervandam, populo publice proponere, ut cives intelligere posſent, quonam tramite in iudicio tuto agendum esſet, et populo ſimul conſtaret de iure et iudicandi modo (2). Sic omnem ex ſolo arbitrio oriundae iurisdictionis ſuſpicionem, a ſe arcebant magistratus, quibus ex imperii formâ atque conditione, per favorem populi in annuis comitiis, ad honores aditus patebat.

Praetores itaque, viri honoribus iam illustres et ſui decoris memores, in Edictis ſuis operam navabant, ut per ſapientiae atque aequitatis ſpecimina ſeſe in gratiam populi inſinuarent. Quae utiliter ab antecesſoribus conſtituta fuerant, ea ſedulo ſervare et experientiâ ducti augere ſtudebant; adhibito inſuper augescentis iurisprudentiae face, novis necesſitatibus nova remedia afferre, iniquitati ex ſtricto civili iure oriundae medelas excogitare ſtudebant. Atque ita factum est, ut ius honorarium, per longi temporis experientiam et operam plurium magis-

(1) L. 2. § 5. ff. de Orig. Iur.

(2) L. 2. § 10. ff. eodem.

gistratuum atque ICtorum, egregie auctum atque ditatum fuerit; donec tandem haec sapientiae copia, per Edictum perpetuum ab Hadriano Imperatore in unum collata, veluti collectio quaedam iuris consuetudinarii, legislatoris auctoritate iam confirmati, prodiret, quâ iniquitates ex legum antiquarum rigore oriundae, correctae aut e medio sublatae viderentur, dum tamen salva manerent iuris civilis principia. Etenim penes magistratus non erat, plane tollere aut mutare iuris civilis placita; unde Praetores diserte profiteri solebant, se nihil contra ius civile, sed salvo more maiorum ius dicturos (1). Hancce iuris Praetorii indolem eleganter exponit Cl. Pothier (2), cuius verba afferre non pigebit. „ A iure honorario praecipuum „ suum decorem accepit Romana iurisprudentia. Ius civile si ab ipso separetur, nimis „ severum est; dumque subtili ex qua constat „ ratione nititur, dum naturae verborum ex „ quibus conceptum est proprietati inservit, „ apertius quandoque impingere videtur in ae„ quitatem. Ius autem honorarium cum ex re „ natâ prodierit, ex opportunitate temporum „ et locorum, ex certarum commiseratione et „ in-

(1) L. 11. ff. de Iustit. et Iur.

(2) Ad Pandect. praef. Part. 1. Cap. 3. § 4.

„ intuitu personarum, humanius est; in quo sci-
„ licet nihil detur subtilitati, totum ad aequi-
„ tatis normam componatur. Ceterum ita iu-
„ ris civilis asperitatem temperat Praetor, ut
„ salva semper maneat sua legi veneratio, sic
„ iniquitatem emendat, ut benignâ interpreta-
„ tione mentem verbis legis reconditam asse-
„ qui magis, quam legem ipsam impugnare
„ videatur".

Superest ut videamus quibus remediis iure posteriori aequitati consuluerunt Romani. Hîc vero observari meretur Romanos non facile iura immutasse semel introducta, ubi ad maiorem aequitatem flecterent antiqua. Fere solebant Praetores vel ICti, si quando aequitatem cum stricto iure in concordiam redigere vellent, vel aliquid fingendo, vel excipiendo, vel novum quid antiquo addendo rem expedire. Ita salva manebant iuris veteris principia (1). Haec ratio iuris emendandi Romanis est propria et sponte profluit e modo, quo in exstruendo iurisprudentiae aedificio processerunt. Ius enim civile Romanum erat, vel legibus duodecim tabu-

(1) Vid. Cs. den Tex, qui omnem hunc locum explicuit in Dissertatione Academica, de antiqui iuris principiis in excolenda iurisprudentia Romana constanter servatis.

bularum conſtitutum vel moribus populi tacito conſenſu introductum. Sed neque leges neque mores poterant aboleri, niſi ex conſenſu populi, penes quem erat libera republica legis ferendae poteſtas. Ubi vero in iure civili condendo hic mos ſervabatur, ut leges de iure civili privato vix rogarentur, omnis vero poteſtas de iure civili ſtatuendi esſet in manu vel Magiſtratuum vel hominum privatorum; privati autem nec Magiſtratus ullo modo iubere posſent, ut lex abrogata haberetur; aut mos quidam, qui tacito populi conſenſu hactenus obtinuerat, in civitate deleretur; vix aliud ſupererat, niſi ut iuris conditores iuri iam conſtituto aliquid novi apponerent, quo remedio laeſi uterentur, aut quo ſibi caverent ab initio, ne laederentur inde, quod propter ſtrictam alîcuius negotii naturam impedirentur de accidenti quodam, quale in negotio ineundo aut deinceps locum habuerat, agere, aut ex eo accidenti petere defenſionem, quae tamen ipſis negari non debebat. Atque haec remedia, tacito populi conſenſu pariter probata, vim inde iuris habebant.

Eiusmodi autem remedia praebuerunt reſtitutiones in integrum, datae laeſis dolo, metu, aetate, errore iuſto, abſentia, ceteris. (1). Per actio-

(1) Videntur in integrum reſtitutiones fuisſe iuris be-

actiones adiectitiae qualitatis factum fuit, ut natura actionis, propter accidens quoddam, facta hac illave adiectione, mutari et agi cum tali adiectione posset, ad quod actio sine hac adiectione institui non poterat. Ita quoque propter pactum accedens, cuius ceteroquin ratio vix poterat haberi, remedium dari potuit reo, ut per exceptionem praetoriam se defenderet contra actorem, qui summo iure quidem iustam actionem institueret, sed talem, e qua reus non debebat condemnari.

Atque haec iuris remedia, ut alia sileam, applicemus ad iniquitates, quas in negotiis stricti iuris, oriundas ex more procedendi accommodato ad diversam horum et negotiorum bonae fidei indolem, supra proposuimus.

Primum quidem in integrum restituebantur qui obstricti erant obligationi, cui vitium ratione consensus inerat; ob dolum itaque, metum, errorem (1). Formulas sive iudicium de dolo ma-

beneficia subsidiaria, inventa praesertim, ut qui per stricti iuris rationem in bonis suis aut iuribus essent laesi, petere possent apud Magistratum, ut ex iusta caussa secundum aequitatem ipsis succurreretur. Vid. Biener, *Hist. iur. civ. de restitut. in integrum.* c. 2. Glück, *Erlauter.* § 431. et § 437.

(1) L. 1. pr. et § 1. ff. de Dolo malo L. 1. ff. quod

malo protulit Caius Aquilius Gallus, Praetor et Ciceronis familiaris; illud, everriculum omnium malitiarum, summus orator vocat (1). Ita conditum est Edictum Praetoris, e quo per dolum laeso subveniebatur per actionem de dolo, ad restituendam rem traditam (2). Re integrâ, exceptio doli a Praetore impetrari poterat (3). Quod ad metum attinet, discimus ex Cicerone (4), Octavium Praetorem, Syllae temporibus formulam sive actionem dedisse, qua in eos ageretur, qui vi et metu aliquid abstulissent, cui formulae suum nomen dedit Octavius (5). Cum vero unico tantum in ca-

quod met. caus. L. 1. ff. de In. int. restit. L. 1. § 1. in fin. ff. In quib. caus. mai.

(1) Cicero, *de Offic.* L. 3. C. 14. et L. 3. *de Nat. Deor.* C. 30. conf. Bachius, *Op. Cit.* pag. 256.

(2) L. 1. pr. et § 1. L. 7. § 3. L. 18. pr. de Dol. mal. Conf. Noodt, *Op. Cit.* C. 5. et ad tit. ff. de Dol. mal. Schulting, *Enarr. part. prim.* ff. ad Tit. de Dol. mal. § 3.

(3) L. 1. § 1. ff. de Dol. mal. et met. except. Conf. L. 36. ff. de Verb. Oblig. Vid. Noodt, *de Form. Emend. dol. mal.* C. 5.

(4) L. 3. *in Verr.* C. 65. et Epist. *ad Quin. fratr.* L. 1. ep. 7.

(5) Conf. Clavis Cic. Ern. in voce *L. Octavius.*

caſu agi posſet ex formulâ Octavianâ, actio et exceptio doli, propter metum, in caeteris caſibus dabantur; dolo enim agit, qui vim metumve adhibet (1). Mox a Praetore Casſio (2) prolata fuit actio quod metus cauſa, quae in genere dabatur, et in rem ſcripta erat (3). Deficiebat adhuc metus cauſa exceptio, ſufficere enim primum viſa fuerat exceptio doli (4); verum ad inſtar ipſius actionis, exceptio metus cauſa itidem in rem ſcripta, per interpretationem prudentum enata est (5). Atque ita conditum fuit Edictum quod metus cauſa, e quo a Praetore in integrum reſtituente ſuccurritur ei, qui per metum coactus est in negotiis ſtricti iuris (6).

Iss

(1) L. 14. § 13. ff. Quod metus cauſa.

(2) Uti colligitur ex lege 4. § 33. ff. de Doli mali et metus exceptione.

(3) L. 9. § ult. L. 14. § 3. ff. Quod metus cauſa.

(4) L. 14. § 13. eodem. L. 4. § 33. cit.

(5) L. 4. § 33. ff. de Doli mali et metus exceptione.

(6) L. 1. pr. et L. 21. § 1. ff. Quod metus cauſa L. 1. § 1. ff. de Doli mali et metus exceptione. Conf. Noodt, *de Forma Emendandi doli*, cap. ult. Pothier, *ad Tit.* ff. Quod metus cauſa n. 2. not. *a.* Schulting, *Enarratio ad Tit.* ff. de Dolo malo § 3.

Isti incommodo, quod reiiceretur tota actio ob pluris petitionem, quodammodo prospexerunt Praetores; etenim eo casu non tantum minorem viginti quinque annis in integrum restituebant, verum et maiorem, ob gravioris nempe erroris causam (1).

Inter exceptiones e iure Praetorio oriundas, illae quoque recensendae sunt, quae e pactis adiectis concessae fuere. Pollicetur nempe Praetor, se pacta conventa (2) servaturum esse, quae neque dolo malo neque adversus leges facta erunt (3), cuius Edicti origo e legibus duodecim tabb. videtur repetenda (4). Per hancce itaque aliasve exceptiones Praetorias, excludi poterant actiones stricti iuris, quae iure civili competebant. Ita vero fiebat, ut reus aeque tutus esse posset, ac si negotium ip-

(1) § 33. I. de Action. verba legis sunt: „ Sane „ si tam magna causa iusti erroris interveniebat, ut „ etiam constantissimus quisque labi posset, etiam „ maiori viginti quinque annis succurrebatur.". Conf. L. 1. in fin. ff. Ex quib. caus. mai. Theophilus, ad § 33. cit. et Vinnius eod. pag. 921. Conf. Cicero, *pro Rosc. Com.* C. 4.

(2) Scilicet de non petendo. Conf. Noodt, *de Pactis* C. 6.

(3) L. 7. § 7. et 4. ff. de Pactis.

(4) Noodt, *de Pact. et Transact.* C. 1.

ipſo iure nullum diceretur; atque eo ſenſu, ad eventum litis reſpiciens, ſcribit Paulus (1), „ nihil intereſſe, an ipſo iure quis actionem „ non habeat, an vero per exceptionem illa „ infirmetur" (2).

Illos quoque adiuvarunt Praetores, qui fruſtra, alio quam definito in loco, rem petebant e contractu ſtricti iuris. Nimirum ea de re Edictum (3) conditum fuit, e quo eo caſu actio utilis (4) et adiectitia in ſtipulatione concedebatur (5). Porrecta fuit dicta actio, de eo quod certo loco ſtipulatori conceſſa, ad mutuum et actionem ex teſtamento (6), quod per interpretationem Prudentum, ob parem rationem et ex mente Edicti factum videtur (7).

His-

(1) L. 112. de Reg. Iur.

(2) Vid. Noodt, *de Form. Emend. dol.* Cap. 5. Conf. L. 3. § 1. ff. de Conſt. Pec.

(3) Quod non quidem exſtat, attamen latum fuiſſe merito colligitur a Noodtio, *ad Tit.* ff. de Eo quod cert. loc. pr.

(4) Etenim per actionem directam petitio fieri non poterat, propter verba ſolemnia. Conf. L. 99. ff. de Verb. Oblig.

(5) L. 1. L. 2. § 1. L. 7. § 1. ff. de Eo quod cert. loc.

(6) L. 5. L. 6. ff. eod.

(7) Conf. Noodt, ad ff. pag. 305. et Pothier, eod. n. 6.

Hisce autem omnibus, quae de iure honorario memoravimus, debitam laudem aliis iuris ſcripti ſpeciebus, inprimis auctoritati prudentium, detrectare, in animo uon fuit. Etenim ipſa Praetorum Edicta, inſigne decus ex interpretatione ICtorum mutuantur; praeterea iniquitates e ſtricto iure oriundae, per ſubtilitatem ICtorum ſaepius e iuris ratione ad aequitatem flexae fuere, cuius rei exempla pasſim in iure occurrunt. Verum tamen cum illa quae ex auctoritate prudentum venerunt, aliaeque iuris ſcripti ſpecies, excepto ſolo iure honorario, a Papiniano (1) ipſo iuri civili adnumerantur, vix est ut ad modos corrigendae iniquitatis e ſtricti iuris principiis oriundae, ſalvis tamen his, referamus interpretationem prudentum aliasve iuris civilis ſpecies, quibus ipſis ius atque iuris principia condi potuerunt.

(1) L. 7. ff. de Iuſtitia et Iure.

CA-

CAPUT TERTIUM.

AN MODUS PROCEDENDI APUD ROMANOS VIM HABUIT DIVERSAM CIRCA VALOREM NEGOTIORUM, CIRCA PETITIONEM ACTORIS, REMEDIA DEFENSIONIS ET OFFICIUM IUDICIS, PROUT NEGOTIA ERANT BONAE FIDEI VEL STRICTI IURIS?

Quamvis Romani dictis modis tollerent ſenſim iniquitatem oriundam e more procedendi, in negotiis ſtricti iuris inſtituto ſecundum eorum indolem, et ita efficerent, ut in iis etiam aequitati locus eſſe poſſet, tamen ſalvum retinuerunt antiqui iuris principium. Remanſit ergo diverſa negotiorum forma; remanſit quoque ut in bonae fidei negotiis, quorum fundamemtum erat in aequitate naturali, vi latioris formulae iudici datae, ex bono et aequo iudicaretur; contra in negotiis ſtricti iuris ſecundum id quod eſſet dictum et promiſſum, vi ſtrictae formulae iudici praeſcriptae, a qua ipſi ne minimum quidem re-

recedere licebat, nulla bonae fidei in ea facta mentione (1). Diversam hancce negotiorum naturam atque iudicis potestatem, insigni discrimini inter bonae fidei et stricti iuris iudicia locum dedisse, merito praesumitur; adeo ut alio atque alio modo aequitas cum subtilitate fori Romani in concordiam redigi deberet, prout negotia essent bonae fidei vel stricti iuris. Per singula haec videamus.

Vis diversa procedendi modi circa valorem negotiorum, prouti haec bonae fidei erant aut stricti iuris.

Supra iam vidimus, stricti iuris negotia quamvis dolo gesta, ante Ciceronis tempora, pleno iure substitisse, modo caetera iuris requisita adessent; adeo ut laeso damnum, nisi ex interposita de dolo stipulatione, resarciri non posset (2). Post concessam quoque a Praetore restitutionem in integrum propter dolum, iure civili subsistebant tamen illa negotia, quamvis dolo inita; et per ius praetorium infirmari demum poterant concessâ actione aut exceptione doli, absque ullo discrimine inter dolum contractui causam

(1) Conf. supra C. 1. p. 22.

(2) Cicero, *de Offic.* L. III. C. 14. Noodt, *de*

ſam dantem et incidentem (1). Lato ſcilicet de dolo Edicto, laeſus, integro negotio, per exceptionem doli, e iure praetorio, intentionem actoris elidebat (2); ſi dolo laeſus ex obligatione non conveniretur, adeoque inutilis doli exceptio esſet, Praetor ei ſuccurrebat per actionem de dolo, quae arbitraria erat (3). Hinc ſi dolo laeſus rem promisſam tradidisſet, actio illa dabatur ad rem reſtituendam; huic actioni locus erat, ſi res alio modo ſalva esſe non posſet (4). Re non praeſtitâ, condemnatio fiebat in id quanti res erat, per actoris iusiurandum in litem, intercedente tamen iudicis officio (5), ni-

de Form. Emendandi dol. C. 4. et 5. Conf. ſup. C. 2. p. 26. ſeqq.

(1) Conf. Vinnius, *Quaest.* L. 1. C. 12. et ad Tit. Inſtit. de Actionibus p. 910. Noodt, *Op. Cit.* C. 3. princ.

(2) L. 1. princ. ff. de Dolo malo. L. 1. § 1. ff. de Doli mali et metus except. L. 36. ff. de Verb. Oblig. L. 28. ff. de Action. emti. L. 5. Cod. de Inutil. Stipulat. Conf. Pothier, *ad Tit.* ff. de Pactis n. 13. et Noodt, *de Forna Emendandi doli* C. 5.

(3) L. 7. § 3. et L. 18. princ. ff. de Dolo malo. Conf. Noodt, *Op. Cit.* C. 5. Pothier, *ad Tit.* ff. de Verb. Oblig. n. 3. not. *c.*

(4) L. 1. § 1. et 4. L. 7. princ. ff. de Dolo malo.

(5) L. 18. princ. ff. eodem.

nisi restitutio per rerum naturam fieri non posset, servo e. g. dolo tradito defuncto, quo casu reus statim condemnabatur, in id quanti actoris intererat (1).

Vi formulae in bonae fidei iudiciis, aliter fieri non potuit, quin doli ratio a iudice pedaneo haberetur, licet de eo praestando per stipulationem cautum non fuisset: idque adeo ita iam iuris fuisse oportet, ante Aquilii Galli tempora, a quo formulas de dolo malo profectas esse, supra notavimus (2). Testatur illud Cicero (3), ubi, ,, dolum malum in fine lege ,, iudiciis, in quibus additur, ex bona fide. ,, vindicatum fuisse", scribit. Inde porro apud eundem, ,, actiones bonae fidei", vocantur ,, iudicia de mala fide" (4). Idem illud iuris mansit, post conditum Edictum Praetoris de dolo malo, unde ICti scribunt, in bonae fidei negotiis ,, dolum abesse debere, etsi de eo cautum ,, non

(1) L. 18. § 1. et 4. ff. eodem. Conf. Noodt, *Op. Cit.* C. 5.

(2) Conf. supra C. 2. p. 26.

(3) L. 3. *de Offic.* C. 15.

(4) Id est, in quibus attenditur ad malam fidem, de ea agitur. Leguntur verba Ciceronis, L. 3. *de Nat. Deor.* C. 30.

„ non ſit (1), imo, licet pacto adiecto pla-
„ cuerit, ne doli nomine quid praeſtaretur" (2).
Sponte nullum erat declarandum a iudice pedaneo bonae fidei negotium, cui propter dolum, deërat iuris civilis requiſitum, nempe conſenſus bona fide innixus (3); quod vero contra ius civile gestum erat, id ipſo iure valere non poterat. Non requirebatur igitur Praetoris auxilium ad infirmandum negotium uti in ſtricti iuris negotiis. Id vero, Noodtium ſecuti, iuris fuisſe putamus, ſive dolus hisce negotiis cauſam det, ſive incidens ſit (4). Docent illud ICti, ubi in genere dicunt, „ ſocietatem dolo
„ malo initam ipſo iure nullius esſe momenti,
„ ibique Praetoris partes cesſare; ipſo iure
„ enim

(1) L. 68. § 1. ff. de Contr. Emt. L. 7. ff. de Neg. Gest. L. 6. § ult. ff. de Act. Emt.

(2) L. 1. § 7. ff. Depoſ. L. 6. § ult. ff. cit.

(3) L. 116. L. 152. § ult. ff. de Reg. Iur. L. 68. § 1. cit. Conf. Noodt, *de Form. Emend. dol.* C. 7.

(4) Praeſtantisſimum hunc interpretem, qui in materia doli multa ex antiquitate illustravit in libro ſing. *de Form. Emendandi doli*, ſecuti ſunt Schulting, *Enarrat. prim. part.* ff. ad Tit. de Dolo, aliique, quibus cum fere debeam quae hic congesſi, hos Viros ſemel tantum laudasſe ſufficiat.

„ enim laesum satis tutum esse" (1). Nec deëst ratio; bonae fidei enim prorsus contrarium est, condemnare reum dolo laesum (2); unde doli exceptiones dicuntur inesse bonae fidei iudiciis (3).

Ex eodem fonte, quod nempe dolus a bonae fidei negotiis ipso iure arceatur, derivandum est, quod perfecto eiusmodi negotio per dolum gesto, ipso iure civili laeso succurreretur. Eo scilicet casu, decepto actio civilis, sed utilis ex ipso contractu dabatur, quâ negotium rescindebatur, restitutis quae tradita fuerant (4). Aut agere deceptus poterat ad id quod alterum ex bona fide agere vel dare oportebat, si velit ut contractus maneat, aut res in integrum revocari nequeat (5). Denique si ob rei naturam contra-

(1) L. 3. § 3. pro Socio i. L. 16. § 1. ff. de Minoribus. Conf. L. 5. C. *de Resc. Vend.*

(2) L. 28. ff. de Action. Emt.

(3) L. 21. ff. Solut. Matrim.

(4) L. 11. § 5. ff. de Action. Emt. ad quam videatur Noodt, *Op. Cit.* C. 9. Conf. L. 18. ff. de Aedilitio Edicto iunctâ. L. 11. § 3. ff. de Action. Emt. Conf. Paulus, *in Sentent.* L. 2. Tit. 17. § 6.

(5) Cicero, *de Offic.* L. 3. C. 16. L. 13. § 4, 5. ff. de Act. Emt.

tractus ſtare nequeat, agere tamen ad intereſſe poterat (1). Ceterum haec actio, quamvis civilis ex ipſo contractu data, non est directa, quippe quae dari nequit cum contractus nullus ſit, verum utilis est; atque ICti rem eo in caſu perinde accipiunt ac ſi contractus valeret (2).

In arbitrio tamen laeſi erat, ſive dolo incidente ſive cauſam dante erat deceptus, utrum bonae ſidei negotium nullum declarari an vero ſubſiſtere vellet. Etenim ſolius decepti non utriusque cottrahentis ratione, negotio vitium inerat; idque cesſabat, ubi, detectâ fraude, laeſus in conſenſu perſiſtebat (3); quisque enim beneficio, in ſuum favorem introducto, potest renuntiare (4). Hinc ſequitur, ut, invito decepto, cui ſoli beneficium legis favebat, non posſet auctor doli agere ad contractum disſolvendum; utpote cuius improbitati tale nihil erat condonandum (5).

Hoc

(1) L. 62. § 1. ff. de Contrah. Emt. L. 6. § ult. L. 30. § 1. ff. de Act. Emt.

(2) L. 4. ff. de Contrah. Emt. L. 30. § 1. ff. de Act. Emt. L. 9. § ult. L. 11. ff. de Minor.

(3) L. 13. § 27. et 28. ff. de Action. Emt.

(4) L. 41. ff. de Minor. L. pen. Cod. de Pact. L. 69. ff. de Reg. Iur.

(5) Conf. Noodt, *de Form. Emend. dol.* C. 9. Schulting, *Op. Laud.* ad Tit. ff. de Dolo malo N°. 8.

Hoc arbitrium Paulus in dolo incidente laeso tribuit, ei optiotem dans utrum velit agere ad dolum purgandum, an vero potius ad id ut nulla declaretur emtio (1). Ulpianus quoque ei qui dolo deceptus mulierem pro virgine emisset, concedit actionem ex emto ad rescindendam venditionem (2); non alia ratione atque Imperator Alexander earum rerum persecutionem suo iure tribuit venditori, qui persuadente emtore, incertus de hereditatis quantitate, quasi exiguam quantitatem vendiderat (3). Agere ergo laesus, in utraque doli specie, poterat ad contractum rescindendum. Quod si vero negotium subsistere malebat, supra dictis consentaneum erat, ut laesio salvo contractu corrigeretur; idcirco agebat deceptus actione ex ipso contractu, ad dolum purgandum, ut ita damnum deduceretur. Hinc Ulpianus putat, „ venditorem qui dolo effecerit ut servum pluris „ venderet, actione emti teneri ad praestandum „ emtori, quanto per dolum illum pluris ven„ diderit" (4). Salva hîc manet ipsa emtio, uti etiam in specie legis sequenti. Vellicus quidam

(1) Paulus, *Sent.* L. 2. T. 17. § 6. ubi conf. Schulting, *Iurispr. Antiq.* p. 294.

(2) L. 11. § 5. ff. de Contr. Emt.

(3) L. 5. C. de Hered. vel Act. Vend.

(4) L. 13. § 4. ff. de Act. Emt.

dam aliquas res haereditati ſubſtrahit; et ſic facile haeredi perſuadet, ut eam ſibi minimo pretio venderet; iam ad dolum illum purgandum haeredi datur actio ex vendito, in tantum, quanto pluris haereditas, rebus illis non ſubſtractis, valuisſet (1).

Fateor, plerumque in legibus ab dolum incidentem agi ſolet ad dolum purgandum; contra ubi dolus cauſam dedit negotio, ad id ut nullum declaretur: id vero non tribuendum est iuris necesſitati, ut alia ratione agi non posſit; ſed hoc profluit ex laeſionis indole. Qui laeditur dolo incidente contractum voluit inire, rem v. c. emere, unde eius voto congruum est, ut ſalvo contractu laeſio corrigatur; qui vero dolo ad emendum ducitur prorſus contrahere noluit, ideoque maxime cupit, ut contractus disſolvatur.

Expoſitâ nostrâ ſententiâ, vix opus est, ut eorum interpretum ſententiam refellamus qui putant, etſi interveniente dolo cauſam dante, bonae fidei negotia ipſo iure valuisſe; etenim illa nimis abſurda est (2). Sufficiat, memorata iam

(1) L. 13. § 5. ff. de Action. Emt. Conf. L. 9. princ. ff. de Dolo malo.

(2) Conf. Vinn. *Quaest.* L. 1. C. 12. et Pothier, ad Tit. ff. de Pactis n. 10. not. *a*.

iam ICtorum verba adducere; „ societatem do-
„ lo coitam ipso iure nullius esse momenti,
„ ibique Praetoris partes cessare" (1).

Ratione vero ipsius distinctionis inter dolum causam dantem et incidentem, animadvertendum est, quod, etsi diverso modo dolus re verâ, ratione ineundi negotii, locum habere possit, semper tamen vaga sit illa distinctio, quae certis terminis caret et ab externis momentis dependet. Plerumque enim certo definiri nequit, utrum dolus causam dans, an vero incidens fuerit; proinde distinctio illa diversos certosque effectus in iure producere nequit et sapientiâ ICtorum Romanorum indigna videtur.

Post Noodtium non conabor respondere ad leges, quae a dissentientibus adferuntur. Sed cum videam ipsum Noodtium, non, nisi critica manu et audaciori coniectura, sese extricasse difficultate, quae inest, *L. 7. pr. ff. de Dolo malo*, tentare conabor, anne haec lex ita possit intelligi et exponi, ut nostrae opinioni minime adversetur.

Putant dissentientes, diversum duplicis doli effectum manifesto apparere ex hisce legis verbis: „ Hoc enim sic accipimus, carere dolo em-
„ to-

(1) L. 3. § 3. ff. pro Socio L. 16. § 1. ff. de Minor. L. 5. Cod. de Rescind. Vendit.

„ torem; ut ex empto teneri non posſit; aut „ nullam esſe venditionem, ſi in hoc ipſo, ut „ venderet, circumſcriptus est" (1). Videamus de legis ſenſu, ut ſic conſtet de vitio argumenti. Quaerit Ulpianus, de ſenſu verborum in Edicto, „ ſi de his, quae dolo malo „ facta esſe dicuntur, alia actio non erit, iudi- „ cium dabo." Eleganter, inquit, haec a Pomponio ita accipiuntur, „ ſi res alio modò ei „ ad quem ea res pertinet ſalva esſe non pote- „ rit". Iam huic ſententiae non adverſari ait, quod Iulianus ſcribit, „ ſi minor viginti „ quinque annis, conſilio ſervi circumſcriptus, „ eum vendidit cum peculio, emtorque eum „ manumiſit, dandam in manumisſum de dolo „ actionem". Quamvis enim, primâ fronte, alia remedia videbantur minori ſuperesſe, reverâ tamen, per ſolam de dolo actionem, res ſalva esſe poterat Apparebat enim, actionem ex emtionis contractu (2) contra emtorem dari non posſe, quia hic dolo carebat. Porro ICtus ſubiungit, anne minori ſuccurri potuisſet per id, ut venditio nulla declaretur? Utique hoc probandum videbatur, ſi in eo ipſo *ut venderet* fuis-

(1) Conf. L. 7. ff. cit. Vid. Vinnius, *Quaest.* L. 1. C. 12.

(2) Puto ad purgandum dolum.

ſuisſet circumſcriptus; at vero non in eo ſolo *ut venderet* laeſus erat, ſed inſuper in eo *quod ſervus erat manumisſus*, isque revocari in ſervitutem non poterat: proinde, quamvis nulla declararetur venditio, manumisſus in venditoris poteſtatem, e favore libertatis, redire non poterat; adeo ut neque hac ratione minori res ſalva esſet. Neque tandem minori prodesſet in integrum reſtitutio, quippe quae adverſus manumisſum locum habere non poteſt. Per ſolam ergo de dolo actionem in manumisſum, qui dolo egerat, minori ſuccurri poterat; adeoque caſus a Iuliano propoſitus minime Pomponii ſententiae adverſatur, nimirum: dari actionem de dolo, ubi alia actio non eſt. Apparet ergo in hac lege minime agi de diverſo effectu doli cauſam dantis et incidentis, ſed verba legis: *aut nullam esſe venditionem ſi in hoc ipſo ut venderet circumſcriptus eſt*, pertinere ad id, ut doceatur, remedium nullitatis in caſu propoſito locum habere non posſe, quo alias actio de dolo excluderetur.

Ubi iam ea, quae ratione doli in bonae fidei et ſtricti iuris negotiis intervenientis retulimus, in mentem revocamus, apparet, modum procedendi utique vim diverſam circa valorem illorum negotiorum habuisſe. Etenim bonae fidei negotia dolo geſta, ipſo iure non vale-

 bant;

bant; unde laeso, pro rerum momentis, variis modis per ius civile succurrebatur; neque huic ad Praetoris de dolo Edictum recurrere opus erat, nisi cum res laeso, aliâ ratione, salva esse non posset (1). Contra, in stricti iuris negotiis non obstabat dolus, quo minus illa ipso iure valerent, sed iure Praetorio infirmabantur; unde, propter dolum, ex hoc, non e civili, iure agendum erat.

Inquiramus iam in metus effectus circa negotiorum bonae fidei et stricti iuris valorem.

Stoïcorum placitum, metu nempe coactum promittentem consentire, quatenus e duobus libere eligit, quod secuti sunt ICti Romani (2), illud inquam placitum in stricti iuris negotiis vim habere potuit. Etenim in his negotiis lis non ex aequo et bono dirimebatur; hinc stricti iuris negotia, secundum debitam formam inita, prop-

(1) Id obtinere vidimus in Leg. 7. princip. ff. de Dolo malo. Idem refertur in Leg. 18. § 3. ff. eodem; ubi ex venditione laeso, quodam in casu, actio de dolo datur, in tertium scilicet, qui sciens iniqua pondera ad mercem appendendam commodavit. Conf. Noodt, *de Form. Emend. dol. mal.* C. 13.

(2) L. 21. § 5. ff. Quod metus causa. ICti, in aliis quoque rebus, Illius philosophiae sententias amplexi sunt. Conf. Pothier, *Pand. Iustin. Praef.* P. 1. C. 2. § 3. et Cuiacius, *Obs.* L. 26. c. ult.

propter metum irrita ipſo iure, non fiebant. Prolatis formulâ Octaviana, de dolo et metu Edictis, ipſo iure, nihilominus valebant ſtricti iuris metu gesta negotia; verum per ius Praetorium infirmabantur (1). In ſpecie vero pollicetur Praetor, ſe, quod metus cauſa gestum erit, ratum non habiturum (2). Hinc ſi per metum laeſus conveniretur, poterat actoris intentionem elidere per metus cauſa exceptionem, quae erat in rem ſcripta (3); imperfecto negotio aliquando etiam per ipſam actionem quod metus cauſa agi poterat (4). Perfectum negotium rescindebatur per actionem quod metus cauſa (5), aut omisſa hac actione, ſi per contra-

(1) Ex utroque enim Edicto, remedia quaerebat laeſus, quia is qui metu cogit etiam dolo agere dici potest, et hinc de dolo tenetur. L. 14. § 13. ff. Quod metus cauſa.

(2) L. 1. princ. et L. 21. § 1. ff. Quod metus cauſa. L. 1. § 1. ff. de Doli mali et metus exceptione.

(3) L. 4. § 33. ff. eodem. L. 5. Cod. de Inutil. Stipul. Conf. Pothier, *ad Tit.* ff. de Pactis n. 13.

(4) L. 9. § 3. ff. Quod metus cauſa. Conf. Noodt, *de Form. Emend. dol.* c. ult. Schulting, *Enarrat.* ad Tit. ff. de Dol. mal. n. 8.

(5) L. 1. iunct. L. 14. § 3. ff. Quod metus cauſa. Conf. Noodt, *Op. Laud.* cap. ult.

tractum metu initum aliquid alienasſet, aut aliquem liberasſet laeſus, poterat experiri actione pristina ſive in rem ſive in perſonam (1). Iuris quidem ſubtilitate extincta est haec actio, ſed reſcisſa traditione aut liberatione ei dabitur utilis (2). Si ſola ſtipulatio, non numeratio per metum extorta esſet, cesſabat actio quod metus cauſa, quia ad eam requiritur ut aliquid ablatum ſit metum pasſo (3); verum hoc caſu per condictionem ob iniustam cauſam repetitio fiebat (4). Caeterum actio quod metus cauſa erat in rem ſcripta (5); per eam restituebatur res metu extorta; fructuum et accesſionum quoque ratio habebatur (6): propter contumaciam rei, intercedente officio iudicis, fiebat condemnatio in quadruplum intra annum, post annum in ſimplum, unde haec actio erat arbitraria (7).

In

(1) L. 9. § 4. et 6. ff. Quod metus cauſa.

(2) Noodt, ad Tit. ff. Quod metus cauſa p. 109. et Pothier, ad Tit. ff. Quod metus cauſa n. 12.

(3) L. 12. § ult. L. 14. princ. ff. Quod metus cauſa. Conf. Pothier, ad hunc Tit. n. 11.

(4) L. 7. ff. de Condict. ob turp. cauſ. Conf. Pothier, ad hunc Tit. n. 10. Noodt, ad Tit. ff. Quod metus cauſa pag. 109.

(5) L. 9. § ult. ff. Quod metus cauſa.

(6) L. 12. pr. ff. Quod metus cauſa. Conf. Pothier, ad h. t. n. 22.

(7) L. 14. § 1, 3 et 4. ff. Quod met. cauſ.

In bonae fidei negotiis per metum gestis, ipso iure laeso succurrebatur; idque ita iuris iam fuisse oportet, propter formulae verba, ante data Edicta Praetorum de dolo atque metu. Deinceps quoque, Praetoris auxilium non aeque requirebatur ad infirmanda illa negotia, ac in iis quae stricti iuris erant. Minime hîc ad Stoïcorum illud placitum attendi poterat: nam quamvis verum sit, metu coactum eligere; ab alterâ parte tamen constat, liberam optionem non dari illi, qui ad eligendum cogitur, cum caeteroquin maluisset plane non eligere. Proinde iudicis officio, ex bono et aequo litem secundum expressa formulae verba dirimentis, congruum erat, nullum declarari negotium, cui deërat iuris civilis requisitum, nimirum liber omnino consensus (1). Illud ex eo quoque constat, quod exceptiones metus hisce iudiciis insint; vel saltem ipso iure tutus sit metum passus per exceptionem doli, quae inesse dicitur il-

(1) L. 116. ff. de Reg. Iur. Rescribit Imp. Alexander, de venditione coactâ agens, „ ratum non habebitur, quod non bona fide gestum est; malae fi- „ dei enim emptio irrita est". L. 1. C. de Resc. Vend. Conf. Noodt, *de Form. Emend. dol.* c. ult. et Pothier, ad Tit. ff. Quod met. caus. n. 2. not. *b.* et ad Tit. ff. de Pactis n. 11. Vid. Schulting, *Enarr.* ad Tit. ff. de Dol. mal. § 3.

illis iudiciis (1). Si negotium iam esset consummatum uti poterat auxilio Praetoris.

Quamvis autem, cum e rei naturâ, tum ex Ulpiani fragmento (2), colligendum sit, bonae fidei negotia metu gesta, ipso iure nulla fuisse; tuto tamen affirmare non ausim, utrum hîc, ad instar eius quod in dolo obtinet, actio utilis detur, contractu impleto, ad repetendam rem praestitam; an vero ad actionem quod metus causa recurrendum sit. Ab una parte dici possunt metus et dolus eodem loco haberi, adeoque par esse ius; verum ab alterâ parte non putaverim, per leges probari posse, talem actionem utilem, propter metum, in specie dari; imo potius contrarium e legibus erui posse videtur. Etenim in specie propositâ in *lege* 1. *Cod. de Rescindend. Vendit*, verisimile est de emtione iam impletâ agi. Iam vero a venditore laeso, dicitur adeundus Praeses provinciae, ut hic suam auctoritatem interponat; unde colligi poterit, hîc actione quod metus causa opus fuisse

(1) L. 21. ff. Soluto matrim. iuncta. L. 14. § 13. ff. Quod metus causa, conf. Noodt, *de Form. Emend. dol.* cap. ult.

(2) L. 116. ff. de Reg. Iur. Idem quodammodo suadent verba legis 1. C. de Resc. Vend. *malae fidei emtio irrita est.*

te (1). Idem ex *Lege* 4 *et* 5. *Cod. de his, quae vi metusve causa* colligere licet; ubi, venditione metu intercedente perfectâ, dicitur id quod factum est, iurisdictionis tenore in priorem statum esse revolvendum; aut iuxta Edicti Perpetui formam, actionem in quadruplum vel simplum dari. Attamen dubia res est (2), unde in utramque partem de eo disputari potest.

Obiter hic monendum, quod, ubi per metum sublata fuit bonae fidei obligatio, per contrarium consensum haec sublata habeatur, unde eo casu actio quod metus causa datur (3).

Vis diversa procedendi modi circa petitionem actoris, prout negotia erant bonae fidei vel stricti iuris.

Aequitati naturali, quâ nitebantur bonae fidei negotia, consentaneum dici potest, ut quae inter contrahendum nudo pacto insuper fuissent pro-

(1) Praesides enim in provinciis Praetorum munus sustinebant. L. 10. ff. de Off. Praes.

(2) Additur enim in L. 4. C. cit. actionem quod metus causa ita demum competere, si alia non sit. Conf. Noodt, *Op. Cit.* cap. ult.

(3) L. 21. § 4. ff. Quod metus causa. Conf. Noodt, *de Form. Emend. dol.* cap. ult.

promisſa, in foro peti posſent (1). Id reverâ admiſerunt Romani, memores tamen principii, ne e nudo pacto actio daretur, ſalvâ etiam manente contractuum naturâ.

Quod pacto bonae fidei contractui in continenti adiecto promisſum fuit, id iure petitur. Non quidem ſuâ vi actionem producit illud pactum, verum id habetur pro parte contractus cui adiicitur; unde ei inesſe, legem dare, et actionem formare dicitur; ex quo actio ex ipſo contractu ſimul tendit ad petendum, quod per pactum fuit promisſum (2).

Rem

(1) Conf. Schulting, *Enarr.* ad Tit. ff. de Pactis. n. 5.

(2) L. 7. § 5. ff. de Pactis. L. 72. ff. de Contrah. Emt. L. 10. Cod. de Iure Dotium. Conf. Noodt, *de Pactis* Cap. 11. pag. 509 et 510. Pothier, ad Tit. ff. de Pactis n. 34. not. *b.* Glück, *Erlaüt. der Pandect.* § 311. pag. 258. ſeqq. Modo pactum illud non tale ſit, quod bonis moribus contrarium ſit, aut negotii naturae plane adverſetur; vid. L. 29. § 2. ff. pro Socio et L. 5. ff. de Uſur. Conf. Vinnius, *de Pactis* Cap. 9. n. 9. Glück, *Op. Cit.* § 311. pag. 277, quo caſu pactum valere non poteſt, niſi tamen tale ſit, quo negotium in aliud plane vertatur. Conf. Vinn. *Op. et Loc. Cit.* Caeterum pactum in continenti adiectum non tantum dicitur, ubi in ingresſu aut tempore contractus, verum etiam, ubi paulo poſt interponitur, nullo tamen alio ne-

Rem paucis exemplis illustremus. Nuda repromissio evictionis nomine solet sufficere in venditione (1). Ubi iam per pactum in continenti contractui adiectum convenit, ut evictionis causa fideiussor praestaretur, venditor ad id per actionem ex emto compelli potest (2). Similiter actione e vendito agitur ad implendum pactum, quo, dimidiâ fundi parte venditâ, convenit, ut emtor alteram partem in decem annos certâ pecuniâ conductam haberet, modo ideo viliori pretio pars fundi vendita fuisset (3).

Ubi vero pactum adiectum tendebat ad dissolvendum, quodam in casu, contractum, quale erat lex commissoria et addictio in diem, dubitarunt veteres ICti, utrum actio ex ipso con-

negotio interveniente. Conf. Vinnius, *de Pactis* Cap. 9. n. 14. seq. Noodt, *de Pactis* Cap. 11. pag. 509.

(1) L. 37. L. 56. ff. de Eviction.

(2) L. 4. L. 37. L. 56. ff. eodem. Conf. Vinn. *de Pact.* Cap. 9. n. 2.

(3) L. 79. ff. de Contrah. Emt. Alia exempla sunt in lege 75. L. 78. § 3. ff. de Contrah. Emt. L. 23. ff. de Reg. Iur. L. 1. pr. ff. de Peric. et Comm. Rei Vend. L. 9. § 2. ff. Locati. Conf. Vinn. *de Pact.* Cap. 9. n. 1 et 2. Voet, *ad Tit.* ff. de Pactis n. 6. Noodt, *de Pactis* Cap. 11.

contractu, an praescriptis verbis, ad implendum pactum danda esset. Quaestio haec per Rescripta Imper. fuit diremta; et ita quidem primum, ut actio ex ipso contractu, mox, ut utraque dari posset (1).

Vidimus de pactis contractui bonae fidei in continenti adiectis. Ubi ex intervallo illa adiiciuntur, distinguendum inter ea, quae ad substantiam sive naturam contractus pertinent et ea, quae salvo contractu abesse possunt, attamen plerumque interveniunt, qualia sunt adminicula contractus (2).

Pactum, quod circa adminicula versatur et contractui bonae fidei ex intervallo adiicitur, huic a parte actoris non inesse dicitur; unde ad agendum non prodest, ne e nudo pacto actio detur (3). Propterea Ulpianus (4) inquit, „non

(1) L. 4. ff. de Leg. Commiss. L. 2. Cod. de Pact. int. Emt. et Vend. Conf. Pothier, *ad Tit.* ff. de Pact. n. 37. Noodt, *de Pactis* Cap. 11. pag. 510.

(2) L. 7. § 5 et 6. ff. de Pactis. L. 72. ff. de Contr. Emt. Conf. Noodt, *de Pact.* Cap. 11. Schulting, *Enarratio* ad Tit. ff. de Pactis n. 7 et 8. Vinnius, *de Pactis* Cap. 9. n. 4—8. Glück, *Op. Cit.* § 311. pag. 260. seqq.

(3) L. 7. § 5. ff. de Pactis. L. 72. ff. de Contr. Emt. Conf. Paul. *Sent.* Lib. II. Tit. 14. n. 1.

(4) L. 7. § 5. cit.

„ non valet pactum post divortium factum, ut „ ante tempus definitum dos reddatur". Provocat quoque ICtus ad Papiniani verba (1), qui scribit „ pacta conventa, quae postea facta „ emtioni aliquid adiiciunt, ei non inesse"; quod intelligit ICtus de adminiculis emtionis, ut ipse ait, veluti, ut duplae cautio cum fideiussore praestetur. Erat hoc pactum adiiciens, quod venditoris obligationem augebat, quia duplae cautio per nudam repromissionem, fine fideiussore, praestari solet (2). Iam ait ICtus, agente emtore, non valere pactum, ut praestetur fideiussor (3).

Quomodo autem se habet res, adiecto pacto bonae fidei contractui ex intervallo et circa eius substantiam, v. c. pretium in emtione? Ex Pauli sententiâ (4), aucto pretio, ubi contractus nondum impletus est, recessum a priore videtur, et novus contractus intercessisse. Sane emtio consensu perficitur, adeoque per pactum nova fieri emtio dici potest. Contra, res ita quoque accipi potest, ut pristina emtio adhuc pro

(1) L. 72. ff. de Contrah. Emt.

(2) L. 56. ff. de Evict.

(3) Conf. Noodt, *de Pact.* Cap. 11. pag. 511. Vinn. *de Pact.* C. 9. n. 4. et seqq.

(4) L. 72. ff. de Contrah. Emt.

pro parte subsistens habeatur, quatenus nil mutatum est; atque eo sensu Ulpianus (1) videtur dixisse, „ contractum ita quodammodo „ quasi renovari, et in parte recedi pacto ab „ emtione, quasi repetitâ partis emtione; et „ pactionem ex parte agentis locum habere et „ ad actionem proficere". Hac sane ratione, subtiliter dici potest, pactum ex intervallo circa substantiam contractus (2) interpositum, valere ad actionem (3).

Obiter hîc monendum, quod dissentit, in *lege* 72. *ff. de Cont. Emt.* explicandâ, Cuiacius (4), qui putat, per pacta detrahentia in lege indicari talia pacta, quae versantur circa substantiam contractus, veluti pretium in emtione, quamvis id per pactum augeatur: contra, pacta adiicere, ubi iis de adminiculis aliquid convenit, licet minuatur obligatio. Cuiacii sententiam refellit Noodt (5), cuius opinionem

(1) L. 7. § 5. ff. de Pactis.

(2) Saltem qui solo consensu perficitur.

(3) Conf. Noodt, *de Pactis* Cap. 11. p. 512. Vinnius, *de Pactis* Cap. 9. n. 8. Schulting, *Enarrat.* ad Tit. ff. de Pact. n. 8.

(4) Observat. Lib. 14. Cap. 28. et Lib. 10. Cap. 23. Cuiacio assentitur Voet, ad Tit. ff. de Pact. n. 8.

(5) *De Pact.* Cap. 11. pag. 511 et 512.

nem ſumus ſecuti, cum maxime probabilis appareat, eamque amplexi ſint plurimi interpretes (1).

Quod pacto, ſtricti iuris negotiis in continenti aut ex intervallo adiecto, fuerat promisſum, id peti non poterat. Vidimus enim, contrarium in ſpecie doceri de bonae fidei negotiis: inſuper, teste Vinnio (2), nullus in iure locus occurrit, quo probari posſit, pactum mutuo aut ſtipulationi, quamvis in continenti adiectum, a parte actoris negotio inesſe, ita ut ad agendum proſit. Mirum ſane est, cur non idem de ſtricti iuris quod de bonae fidei negotiis affirmetur, ſiquidem in utroque par ius esſet. In iure autem ſaepius obtinet, quod inprimis de bonae fidei ac ſtricti iuris negotiis valet, ut quod de uno genere affirmatur, per id ipſum de altero negetur (3). Ipſa quoque ſtricti iuris contractuum natura obſtabat, quo minus pactum adiectum iis inesſe posſet et ad actionem proficere. Etenim ad ſtipulationem, quae verbis ſolennibus perficiebatur, accedere eiusque partem

(1) Conf. Glück, *Erlaut. der Pand.* § 311. pag. 263. ſeqq. Schulting, *Enarrat.* ad Tit. D. de Pactis n. 7. Vinnius, *de Pactis.* C. 9. n. 4.

(2) de Pactis. C. 10. n. 3.

(3) Vinnius, *de Pactis.* C. 10. n. 1.

tem constituere non poterat nudum pactum (1); proinde stipulationis natura non sinebat, ut praeter ea, quae verbis illis continebantur, insuper praestarentur, quae nudo pacto erant promissa. Mutui obligatio, propter rei tradionem, non poterat extendi ultra id, quod erat numeratum (2); id docent Iurisconsulti, ubi dicunt, „ re non potest obligatio contrahi, nisi quatenus „ datum est: unde, ubi quis decem dat, et paciscitur, ut viginti debeantur, non nascitur obligatio „ ultra decem" (3). Praeterea in mutuo transfertur dominium, unde hic locus esse non potest quibusdam praestationibus accedentibus, quae obtinent, et de quibus pacisci possunt partes, in bonae fidei negotiis, quae similiter re perficiuntur, uti commodatum, depositum. Usurae denique non, nisi e stipulatione, in mutuo debentur (4).

Assentiendum itaque censemus Vinnio aliisque interpretibus, qui putant, pacta in continenti aut ex intervallo stricti iuris contractibus ad-

(1) L. 99. ff. de Verb. Oblig.

(2) Vinnius, *de Pactis*. C. 10. n. 3.

(3) L. 17. ff. de Pactis. L. 11. § 1. ff. de Rebus Creditis. Conf. Pothier, ad Tit. de Pactis. n. 39. et 40. not. *b*.

(4) L. 24. ff. de Praescr. Verbis.

adiecta, iis a parte actoris non inesse, adeoque ad actionem non prodesse (1). De mutuo idem affirmat Noodt (2), qui tamen putat, pactum in continenti stipulationi circa causas, uti locum, tempus, adiectum, prodesse ad actionem. Ita censet propter verba *in L.* 40. *ff. de Rebus Creditis*, „ pacta in continenti facta sti„ pulationi inesse creduntur". Rectius tamen existimare videntur Vinnius (3) et Glück (4), verba illa Pauli esse restringenda ad casum de quo agitur in lege 40 cit., nimirum ad pactum detrahens in favorem rei.

Vis diversa circa petitionem actoris, prouti negotia bonae fidei erant aut stricti iuris, in eo quoque cernitur, quod ubi quid e stipulatione aut mutuo, certo loco erat praestandum, et debitor se eo loco non sisteret, actor reum convenire non poterat per actionem ex ipso con-

(1) Vinnius, *de Pactis* C. 10, ubi docet, frustra aliquas leges ad contrarium probandum adduci. Conf. Pothier, ad Tit. ff. de Pactis n. 39 et 40. Bynkershoek, *Dissert. de Pactis str. iur. contract. in cont. adi.* C. 4. seqq. Glück, *Op. Cit.* § 311. p. 266. seqq.

(2) *De Pactis* C. 12. in fine.

(3) *De Pactis* C. 10. n. 10. seqq.

(4) *Op. Cit.* § 311. p. 267. seqq.

contractu, verum per actionem e iure Praetorio oriundam; nempe de eo quod certo loco, agendum erat, mentione facta loci quo dari oportebat (1). Idem obtinebat in actione e testamento (2). Arbitrio iudicis aestimandum erat, quanti actoris aut rei interesſet, in alio quam convento loco ſolvi, unde haec actio arbitraria dicitur (3). Contra in bonae fidei negotiis ſufficiebat actio ex ipſo contractu (4); in condemnatione ex aequo et bono itidem ratio eius habebatur, quod contrahentium intererat, ſolutionem alio in loco fieri (5). Bonae fidei ſane congruum erat, petitionem alio in loco admitti, ubi actor ſuum conſequi non poterat in loco per contractum definito (6); unde idem iuris iam fuisſe necesſe est, antequam ea de re a Praetore cautum fuerit.

Ubi

(1) L. 1. L. 2. § 1. L. 6. L. 7. § 1. ff. de eo quod certo loco.

(2) L. 5. ff. eod.

(3) L. 2. pr. et § 8. et L. 3. ff. de eo quod cert. loc.

(4) L. 7. pr. ff. eod.

(5) L. 5. pr. ff. Comm. Conf. Noodt, *ad Tit. ff.* de eo quod cert. loc. pag. 306. et Pothier, ad eund. Tit. n. 6. not. *c*.

(6) Conf. Noodt, loc. cit.

Ubi in bonae fidei negotiis aliquid turpiter datum fuerat, ut illud restitueretur, quod sponte erat reddendum, per actionem ex ipso contractu descendentem peti poterat (1). Secus erat in stricti iuris iudiciis, in quibus eo casu, per condictionem ob turpem causam agendum erat (2). Concurrebat tamen, cum actione bonae fidei, condictio (3).

Actiones e bonae fidei negotiis ad ea quoque tendebant, quae praestari moris erat et consuetudinis, licet de iis cautum non fuisset (4); hinc, evicta re empta, si stipulatio eius rei nomine non intervenisset, emptor agebat ad id quod intererat, et quidem usque ad, non vero ultra duplum; quia duplae stipulatio evictionis causa interponi solebat (5). Contra in stricti iuris negotiis praestari, quae moris erant et consuetudinis, minime affirmatur; neque id illorum naturae consentaneum erat (6).

In

(1) L. 9. § 1. ff. de Cond. ob turp. caus.

(2) L. 9. § 1. ff. cit. Conf. Pothier, ad eum Tit. n. 4.

(3) L. 2. § 1. L. 9. pr. ff. Tit. cit.

(4) L. 31. § 20. ff. de Aedil. Edicto.

(5) L. 43. ff. de Act. Emt. L. 2. iuncta L. 70. ff. de Eviction. L. 31. § 20. cit. Conf. Noodt, *ad Tit.* ff. de Eviction. p. 463.

(6) L. 99. ff. de Verb. Oblig.

In negotiis bonae fidei, si obligatio sub conditione aut adiecto die sit constituta et metuat forte creditor, ne reus solvendo esse desinat, potest ille statim agere, ad cautionem sibi praestandam, ex iustâ saltem causâ (1). Secus erat in stricti iuris negotiis; de solis enim illis quae bonae fidei sunt affirmatur; praeterea exceptio a iure communi est in legatis et fideicommissis, sub conditione aut ex die relictis, vel quae aliquam moram continent, in quibus ex iure Praetoris cautio illa statim exigi potest (2); id vero in specie in actione e testamento, quae stricti iuris erat, constitui non adeo opus erat, si iure communi in stricti iuris negotiis cautio illa peti potuisset.

Qui per actionem stricti iuris plus petierat quam sibi debebatur, is litem amittebat, nisi per Praetorem in integrum restitueretur (3): etenim in his iudiciis simpliciter respiciebatur ad id, quod inter contrahentes actum fuerat; iudici e formulâ tantum in id inquirendum erat, an illud quod petebatur, re vera deberetur (4); hinc

(1) L. 38. pr. ff. pro Socio L. 41. ff. de Iudiciis.

(2) Conf. Tit. ff. Ut legat. vel fideic. nom. cav.

(3) Conf. supra C. 2. p. 37.

(4) Conf. Noodt, *ad Tit.* ff. de Rebus creditis in fine.

hinc ſi, cauſâ cognitâ, liqueret actorem plus quam debitum erat petiisſe, hic perdebat cauſam (1). Secus erat in bonae fidei iudiciis, ob aequitatis habendae rationem; in iis enim obligationes definiebantur ſecundum id quod bonum et aequum erat. Discrimen illud inter utriusque generis actiones notat Cicero (2).

In bonae fidei iudiciis, petitio actoris in totum vel pro parte propter mutuum debitum, ipſo iure excludebatur per compenſationem (3); id enim bonae fidei conſentaneum erat, quia dolo agit, qui petit quod redditurus est (4). Contra in ſtricti iuris iudiciis, compenſatio a iudice pedaneo non admittebatur, niſi in formula ſua eius rei mentio facta fuisſet. Cum vero e nonnullorum ICtorum ſententia, obligationes ſtricti iuris, ipſo iure per compenſationem tolleren-

tur

(1) § 33. ff. de Action. Conf. Vinnius, ad h. loc. p. 923. ſeq.

(2) *Pro Roscio Com.* C. 4.

(3) L. 10. pr. ff. de Compenſ.

(4) L. 173. § 3. ff. de Reg. Iur. Exceptiones doli autem inſunt bonae fidei iudiciis. L. 21. ff. Sol. Matrim. L. 84. § 5. ff. de Legat. I. Praeterea, teste Ulpiano, „ bonae fidei non congruit de apicibus „ iuris disputare”. Conf. L. 29. § 4. ff. Mand. Vid. Noodt, ad Tit. ff. de Compenſ.

tur aut minuerentur (1), atque ita incerta fieret compensationis forma, aliis hanc aliis veterem secutis, rescripsit Marcus Antoninus, compensationem in stricti iuris iudiciis, per exceptionem doli perficiendam esse (2). Ab eo iterum recesserunt ICti, quod non rarum. Nimirum deinde per disputationem fori, receptum fuit, ut stricti iuris aeque ac bonae fidei actiones ipso iure per compensationem tollerentur (3).

Vis diversa procedendi modi circa remedia defensionis, prout negotia bonae fidei erant vel stricti iuris.

Insigne discrimen huius rei ratione inter bonae fidei et stricti iuris negotia, exinde ortum

(1) Conf. L. 4. ff. de Compens.

(2) Conf. § 30. I. de Action.

(3) Conf. L. 4. L. 21. ff. de Compens. Ita progressum in iure fuisse, putat Noodt, ad Tit. ff. cit. Conf. Pothier, ad h. tit. n. 2. Confirmavit ius illud Iustinianus, modo utrumque debitum aperto iure niteretur; excepit tamen depositum. Conf. L. 4. § ult. C. de Compens. et § 30. et 39. I. de Action. Quae exceptio in deposito nova non erat. Conf. Paulus, *Sent.* L. 2. T. 12. n. 12.

tum est, quod in illis ex aequo et bono iudicaretur, dum in his ſtrictae formulae et legum ſubtilitati inſerviendum esſet Hinc enim factum, ut exceptiones perpetuas et peremtorias, quales erant doli, metus, pacti conventi, in ſtricti iuris iudiciis apud Praetorem in iure proponi omnino necesſe esſet, ut illae iudicis formulae inſeri atque ita in iudicio probari posſent (1); niſi enim id factum fuisſet, frustra dein coram iudice pedaneo opponebantur. Secus obtinebat in bonae fidei iudiciis, in quibus exceptiones illae, licet formulae non inſertae, a iudice pedaneo nihilominus admittendae erant (2).

In-

(1) Hinc exceptiones pasſim dicuntur *conditiones*, L. 22. ff. de Except. Conf. L. 24. ff. de Except. Rei Iudic. Scilicet per modum conditionis, inſerebatur formulae exceptionis mentio, hac ſimilive ratione; „ ſi paret Caium centum aureos e mutuo dare „ oportere Maevio, iudex condemna, ſi non convenerit, ne eam pecuniam Maevius peteret". Conf. Glück, *Erlaut. der Pand.* § 310. p. 252.

(2) Niſi tamen per eas litis contestatio impediretur, uti ſponte patet. Porro non valebant pacta, quae negotiorum naturae bonisve moribus adverſantur v. c. ne dolus praeſtetur. Conf. L. 17. pr. ff. Commod. L. 1. § 7. ff. Depoſ. L. 27. § 3. ff. de Pact. Conf. Noodt, *de Iurisdict.* L. 1. C. 13. in fine, et

de

Inde iam exceptiones doli et metus, dicuntur inesse et contineri bonae fidei iudiciis (1), non vero in illis quae stricti iuris erant, ubi exceptio Praetoris de dolo aut metu erat impetranda (2).

Neque porro opus erat, quascunque exceptiones pacti, in favorem rei contractui bonae fidei adiecti, apud Praetorem in iure proponere; exceptiones pacti enim similiter dicuntur inesse iudiciis bonae fidei (3). In stricti iuris ne-

de form. emend. dol. C. 8. Averranius, *Interpret. Iur.* L. 1. C. 14. n. 27. seqq. Glück, *Erlaüt. der Pand.* § 310. p. 253.

(1) L. 21. ff. Sol. Matrim. L. 84. § 5. ff. de Legat. 1.

(2) L. 28. ff. de Action. Emt. L. 5. ff. de Inut. Stipulat. Conf. Noodt, *de Form. Emend. dol.* C. 8. et ult. et L. 1. *de Iurisd.* C. 13. Supra enim vidimus, bonae fidei negotia dolo vel metu gesta, ipso iure non valere; cum contra eo casu stricti iuris negotia ope iuris Praetorii infirmari demum possint. Conf. supra p. 41 et 52.

(3) L. 7. § 5. ff. de Pact. L. 72. ff. de Contrah. Emt. L. 3. ff. Rescind. Vend. Minus recte Cuiacius, *Obs.* L. 14. C. 28. explicat legem 72. ff. de Contrah. Emt.; errat quoque in eo, quod pacta de adminiculis contractus bonae fidei, non ipso iure, ad exceptionem prodesse putet, uti observat Noodt, *de Pactis* C. 11. p. 512.

negotiis exceptio pacti, apud Praetorem erat proponenda, quippe quae iure communi non inerat huius generis negotiis, ſed e iure Praetoris oriebatur (1). Singulare tamen ius in ſtipulatione obtinuit; in eâ enim uſu fori receptum, ut exceptiones e pactis in continenti ſtipulationi adiectis, ei ineſſe crederentur (2). Non vero Noodtio (3) asſentiendum crediderim, qui Ulpiani verbis (4) ductus, ſimile quid in mutuo obtinuiſſe putat: etenim mutui natura id non ſinit neque iuris ratio illud ſuadet; unde in eo verior Schultingii ſententia videtur, qui in ſpecie legis 11. § 1. cit. non niſi novem mutuo data esſe et haec vi contractus deberi obſervat, atque deficiente ſatis firma auctoritate, inhaerendum cenſet regulae, nimirum pactum illud ad exceptionem tantum prodesſe (5).

Quae

(1) L. 7. § 4, 5. et 7. ff. de Pactis.

(2) Id est, *ineſſe haberentur:* ſtricto iuri enim id contrarium erat. Vid. L. 40. ff. de Reb. Cred. Conf. Noodt, *de Pactis* C. 12. p. 516. Voet, ad Tit. ff. de Pactis n. 7.

(3) *De Pactis* C. 12.

(4) L. 11. § 1. ff. de Reb. Cred.

(5) Conf. Schulting, *Enarrat.* ad Tit. ff. de Pact. n. 10.

Quae de exceptionibus diximus, etiam replicationum et duplicationum ratione valent, quippe quae ulterioris gradus exceptiones ſunt (1).

Vis diverſa procedendi modi circa officium iudicis, prout negotia erant bonae fidei aut ſtricti iuris.

In genere hic obſervandum, in bonae fidei iudiciis pedaneum iudicem aequitatem naturalem tanquam normam iudicandi, vi verborum in formula *ex bona fide*, ſequi debuisſe, ſalvâ tamen lege et conſuetudine (2); ſecus obtinuisſe in iudiciis ſtricti iuris, ubi mentionem bonae fidei non continebat formula, cui adſtrictus erat iudex Iam in ſpecie videamus de diverſo iudicis officio.

Olim, ubi in bonae fidei negotiis, quae obligationum aequalitatem quandam deſiderant, qualia ſunt emtio venditio, locatio conductio, alteruter contrahentium illius rei ratione laeſus fuerat, absque metu tamen aut dolo proprio ſenſu accepto, inaequalitas illa officio iudicis cor-

(1) Gudelinus, *de Iure Noviſſ.* p. 172.

(2) L. 2. § 3. L. 5. pr. ff. de Oblig. et Action, L. 52. § 1. ff. pro Socio. L. 54. ff. Locati. Conf. ſupra C. 1. in fine.

corrigebatur (1). Rem certius definiverunt Imperatores Diocletianus et Maximianus; qui nempe voluerunt, ut venditore ultra dimidium laeso, contractus ex arbitrio venditoris, vel rescinderetur, vel quod deërat iusto pretio suppleretur (2). Quod ita in venditore constitutum, merito ad emtorem et porro ad similes bonae fidei contractus transfertur: est enim L. 2. C. cit. rescriptum. De solo venditore laeso consulebantur Imperatores; legis fundamentum in bonae fidei negotiorum naturâ positum erat; per legem illam solus modus laesionis definitus fuit, cum antiquitus officio iudicis huic rei iam prospiceretur (3). Rebus vitiosis, praesertim in foro venalibus venditis, ex Ae-

(1) L. 78. seqq. ff. pro Socio. L. 1. § 12. et 13. ff. si quid in fraud. patron. Conf. Noodt, ad Tit. ff. de Resc. Vend. p. 410. seqq. Nellesteyn, *Dissert. de Laesione Enormi.* § 5, 7 et 8. Licebat quidem contrahentibus naturaliter sese circumvenire, L. 16. § 4. ff. de Minor. L. 22. § 3. ff. Locati. L. 54. ff. de Contr. Emt. Conf. Nellesteyn, *Dissert.* cit. § 1, attamen huic rei fines quosdam imponi, bona fides omnino postulabat. Conf. Noodt, *Loc. cit.*

(2) L. 2. C. de Rescind. Vend.

(3) L. 2. ff. Locati. Conf. Noodt, ad Tit. ff. de Rescind. Vend. p. 410. seqq. Nellesteyn, *Dissert.* cit. § 2, 4, 5, 6. et 8.

Aedilitio Edicto agi quoque poterat, per actionem redhibitoriam aut quanti minoris (1).

Contra in ſtricti iuris negotiis talia obtinuisſe non videntur; in his enim ſimpliciter attendendum erat ad id, quod dictum factumve fuerat (2); praeterea cum illa unilateralia esſent, quaeri in iis non poterat de corrigendâ inaequalitate obligationum, quas aequales esſe oportebat (3).

Ubi ſuae rei reſtitutionem petebat actor e bonae fidei negotio et ei ſatisfacere per contumaciam detrectabat reus, iusiurandum in litem actori iudex deferebat, ut eam ex affectione quoque aestimaret actor, atque in tantum condemnabatur reus (4); idque valde iustum erat, ne ceteroquin cogeretur quis rem ſuam vero pretio vendere (5). Contra in ſtricti iuris iudi-

(1) L. 1. L. 18. pr. L. 38. L. 63. ff. de Aedil. Edict.

(2) L. 99. ff. de Verb. Oblig.

(3) N e l l e ſ t e y n, *Disſert.* cit. § 7. Conf. N o o d t, ad Tit. ff. de Reb. Credit.

(4) L. 1. L. 2. L. 4. § 1. L. 5. pr. et § 3. L. 8. ff. de in lit. iur. L. 1. § 26. ff. Depoſiti. L. 48. § 1. ff. Locati. L. 3. § 2. ff. Commod. L. 54. pr. ff. Mandati.

(5) L. 9. ff. de Act. rer. amot. L. 8. ff. de In lit. iur.

diciis in litem non iuratur; (in iis enim aestimatio fit secundum id quod interest) nisi tamen res aliter ad eventum perduci nequeat (1): verumtamen in tali peculiari casu, absque affectione ex veritate iuratur (2).

In aliis quoque casibus, si res ex bonae fidei aut stricti iuris obligatione per dolum culpamve non praestetur aut deterior facta sit, aestimatio vel id quod interest diversâ ratione a iudice computatur, prouti negotia alterutrius sint generis. Scilicet in bonae fidei iudiciis, respicitur ad maximum pretium a tempore morae usque ad sententiam; in iudiciis stricti iuris, ab eodem morae tempore usque ad litem contestatam (3).

In bonae fidei iudiciis praestantur causa et fructus a tempore morae, imo in nonnullis ante moram a tempore conventionis (4).

Con-

(1) L. 5. pr. et § 4. L. 6. ff. de In lit. iur.

(2) Conf. Noodt, ad Tit. ff. de In lit. iur.

(3) L. 1. § 16. ff. Depositi. L. 3. § 1. et 2. ff. Commod. L. 3. § 3. ff. et L. 4. L. 10. C. de Action. Emt. Conf. Noodt, ad Tit. ff. de In lit. iur. p. 290. seqq. et ad Tit. ff. Commod. p. 320. Huberus, ad Tit. I. de Action. p. 451. Glück, *Erlaut.* et § 310. p. 254.

(4) L. 18. § 8. et 15. de Usuris. L. 10. ff. Rem pu-

Contra in iudiciis ſtricti iuris, cauſa fructusque e mora non debentur, niſi in ſtipulationem deducti ſint (1). Id eatenus mutatum, ut a lite conteſtata in diem ſententiae coeperint deberi; etenim per litis conteſtationem veluti per quaſi contractum obligatur reus, ut rem, condemnatione ſecutâ, in eâdem cauſâ ſive conditione praeſtet (2).

Exceptio a iure communi notanda est in iis ſtricti iuris actionibus, quibus petimus quod noſtrum antea fuit, nec iuſta de cauſa apud alium eſt, qualis eſt condictio indebiti, cauſâ datâ cauſa non ſecutâ; etenim in his, acceſſiones fructusque, etiam ante litem conteſtatam enati, praeſtantur (3). Alteram a iure communi ex-

pupil. ſalv. fore. L. 1. § 23. et 24. ff. Depoſiti. Conf. Cuiacius, *Obſ.* L. 18. C. 3. Noodt, ad Tit. ff. de Uſuris.

(1) L. 99. ff. de Verb. Oblig. L. 38. § 7. ff. de Uſuris.

(2) L. 2. L. 3. § 1. L. 38. § 7. ff. de Uſuris. Vid. Noodt, ad h. Tit. Cf. L. 31. ff. de Reb. Cred.

(3) L. 15. pr. L. 65. § 5. ff. de Cond. Ind. L. 38. § 2. ff. de Uſuris. L. 7. § 1. L. 12. ff. de Cond. cauſ. dat. cauſa non ſec. Conf. Noodt, ad Tit. de Uſuris. Vinnius, ad Tit. I. de Action. p. 910. Huius a iure communi exceptionis ratio haec videtur, quod

exceptionem constituit actio e testamento, in quâ, quamvis stricti iuris sit, legatorum et fideicommissorum causa fructusque e morâ debentur (1).

Usurarum incrementum, Romae, inprimis reipublicae tempore, odiosum et res inhonesta atque turpis habebatur. Saepius discordiae ex usurarum praestatione ortae sunt (2). Hinc repetenda videtur causa, cur in bonae fidei iudiciis, non a primis inde temporibus, usurae e morâ, iudicis officio, vi formulae fuerint praestitae, sed seriori demum tempore. Per Labeonis enim auctoritatem primum effectum est, ut in societatis iudicio usurae propter moram solverentur; non tanquam tales, sed sub formâ eius

quod

quod ita id petimus, quod nostrum nunquam esse desiit.

(1) L. 8. L. 14. L. 34. L. 39. ff. de Usuris. Conf. Vinnius, *Partit. iur.* L. 2. C. 40. Singularis huius iuris ratio, vel e favore ultimae voluntatis, vel exinde derivanda videtur, quod dominium statim ad legatarios transeat; etenim sola possessio ab herede praestanda est. L. 80. ff. de Legat. 2. L. 1. § 2. ff. Quod legat. Vinn. ad Tit. I. de Action. p. 911.

(2) Tacitus, *Ann.* L. 6. C. 16. Hein. *Ant. Rom.* L. 3. T. 15. n. 7. seqq. Seneca, *de Benef.* L. 7. C. 10. Noodt, *de Usuris* L. 1. C. 4.

quod interest (1). Quod autem Labeo in societatis iudicio tentavit, per Principum constitutiones (2) absolutum fuit. Cautum enim est, ut in omnibus bonae fidei iudiciis tantundem circa usuras valeret iudicis officium, quantum stipulatio de iis nominatim interposita: atque ita sensim deberi coeperunt usurae in hisce iudiciis propter moram tum in personâ, tum in re, aliamve aequi bonique rationem (3). In definiendo autem usurarum modo, debebat iudex sequi morem regionis et obligationum naturam; ceteroquin bonum et aequum (4).

Contra in stricti iuris actionibus usurae iure communi propter moram non praestabantur, nisi in-

(1) L. 60. pr. ff. pro Socio. Conf. Noodt, *de Foen. et Usur.* L. 1. C. 5. et L. 3. C. 6.

(2) Divi Pii, uti suspicatur Noodtius, *Op. Cit.* L. 3. C. 8.

(3) L. 6. § ult. L. 7. L. 38. ff. de Negot. Gest. L. 24. ff. Depos. L. 32. § 2. L. 37. ff. de Usuris. L. 12. § 9. ff. Mand. L. 10. ff. Rem pupil. salv. fore. L. 54. pr. ff. Locat. L. 13. § 20 ff. de Act. Emt. Conf. Noodt, *Op. Cit.* L. 3. C. 6. et 10.

(4) L. 1. ff. de Usuris. L. 37. eod. L. 39. § 1. ff. de Leg. 1. L. 12. § 9. ff. Mand. L. 3. § 1. ff. de Contr. tut. act. L. 7. § 4. et 7. ff. de Admin. et peric. tut. Conf. Noodt, *de Foen. et Usur.* L. 2. C. 5. et 6.

in ſtipulationem deductae esſent (1); neque etiam a tempore litis contestatae, niſi antea iam cucurrerint (2). Exceptio iterum notanda est in actione e testamento, quae, admiſſâ morâ in legatis et fideicommisſis praeſtandis, uſurarum ſolutionem recipit (3).

(1) L. 32. § 2. ff. de Uſuris. L. 22. ff. de Donat.

(2) L. 35. ff. de Uſuris. L. 3. C. eod. L. 1. C. de Condict. Indeb. Huc enim redire legis 35. cit. ſenſum, et ita iuris esſe, docet Noodt, *Op. Cit.* L. 3. C. 12. Conf. Vinnius, *ad Tit.* I. de Action. p. 910. et Partit. Iur. L. 2. C. 40. p. 214. not. *p.* Neque hic argumentum duci potest ex L. 34. ff. de Uſur., in qua agitur de convenientia uſurarum cum fructibus in bonae fidei negotiis, excluſis iis, quae ſtricti iuris ſunt.

(3) L. 17. § 3. L. 84. ff. de Uſur. Conf. Paulus, *Sent.* L. 3. T. 8. § 4. Noodt, *de Foen. et Uſur.* L. 3. C. 7.

CAPUT QUARTUM.

AN MUTATO PROCEDENDI MODO CESSAVIT ETIAM ACTIONUM BONAE FIDEI ET STRICTI IURIS DIFFERENTIA?



Videamus de praecipuis circa procedendi modum mutationibus, quae vim habuerunt in discrimen, quod olim inter bonae fidei et ſtricti iuris actiones obtinuisſe diximus.

Vetus mos, iudices pedaneos conſtituendi, ſub Imperatoribus ſerioris temporis magis magisque in deſuetudinem abiit; certi tamen fines hac in re latere videntur. Voluerunt ſane Imperatores Diocletianus et Maximianus, ut Praeſides de cauſis, in quibus olim iudices pedaneos dare ſolebant, ipſi iam cognoscerent, niſi quando per negotia publica aut cauſarum copiam impedirentur (1). Ita vero mos ille, non plane ſublatus

(1) L. 2. C. de Pedan. Iudic.

tus fuit. Iudicum autem a Praetore datio, ab eo inde tempore valde imminuta fuit, quo maior pars Praetoris iurisdictionis Praefecto Urbi Conſtantinopoli praepoſito data fuit, atque ipſorum iudicum minutus fuit numerus, qui a Praetore aliquando in privatis cauſis e decuriis legebantur (1). Iuliani adhuc tempore iudices pedaneos in cauſis levioribus datos fuisſe conſtat (2), qui utrum iidem cum veteribus illis fuerint, vix dici potest. Tandem vetus ille mos plane ſublatus est. Hac vero in re ipſum tempus quo factum ſit definire arduum est. Conſtat ſane iure novo, omnia iudicia extra ordinem exerceri. Etenim ad ipſos Magistratus iam pertinebat dirimere lites in totum; quae conſuetudo in plerisque, non tamen in omnibus cauſis obtinebat. Verum enimvero a *Zenone* conſtituti leguntur iudices quidam pedanei certo foro alicuius provinciae aut Praetoris adſcripti, quibus cauſae eiusdem fori committi poterant; et postea alii a Iustiniano electi ſunt, qui non in ſingulis foris certi, ſed in omnibus verſarentur et qui cauſas trecentis ſolidis minores diiudicarent (3). Diverſi tamen fue-

(1) Cf. Heineccius, *Ant. Rom.* L. 4. T. 17. n. 2.
(2) L. 5. C. de Pedan. Iudic.
(3) Conf. Nov. 82.

fuerunt hi iudices pedanei ab antiquis illis. Non enim erant illi privatae perſonae, a Magistratu omnem auctoritatem mutuatae, ſed erant iudices, publico munere atque auctoritate ab ipſo Imperante nominatim inſtructi atque delegati, quibus ſolis committi poterant cauſae a Praeſidibus provinciarum, aut aliis ſuperioribus iudicibus (1). Munus quoque diverſum fuit. Nam committebantur iis cuiuscunque generis lites, atque mandatam quandam iurisdictionem, cum de iure tum de facto iudicandi, exercuisſe videntur: praeterea habebant ſuos exſecutores atque compulſores, ſaltem tempore Zenonis; unde forte et ipſi ſententias ſuas ſunt exſecuti. Haec omnia, a nuda notione, de facti quaestionibus privatae perſonae commisſâ, magnopere differunt (2).

Mutatis moribus et maiore invalescente humanitate, veteres ſolennitat es ſenſim obſoleverunt. Sublatâ iam in re testamentariâ ſolemni verborum conceptione, omnes formulas tollere vo-

(1) Nov. cit. 82. C. 2.

(2) L. 5. C. de Fruct. et lit. exp. L. un. C. Qui pro ſua iurisd. Conf. Cuiacius, *Obſ.* L. 12. C. 1. Schulting, *Enarr.* ad Tit. ff. de Iurisd. n. 26. et *de Recuſat. Iud.* C. 6. § 3. et 7. Hop, *Disſert. de Iudic. a Praet. dari ſol.* c. ult. Cs. van Nes, Disſert. *de Iudic. Iur.* C. 1. §. 17. Zacharia, *Verſuch ein. Geſch. d. Röm. Rechts* p. 131.

voluit Constantinus (1). Eas autem, quae nihilominus nonnullis in rebus perstabant, expressâ lege abrogarunt Theodosius et Valentinianus; qui insuper solemnem actionum impetrationem omnibus, quibusvis in iudiciis, remiserunt; ut ita exceptio non impetratae actionis opponi non amplius posset: sufficiebat proponi actionem rei et negotio obvio aptam (2). Tandem Iustinianus de omnibus reliquis formulis actum esse voluit (3).

Sublatis formulis atque mutato, uti vidimus, procedendi modo, eatenus quidem cessavit quodammodo discrimen inter actiones bonae fidei et stricti iuris, quatenus hoc cum illis cohaerebat; sed tamen ipsis negotiis sua natura diversa manebat: ita enim in eo distinguendum mihi videtur.

Nimirum ipsi iam Magistratus, vel etiam nonnunquam iudices, cum de iure tum de facto decernentes, lites in totum diremerunt, neque adeo

(1) L. 15. C. de Test. L. 21. C. de Leg. L. 1. C. de Form. et act. imp. subl.

(2) L. 2. C. de Form. et act. imp. subl. Conf. I. Gothofredus, ad L. un. C. Theod. de omiss. act. impet. L. 1. p. 108.

(3) L. ult. C. de Emanc. Liber. L. ult. C. de Donat. L. ult. C. de Adopt.

adeo, uti olim, ſecundum diverſam formulam pro diverſo actionum genere iudicatum fuit. Atque hinc ex ipſâ rei naturâ, mutationes irrepſerunt circa illas differentias inter bonae fidei et ſtricti iuris iudicia, quae e vetere peculiari procedendi modo oriundae erant: qua de re iam videamus.

Iure novo, actor e ſtricti iuris negotio plus petens, quam ſibi debebatur, non amplius, uti olim, litem amittebat (1): etenim deficiebat iam iudicandi formula, certam rem vel ſummam continens, in quam condemnandus erat reus aut plane abſolvendus. Ad coërcendos tamen illos litigantes, qui ultra debitum petierant, conſtitutum fuit, ut, ubi tempore plus petitum fuerit, induciae ab actore conceſſae vel quas actionis natura requirit, duplicarentur; quo tempore elapſo, reus non tenebatur novam litem ſuscipere, niſi omnibus e priore lite impenſis ſolutis (2): quod ſi alio modo plus petatur, actor in damni tripli condemnationem incidit (3).

Actor olim ſuam actionem mutare aut emenda-

(1) Conf. Supra pag. 71.

(2) § 10. I. de Except. et § 33. de Action.

(3) § 33. I. de Action. Conf. Vinnius, ad h. loc.

dare, invito reo, post litem contestatam non poterat, propter diversam formulam editae actioni accommodatam; nec errori actoris aliter provideri poterat, nisi sola restitutione in integrum Praetoria (1). Mutato ordine procedendi, sublata quoque fuit illa difficultas; unde Iustiniani tempore potuit post litem contestatam mutari atque emendari libellus, absque veteris iuris ambagibus, adeo ut nova actio instituatur, perinde ac si nil factum esset, modo prioris lites impensae reo resarciantur (2).

Novissimo procedendi ordine cessasse quoque videtur discrimen, quod ratione temporis proponendi exceptiones peremtorias, inter utrumque actionum genus olim obtinuit (3). Etenim antiquatâ formulâ iudicandi desiit ratio, ob quam iure veteri id fieri non poterat: formulae verbis non amplius coërcebatur iudicis offi-

(1) L. 4. § ult. ff. de Nox. Act. L. 18. § 1. ff. de Vi et vi Arm. L. 3. C. de Edendo iuncta. L. un. C. de Lit. Contest. Conf. Noodt, ad Tit. de Edendo pag. 68. et de Iurisd. L. 1. C. 13.

(2) § 35. I. de Action. Conf. Huberus, *Praelect.* ad h. loc. Schulting, *Enarr.* ad Tit. ff. de Edendo n. 8.

(3) Conf. Supra p. 73 seqq.

ficium, qui insuper non de solo facto cognoscebat, verum et de iure decernebat; adeoque nulla videtur ratio obstare, quo minus exceptiones peremtoriae in stricti iuris negotiis, post litem contestatam quoque opponantur, imo iuris ratio eo tendere videtur. Atque hoc idem forte spectant Imperatorum Diocletiani et Maximiani rescripta, ubi docent exceptiones peremtorias, omissas in initio, ante latam sententiam opponi posse (1).

Sublatum etiam videtur discrimen, quod olim inter bonae fidei et stricti iuris negotia, ratione eorum valoris obtinuit (2). Antiquitus enim ipso iure ideo subsistebant stricti iuris negotia, dolo metuve gesta, quia bona fides ad formam negotii non requirebatur, unde Magistratus formulam iudici pedaneo strictissimam et

(1) L. 8. C. de Except. L. 2. C. Sentent. resc. non posse. Id enim de exceptionibus in bonae fidei iudiciis rescribere opus non erat. Neque hic obstat L. 9. C. de Except., qua rescriptum est ad singularem casum, in quo quaestio de tempore proponendae exceptionis non occurrebat. Conf. Voet, ad Tit. ff. de Except. n. 5. Vinnius, ad Tit. I. de Excep. n. 6; qui tamen ipse aliam videtur tueri sententiam. Conf. n. 5. eod., uti et Noodt, *de Iurisdict.* L. 1. C. 15.

(2) Conf. Supra Cap. 3. pag. 41 seqq.

et ſine mentione bonae fidei praeſcribebat. Iu-re novo autem, tota lis apud eundem iudicem dirimitur, qui ex universo iure, tam civili quam Praetorio, pronunciat, atque ita exceptiones, ex edictis Praetorum oriundas, in omni iudicii parte aequaliter admittere potest: adeo ut valor negotiorum ſtricti iuris, non amplius ſine bona fide aut ſine libero conſenſu, coram novisſimis iudicibus, ſubſistere posſit, et effectu tenus in judicio utraque ſpecies adaequata fuerit.

Eatenus itaque actiones ſtricti iuris cum actionibus bonae fidei quodammodo ſunt aequatae. Atque eo ſenſu accipiendae videntur leges quaedam, ſecundum quas bona fides aeque in illis ac in his requiritur. Sic, absque ullo dicrimine inter utrumque actionum genus, rescribunt Imperatores Diocletianus et Maximinianus: „ bo„ nam fidem in contractibus deſiderari aequum „ esſe" (1). Quin etiam in contractibus ſtricti iuris, non obiecta exceptione aliqua, de aequo et bono agebatur, ſpreta legum ſubtilitate, quae multas habet captiones, praeſtigias et tendiculas, ſimplicitati et bonae fidei adverſantes; unde dicitur, „ placuisſe in omnibus rebus praecipuam „ esſe iuſtitiae aequitátisque quam ſtricti iuris „ ra-

(1) L. 4. C. de Oblig. et Act.

„ rationem" (1): denique, „ in omnibus „ quidem, maxime tamen in iure, aequitatem „ ſpectandam esſe" (2).

Aliud vero dicendum est de illis differentiis inter negotia bonae fidei et ſtricti iuris, quae e diverſa utriusque generis negotiorum natura potisſimum arcesſendae ſunt; hae enim ſublatae non fuere (3). Et ſane, ſalvis iuris principiis atque negotiorum indole, tolli illae non poterant. Scilicet eadem, novisſimo etiam tempore, aderat ratio, ob quam in infantia iurisprudentiae ſimplicitas iuris naturae non aeque ſervaretur in negotiis ſtricti iuris, ac in iis quae bonae fidei erant. Nimirum obligationes ex his oriundae bilaterales, ex illis unilaterales manſerunt (4). Cum iam eadem maneret negotiorum

(1) L. 8. C. de Iudic. Conf. d'Avezan, *Contract.* L. 1. C. 21. *in Theſ. Meerm.* Tom. 4.

(2) L. 90. ff. de Reg. Iur.

(3) Conf. Vinnius, ad § 28. I. de Action. pag. 909, Noodt, *de Iurisd.* L. 1. c. ult. Glück, *Erlaut der Pand.* § 310. pag. 248.

(4) Nonnulli quidem contractus, mutationes quasdam ſubiere propter mutata commercia; id tamen eorum naturae nil detraxit. Sic ſublata fuit verborum ſolemnitas in ſtipulatione; verum huic obligationi proprium manſit, ut per verba perficeretur, adeo ut idoneam reſponſionem interrogationem ſequi oporteret.

rum natura, eadem aderat necessitas, ut in bonae fidei negotiis, non ad solam conventionem, verum ad ea quoque respiceretur, quae ex bona fide, secundum negotiorum naturam et contrahentium mentem, praestari oportebat; diversa vero stricti iuris negotiorum natura idem non postulabat. „Quis enim", inquit Voetius (1), „audebit adseverare equi donati esse habendam „eandem rationem atque venditi? Neque hoc suadebit aequitas, ut equi donati dentes sint inspiciendi, ne ex sua liberalitate damnum sentiret „donator; quare etiam Aedilitium Edictum ad „donationes non pertinet" (2). Inquiramus iam in praecipuas istiusmodi differentias.

E stricti iuris negotiorum natura derivandum est, quod hodie quoque in iis agatur per actionem arbitrariam de eo quod certo loco, cum in bonae fidei negotiis sufficiat actio ex ipso contractu (3). Cum enim in negotio unilaterali

ret. Conf. § 1. I. de Verb. Oblig. L. 1. pr. et § 1. et 2. ff. eod. L. 10. C. de Contr. stipul. Mutuum in sola benevolentia consistere solebat; usurae quidem deinceps praestari coeperunt, non vero vi contractus, sed stipulationis. L. 3. C. de Usur. L. 24. ff. de Praesc. verb.

(1) Ad § 30. Inst. de Action.

(2) Conf. L. 62. ff. de Aedil. Edict.

(3) L. 1. L. 2. § 1. L. 5. L. 6. et 7. de Eo quod

li non adsit actio mutua sive contraria, deëst modus agendi ad id quod interest solutionem alio in loco factam esse, nisi ad dictam actionum arbitrariam recurratur (1).

Congruum est arctissimo vinculo, in bonae fidei negotiis, inter mutuas et multiplices obligationes, ut in his ea debeantur, quae praestari moris est et consuetudinis (2): sic v. c. emtionis natura hodie etiam postulat, ut evictionis nomine teneatur venditor, licet de eo cautum non sit (3). Idem non desiderat stricti iuris negotiorum conditio (4).

Consentaneum est aequalitati obligationum, quam requirunt quaedam bonae fidei negotia, ut propter enormem laesionem illa rescindantur, vel ut haec saltem tollatur (5). Deëst huius iuris ratio in stricti iuris negotiis (6).

In-

quod cert loc. Conf. Supra Cap. 3. pag. 68. seqq.

(1) L. 2. pr. et § 8. L. 7. ff. Tit. cit. Conf. L. 5. pr. ff. Commod. Conf. Supra Cap. 3. loc. cit.

(2) L. 31. § 20. ff. de Aed. ed.

(3) Vid. L. 2. iuncta. L. 70. ff. de Evict. Conf. Supra Cap. 3. pag. 69. seqq.

(4) Conf. Supra Cap. 3. pag. 70.

(5) L. 2. C. de Resc. Vend. Conf. Supra Cap. 3. pag. 76. seqq.

(6) Conf. Supra Cap. 3. pag. 77. seqq.

Integrum quoque mansit discrimen, quod ratione fructuum et usurarum, iure communi, inter bonae fidei et stricti iuris negotia antea obtinuit (1). Id diversae horum naturae consentaneum erat. Sic, ut in emtione venditione aequalitas mutuarum obligationum servaretur, praestandi erant fructus et usurae propter moram: ubi enim venditor pretium iam consecutus est, iniquissimum esset, ut, intercedente morâ, fructibus distitueretur emtor (2). Eodem fundamento nititur usurarum petitio a parte venditoris; unde ICtus, de actione venditi agens, scribit, ,, veniunt in hoc iudicium usu-
,, rae pretii post diem traditionis; nam cum re
,, emtor fruatur, aequissimum est eum usuras
,, pretii pendere" (3). Idem pari ratione obtinet in reliquis bonae fidei negotiis, in quibus aequipollentes oportet esse mutuas obligationes (4). Deërant iam in negotiis stricti iuris mutuae illae aequipollentes obligationes, unde deficiebat illa ratio praestandi fructus et usuras. Porro, cum in deposito v. c. dominium non trans-

(1) Conf. Supra Cap. III. pag. 79. seqq.

(2) L. 38. § 8. ff. de Usur.

(3) L. 13. § 20. ff. de Act. Emt.

(4) L. 60. ff. pro Soc. L. 54. pr. ff. Loc. L. 38. § 15. ff. de Usur.

transferatur et res in custodiam tantum detur, causam fructusque in eo praestari utique oportebat (1). Stipulatio autem et mutuum non continebant obligationes ad restituendam rem, cuius dominium non fuerat translatum, unde in iis neque illa ratio aderat. Tandem aliae quoque, e bonae fidei negotiorum natura, obligationes ad usuras nascebantur, quae non aeque in stricti iuris negotiis obviae erant: sic negotiorum gestori vel mandatario, usuras indemnitatis causa praestari oportebat, siquidem illi, ut alterius creditori satisfacerent (ne hic in bonorum possessionem mitteretur aut pignora venderentur) pecuniam sub usuris mutuati essent (2).

Exponere studui, qua ratione servatae fuerint illae differentiae inter negotia bonae fidei et stricti iuris, quae e diversa illorum natura arcessendae videntur. Paucis tamen animadvertendum est, non omnes omnino illas differentias, quae iure novo supersunt, ideo sublatas non fuisse, quia aliae obligationes bilaterales, aliae contra unilaterales evadebant. Huc pertinet

v.

(1) L. 1. § 23. et 24. ff. Depos.

(2) Conf. L. 37. ff. de Usur. L. 12. § 9. ff. Mand. In his legibus, et alibi quoque, aliae memorantur obligationes ad usuras praestandas. Conf. L. 6. § ult. L. 7. L. 38. ff. de Neg. gest.

v. c. petitio e pacto in favorem actoris, in continenti negotiis adiecto (1). Si enim res in se spectetur, non adeo eam ob causam, potius in bonae fidei negotiis, quam in iis quae stricti iuris sunt, admittenda videtur petitio e pactis adiectis; idque eo magis, cum iure novo, sublatis iudicandi formulis, non plane absque bona fide, definiantur stricti iuris obligationes. Sed observandum est, valde adhaesisse Romanos antiquis iuris principiis, quae constanter servare studuerunt, quatenus id sinebat rerum conditio (2). Stipulationi iam proprium mansit, ut inter praesentes et per verba perficiatur (3), unde eius partem constituere nequit pactum, in quo consensus etiam inter absentes et absque verbis intervenire potest. Ad mutuum rei traditio requiritur (4) et praeterea illud suâ naturâ gratuitum mansit (5); proinde simpliciter

(1) L. 7. § 5. ff. de Pactis. Conf. Supra Cap. 3. pag. 61. seqq.

(2) Vid. Conf. den Tex, in Dissert. *de Ant. iur. princ. in excol. Iurispr. Rom. const. serv.*

(3) Conf. § 1. I. de Verb. Oblig. L. 1. pr. et § 1. et 2. ff. eod. Conf. Supra Cap. 4. pag. 90. *not.* 4.

(4) L. 17. pr. ff. de Pact. L. 2. § 3. ff. de Reb. Cred.

(5) L. 3. C. de Usur. L. 24. ff. de Praesc. Verb. Conf. Supra Cap. 4. pag. 90. *not.* 4.

ter videndum est, quid traditum fuerit; in eo vix locus erat obligationi cuidam accedenti, quae per pactum forte definienda ſit (1). Adhaeſerunt itaque Romani, uti et in aliis, veteri principio, nimirum pactum in continenti in favorem actoris adiectum, ſolis bonae ſidei negotiis inesſe (2): quod ſi vero in favorem rei in continenti adiiceretur, etiam ſtipulationi inesſe credebatur, propter aequitatem (3).

Quaedam de iis dicenda ſuperſunt, quae ab ipſo Iustiniano, ratione bonae fidei et ſtricti iuris negotiorum, conſtituta legimus. Non tantum ſancivit Imperator ipſam distinctionem inter bonae fidei et ſtricti iuris actiones (4), verum et alia addidit, e quibus manifesto apparet, discrimen illud ab eo confirmatum fuisſe (5). Etenim actionem rei uxoriae, quae olim

(1) E contractibus bonae fidei, qui per rei traditionem perficiuntur, plures oriuntur obligationes, uti ſupra obſervavimus. Conf. Cap. 1. pag. 15 ſeq. et Cap. 3. pag. 74. et Cap. 4. pag. 95.

(2) L. 7. § 5. ff. de Pact. Conf. Supra Cap. 3. pag. 61.

(3) L. 40. ff. de Reb. Cred. Conf. Supra Cap. 3. pag. 65, 73.

(4) Conf. § 28. et 30. I. de Action.

(5) Conf. Vinnius, ad Tit. I. de Act. p. 909. Noodt, *de Iurisdict.* L. 1. c. ult. p. 116.

olim bonae fidei erat, in actionem ex ſtipulatu transtulit, ut haec ita bonae fidei actionis naturam induat. In ſpecie autem additur, id ſolummodo in dotis exactione obtinere, manifesto indicio, e ſtipulatu actionem ceteroquin ſuam naturam retinere. Duo inſuper beneficia hic in mulierum favorem introduxit Imperator, (invita ſtipulationis natura, cui, cum ſtricti iuris ſit, nullum privilegium cedere potest) (1), ut nempe, actio e ſtipulatu ad repetendam dotem non tantum adiunctam habeat tacitam hypothecam in bonis mariti, verum ut inſuper mulier eo nomine praeferatur omnibus aliis creditoribus, anteriorem etiam hypothecam habentibus (2). Praeterea cum olim dubitaretur, an hereditatis petitio ad bonae fidei an ſtricti iuris iudicia referenda esſet, eam propter mutuas praeſtationes perſonales, prioris generis esſe voluit Imperator (3). Denique ait Iustinianus, in obligationibus, quae ſolo conſenſu perficiuntur, con-

(1) L. 99. ff. de Verb. Oblig.

(2) L. un. § 1. C. de Rei uxor. act. ſubl. L. ult. § 1. C. Qni potior. in pign. § 29. I. de Action. Conf. Vinnius, ad h. loc.

(3) § 28. I. de Action. L. 7. L. ult. § 3. C. de Hered. petit. Conf. L. 25. § 4. ff. eod. Conf. Vinnius, ad Tit. I. de Action. p. 912.

contrahentes ſibi obligari ad ea, quae alterum alteri ex aequo et bono, praeſtare oportet, cum aliter ſit comparata ſtipulatio (1). Liberam potestatem, in bonae fidei iudiciis aestimandi, quantum actori ex bono et aequo restituendum ſit, iudicis arbitrio ſubmiſit Imperator (2).

Conſentaneum est iis, quae de ſublatis aut retentis differentiis inter actiones et negotia bonae fidei et ſtricti iuris disputavimus, ſiquidem haec vera habenda ſint, ipſum Iustinianum admisiſſe distinctionem ſupra memoratam, quatenus ſervatae fuerint dictae differentiae. Proinde huius rei intuitu, ex bona fide iudicandum est in negotiis huius nominis, non vero in iis quae ſtricti iuris ſunt.

Ita iam abſolvisſe mihi videor, quod ſusceperam opus. Quatenus autem propoſitae quaestioni ſatisfecerim, e ſagacisſimorum Clar. Virorum iudicio, qui plurimum hac in re videre posſunt, cognitum erit.

(1) § 3. I. de Oblig. e conſ.
(2) § 30. I. de Action.

BAVII ANTONII NAUTA,

LITT. HUM. IN ACADEMIA
LUGDUNO-BATAVA STUDIOSI,

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM LITERARIAM

AB ORDINE

PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET
LITERARUM HUMANIORUM
PROPOSITAM:

„ *Ex iis quae in libris Ciceronis de Oratore, a Crasso, Antonio, Caesare, aliis, de Eloquentia disputantur, ipsius efficiatur Ciceronis* de perfecto Oratore *sententia*".

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT.

CONSPECTUS OPUSCULI.

PROLEGOMENA.

P A R S P R I M A.

QUAE CONTINET

NONNULLAS OBSERVATIONES, QUARUM OPE EX IIS, QUAE IN HIS LIBRIS DISPUTANTUR, IPSIUS CICERONIS SENTENTIA ELICI POSSIT.

CAPUT PRIMUM.

* *CA-*

CAPUT SECUNDUM.

E CRASSI POTISSIMUM PERSONA CICERO LOQUITUR.

CAPUT TERTIUM.

QUATENUS RELIQUORUM SERMONE CICERONIS CONTINEATUR SENTENTIA.

CAPUT QUARTUM.

ARGUMENTUM A DISPUTANTIUM CONSENSU PETITUM ILLUSTRATUR.

PARS SECUNDA.

CICERONIS DE PERFECTO ORATORE SENTENTIA E CRASSI CETERORUMQUE DISPUTATIONIBUS DERIVATA, ET AD CAPITA QUAEDAM REDACTA PROPONITUR.

SECTIO PRIMA.

QUID UNIVERSE DE PERFECTO ORATORE CICERO SENTIAT, EXQUIRITUR.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT SECUNDUM.

DE MATERIA ORATORI SUBIECTA ET COGNITIONE AD ELOQUENTIAM TRACTANDAM NECESSARIA.

CAPUT TERTIUM.

DE VARIIS SCIENTIAE GENERIBUS.

CAPUT QUARTUM.

DE SUMMA MUNERIS ORATORII MAGNITUDINE.

CA-

CAPUT QUINTUM.

QUIBUS REBUS FORMETUR ORATOR.

SECTIO SECUNDA.

PRAECEPTA, QUIBUS SINGULAS ORATORII MUNERIS PARTES INSTRUIT CICERO, EXPLICANTUR.

CAPUT PRIMUM.

DE INVENTIONE.

CAPUT SECUNDUM.

DE COLLOCATIONE.

CAPUT TERTIUM.

DE ELOCUTIONE.

CAPUT QUARTUM.

CAPUT QUINTUM.

DE ACTIONE.

CAPUT SEXTUM.

DE GENERE DELIBERATIVO, LAUDATIVO, ET HISTORIA.



PRO-

PROLEGOMENA.

§ I.

De horum Ciceronis librorum consilio et argumento, nec non de tempore, quo conscripti sunt.

Cicero valde adolescens postquam illustrium rhetorum praecepta audivisset ad eorumque disciplinam acre studium et exercitationem adiunxisset, libros quosdam scribere instituit, quibus rhetoricam explicaret. Primam eius partem, quae ex Graecorum divisione in rebus inveniendis versaretur, duobus libris *de Inventione* subtiliter et artificiose persecutus est. Postea vero eloquentiam suam cum varia rerum cognitione uberiorem fecisset, eidemque usu forensi nervos addidisset, id ei contigit, quod plurimis. Qui

enim arti cuicunque operam dantes aliquam in ea perfectionem adepti ſunt; fere doctrinae ſubtilitate ſpreta liberiorem viam ineunt. Ita quoque Ciceronem in eloquentiae faſtigio collocatum iuvenilium illorum commentariorum poenituit, ut ipſe declarat *de Or. l.* 1. *c.* 2. (1). Atque haec ei cauſa fuit, cur illis ſubſtitueret tres libros *de Oratore*, quos *pulcherrimos* merito vocat *Quinct l c.* qui et ipſe quantum iis tribueret, eo oſtendit quod plurima inde in ſuum opus transtulit (2). Atticum quoque iis vehementer delectatum fuiſſe ſignificat Cicero *ad Att. l.* 4. *ep.* 16.

Conſcripti ſunt A. U. C. 698, quo Pompeius unus omnium plurimum in republica poterat, iamque turbarum civilium hunc inter et Caeſarem brevi poſt exortarum initia praeparabantur. Certe ad hunc annum Erneſtius refert *epiſtolam* 13. *libri* 4. *ad Att.* ubi ſic ſcribit: „ de libris „ Ora-

(1) Vid. etiam *Quinctil. l.* 3. *c.* 5, 6. *Middleton Vit. Cic. tom.* I. *p.* 34. *Verſionis Zilleſianae.*

(2) Sic *l.* 1. *c.* 11. laudat ea, quae de laterum inflexione Cicero ſcribit *l.* 3. *c.* 59. item *l.* 2. *c.* 4. praecipiens, ut puerorum luxurians ingenium ne nimis depaſceretur, eiusdem locum affert e *l.* 2. *c.* 21. Denique, ut multa alia mittam, ſcribendi exercitium oratori futuro commendat, id quod Cicero fecerat *l.* 1. *c.* 33.

„ Oratoriis factum est a me diligenter: diu multumque in manibus fuerunt: describas licet". Idem anno proxime insequenti missas fuisse statuit *eiusdem libri ep.* 16. et *ad Div. l.* 1. *ep.* 9. quibus eorum tamquam nuper editorum mentio fit. Isto tempore Cicero ab exsilio redux ita summo honore florebat (1), ut tamen nullo in magistratu esset; plurimam autem operam in causis defendendis ponebat, non semper amicitia inductus, sed et eorum, qui bene de se meriti essent, rogatu quodammodo coactus (2). Turpis fuit rerum civilium conditio: Senatus veterem gravitatem, iudicia religionem amiserant, in comitiis ambitus et vis omnia valebat, antiqua reipublicae disciplina casum minitabatur (3). Quae mala ne nimis moleste ferret, cum recordatio rerum a se praeclare gestarum effecit: tum vero quod otium a causarum defensione sibi supererat, id omne in philosophiae et li-

(1) Vid. *ad Div. l.* 1. *ep.* 7. et *ep.* 9. *media*, ubi sic ait: „ Hic meae vitae cursus offendit eos fortasse, qui splendorem et speciem huius vitae intuentur, sollicitudinem autem et laborem perspicere non possunt".

(2) Hac de re queritur *ad Div. l.* 7. *ep.* 1.

(3) Vid. *ad Att. l.* 4. *ep.* 10, 15, 16, 18. *ad Div. l.* 1. *ep.* 8. *l.* 7. *ep.* 1.

literarum ſtudiis conſumſit (1). Itaque circa illud tempus praeter hos libros et complures orationes egregias elaborati ab eo ſunt *libri Augurales*, *de Legibus*, *Oratoriae partitiones*, *Brutus*. Quo magis mirandum est, eum plurimis occupationibus distractum (2) his tamen *de Oratore* libris tantum operis et ſtudii impendisſe.

Quaerit autem in iis de *ſummo illo et perfecto Oratore*, qualem ſibi mente et cogitatione informaverat: eiusne facultas in quodam ingenii atque exercitationis genere ponenda ſit, ut fuit opinio Quincti, ad quem libri inſcripti ſunt (3); an contra arte et rhetorum praeceptis formetur, ut plerique Graeci putabant; an denique e varia maximarum rerum cognitione vera demum efflorescat eloquentia. Sententiam hanc, ut postea demonſtrare conabimur, ipſe tuetur, ac totus in eo est, ut ostendat nullam artem, quae modo ad hominum vitam pertineat, Oratori ignotam esſe debere, et praeſertim philoſophiam, quam initio cum eloquentia coniunctam Socratici

(1) Vid. *ad Att. l.* 4. *ep.* 10, 16. et *de Or. l.* 1. *c.* 1.

(2) Vid: *ad Att. lib.* 4. *ep.* 16 *init.* et *ad Div. l.* 1. *ep.* 9.

(3) Vid. *l.* 1. *c.* 2.

tici ab ea dissociaverint, incredibilem illi fructum afferre, ut sine hac omnino consistere nequeat. Hoc universi operis fundamentum de industria tractat libro primo, per elegantem disputationem inserit duobus reliquis. Hi porro praecepta continent, quibus singulae oratorii muneris partes instruuntur (1), non rhetorum illo, sed philosophico, et Aristoteleo more, ut ipse significat *ad Div. l.* 1. *ep.* 9. (2) Cum autem omnis eloquentia et rebus et verbis contineatur, in priore quidem genere explicando istam mihi laudem quaesivisse videtur, quod nemo ante se illam partem Latino sermone pertractaverat (3). De cunctis orationum generibus illud in primis tamquam difficillimum complexus est, quod in iudiciorum disceptationi-

(1) De hac operis divisione vid. ipse *ad Att. l.* 4. *ep.* 16, quam nostro argumento inprimis utilem saepius laudo.

(2) Se in horum librorum consilio Aristotelem secutum esse refert etiam *de Divin. l.* 2. *c.* 1.

(3) Vid. *de Or. l.* 3. *c.* 24, qui locus ipsius Ciceronis gloriam haud obscure contineat. Id certe non alienum est ab eius ingenio Ita se primum fuisse, qui philosophiam Latinis litteris illustraret, saepius praedicat. *Tusc. l.* 1. *c.* 1—4. *Off. l.* 1. *c.* 1. *de Div l.* 2. *c.* 1.

nibus versaretur; addidit quaedam de suasionibus, laudationibus, et historia conscribenda.

§ II.

De eorumdem librorum forma.

Antiquissima Graecorum philosophia cum maximam partem brevibus sententiis, acute dictis vel etiam versibus contineretur, Socrates novam viam induxit per mutuas interrogationes et colloquia veritatem investigandi. Cuius morem Plato scriptis suis exprimens inventor et princeps fuit harum disputationum, quae *dialogi* vocatae sunt (1). Sublimiore ipsius ingenio et imitatione veterum Atticarum tragoediarum et comoediarum effectum videtur, ut color quidam poëticus in iis appareret. Platonem imitati sunt Aeschines Socraticus, Aristoteles, Xenophon aliique multi Philosophi, in primis vero Academici, quorum rationi de nulla re affirmandi, sed, quid probabile esset, exquirendi, haec forma mirifice congruebat. Cicero ut universam Graecorum philosophiam in Latium intulit, ita hunc morem primus suis hominibus ostendit.

Ita-

(1) Vid. Cic. *de Or. l.* 1. *c.* 11.

Itaque in omnibus eius, quae superſunt, operibus philoſophicis vel ipſe cum amicis, vel alii inter ſe disputantes inducuntur (1), praeter ſolos libros *de Officiis*, quorum inſtitutum aliam rationem ſuadebat, et librum *de Fato*, ubi ne idem faceret, caſu quodam impeditus est, ut ipſe narrat *cap.* 1. Postquam intimam philoſophiae cum eloquentia cognationem perſpexiſſet, has eadem quoque ratione tractandas cenſuit. Magnam igitur partem ſcriptorum rheticorum dialogis complexus est, quo ſuavius in hominum animos irreperent, alienos a ſolita rhetorum ieiunitate.

Duo dialogorum genera distinguunt, alios *comicos*, in quibus res non narratur, ſed tamquam facta proponitur, quo de numero ſunt Ciceronis *Tusculanae quaestiones*, *Cato maior*, *Laelius*, et *Oratoriae partitiones*; alios historicos, quibus *inquam* et *inquit* interpoſito colloquentium ſermones referuntur, cuius generis ſunt hi ipſi *de Oratore* libri. Iterum in dialogis vel breviter interrogando et reſpondendo cuiusque ſententia profertur, ut in *Orat. partit.* vel per-

(1) Se hunc morem pristino tempore, illum potius posteriori aetate ſequi ſolitum fuisſe ſcribit *ad Att. l.* 13. *ep.* 19.

perpetua oratio ſingulis tribuitur (1). Interiectum locum obtinet noſtrum opus, in quo colloquentes ita longiore ſermone utuntur, ut tamen alter alterum ſaepius excipiat et interpellet. Omnes fere dialogos prooëmiis inſtruxit, in quibus incredibilem elegantiam et varietatem obſervare licet. Ea enim plerumque ita ſunt compoſita, ut aliquod argumentum non magis arripuisſe, quam alia de cauſa vel quadam temporis opportunitate in id incidisſe videatur. Saepe dialogos incipit ab eius rei commendatione, de qua disputaturus eſt, ut noſtri operis librum primum. Nonnunquam orditur ab alicuius viri laude, cuius virtutes minus cognitas ut patefaciat, ſe illum librum compoſuisſe fingit. Exempla vid. *l.* 2. *de Or.* et *Acad. l.* 4. Tertii *de Oratore* libri introitu deflet miſeras mortes eorum quos in ſuperioribus colloquentes fecerat. De quibus idcirco Scaevola praetermisſus videtur, quod is ſenex ſua morte defunctus eſt, vid. *Lael. c.* 1. Vix opus ſit notasſe, ſermones hos non ab ipſis habitos, ſed a Cicerone fictos esſe, quamquam eorum, quibus tribuuntur, perſonis egregie convenientes, quem morem ſignificat *Cat. c.* 1. et *ad Div. l.* 9. *ep.* 8. Univerſe de dia-

(1) Hoc Ciceroni eſt *rhetorice* disputare, cum illud alterum *dialectice* dicat *de Fin. l.* 2. *c.* 6.

dialogorum apud veteres origine et usu eximie disputat Clar. Wyttenbachius in Epistola ad Clar. Heusdium, huius *Specimini Critico in Platonem* praemissa. Vid. etiam *Heineccius Fundam. Stili cult. p.* 275 – 286.

§ III.

De hominibus, qui loquentes inducuntur.

Quod Cicero *Laelii c. primo* memorat se et in hoc et in illo *de Senectute* libro sermonem iis potissimum personis tribuisse, quibus maxime convenire videretur, id pari iure dici potest in his *de Oratore* libris. Ut enim illic Catonem de senectute, de amicitia Laelium disputantem audimus, ita hic de Oratore copiose disserunt Crassus et Antonius, ad quos istius temporis homines eloquentiae principatum deferebant. De his et ceteris, qui colloquio interfuerunt, tantum mihi dicendum videtur, quantum ad hunc ab iis habitum sermonem illustrandum opus sit.

Principem in disputatione locum tenet L. Licinius Crassus, de cuius patre ambigitur, cum Pighius eum P. Licinium Crassum Mucianum fuisse dicat (1), alii Crassum illum, qui Pontifex

(1) Pighium nummorum veterum fide refutat Valens

fex maximus idemque consul adversus Aristonicum profectus est. Patris autem, quicunque ille fuerit, summo studio educatus (1) et a Q. Scaevola eodem, qui hic inducitur, ius civile edoctus (2) valde adolescens forum capessivit inclaruitque C. Carbonis accusatione (3). Hinc per solitos honorum gradus (4), quibus censuram quoque et tribunatum plebis adiunxit, ad consulare fastigium evectus est. Censor cum Cn. Domitio Aenobarbo, in quem in eodem magistratu celeberrimam orationem habuit (5), omnes rhetores edicto suo sustulit offensus hominum impudentia (6). Hanc enim ab Oratore maxime alienam putavit, cum in ipso mirificus esset pudor (7), quem et Cicero sermone eius exprimit *lib.* 1. (8). Quantus Orator fuerit,

egre-
lens *de Famil. Rom.* qui tamen et se cum Ant. Angustino illius patrem ignorare fatetur.

(1) *De Or. l.* 3. *c.* 20.

(2) *Ib. l* 1. *c.* 10, 55.

(3) *De Or. l.* 3. *c.* 20. *Off. l.* 2. *c.* 13.

(4) De quaestura vid. *de Or. l.* 1. *c.* 11. *l.* 3. *c.* 20; de aedilitate *Off. l.* 2. *c.* 16. *de Or. l.* 3. *c.* 24.

(5) Vid. *Ern. clavis Cic. V. Cn. Domitius.*

(6) *Suet. de cl. Rhetoribus c.* 1. *Cicero de Or. l.* 3. *c.* 24. *Dial. de caussis corruptae eloquentiae c.* 35.

(7) *De Or. l.* 1. *c.* 26. *Pro Font. c.* 7.

(8) *c.* 24, 30. *l.* 3. *c.* 9, 49.

egregie describit idem cum alibi tum *Bruto c.* 38, 39, 43–45, ubi simul honores ab eo gestos cum annorum notatione persequitur. Praecipua eius laus in elocutione et verborum delectu cernebatur, erat in eo sapientia (1), maturitas (2), gravitas, addita tamen leporis iucunditate (3). Eloquentiam eius praesertim illustravit caussa Curii, quam Cicero non tantum in his libris, sed et *Orat. pro Caecina c.* 18. *Brut. c.* 39. summa laude memorat.

Huic intima familiaritate coniunctus fuit M. Antonius triennio ipso (5), vel quadriennio (6) maior, quem tribunum plebis, quaestorem, praetorem fuisse, refert *Valens Fam. Rom tom.* 1. *p.* 79 *sq.* Censor manubiis imperatoriis ornavit rostra (6); post consulatum, quem cum A. Albino gessit, proconsul Ciliciae praefuit (7). In quo Ciceronis mihi iudicium laudandum videtur, quod non rhetoribus Graeculis vel

(1) *De Or. l.* 3. *c.* 22. et *in Pis. c.* 26.
(2) *Dial. cit. c.* 26.
(3) *De Or. l.* 2. *c.* 56. *Off. l.* 1. *c.* 30, 37. *Ad Div. l.* 9. *ep.* 15.
(4) *Brut. c.* 43.
(5) *De Or. l.* 2. *c.* 89.
(6) *De Or. l.* 3. *c.* 1.
(7) *l.* 2. *c.* 1.

vel hominibus quibusdam de plebe, sed viris summis et in luce versantibus omnem hunc sermonem tribuit, eoque ipso rei, de qua disserunt, gravitatem ostendit. Audiverat Antonius Athenis, Rhodi, et in Asia summos rhetores (1), legerat scripta Graecorum (2), in primis Aristotelis, quem et dicendi genere erat imitatus (3). Vel sic tamen fuit artis dissimulator (4), ita maiorem suae orationi fidem conciliari existimans, si omnis doctrinae suspicio abesset; quam personam Cicero in hoc opere egregie servat, ut *l.* 1 *c.* 48 *l.* 2. *c.* 7. 89. Iuris autem civilis cognitionem semper neglexit (5). Oratoria eius facultas ita cum Crasso comparabatur, ut tamen aliarum rerum laus Antonio data sit. Hic enim inveniendi acumine, argumentorum dispositione, contentionis vi maxime excelluit (6). Fatetur *l.* 2. *c.* 34. se verborum ornatum non nimis curare, quam rem Cicero confirmat *Brut.* *c.* 37. Commentarii cuius-

(1) *l.* 1. *c.* 18—21. *l.* 2. *c.* 21.
(2) *l.* 2. *c.* 14.
(3) *l.* 2. *c.* 10, 36, 38.
(4) *l.* 2. *c.* 80. *Quinctil.* *l.* 2. *c.* 17.
(5) *De Or.* *l.* 1. *c.* 37, 38, 58. *Brut.* *c.* 59.
(6) *De Or.* *l.* 2. *c.* 28, 42. *Brut.* *c.* 37, 38. *Tusc.* *l.* 2. *c.* 24.

iusdam, in quem ille sua observata de dicendi ratione retulit, Cicero meminit *de Or. l.* 1. *c.* 21, 47, 48. *Or.* 5. libellum vero sane exilem vocat *Brut.* 44. Praeterea nihil scriptum reliquit, ne orationibus quidem, quas habuit, scripto consignatis; cuius rei causam refert *Cic. pro Cluent. c.* 50. Erat enim prudens Orator, nihil tam fugiens, quam ne aliquando causae suae obesset (1).

Q. Mucius Scaevola augur filiam Crasso uxorem dederat (2), cum ipse gener esset C. Laelii (3), quocum in Ciceronis libro huius nomen prae se ferente colloquens inducitur. „ Is, „ ut ait Cicero *Brut.* 26. in oratorum numero „ non fuit; iuris civilis intelligentia atque omni „ prudentiae genere praestitit". Eiusdem comitas laudatur *Brut.* 58. *de Orat. l.* 1. *c.* 9. *init. ad Att. l.* 4. *ep.* 16. ubi „ ioculator ille senex," dicitur. Hinc non tantum ipse Cicero adolescens in senis disciplinam traditus fuit, sed eius domus quotidie a compluribus consulendi causa celebrabatur (4). Suae artis studium Scae-

vo-

(1) Hoc ipse de se dicit *l.* 2. *c.* 72—76. Crassus *l.* 3. *c.* ..

(2) *l.* 1. *c.* 7, 9. *l.* 2. *c.* 6.

(3) *l.* 1. *c.* 9, 13. *Brut. c.* 26. *Laet. c.* 1.

(4) *Phil. Or.* 8. *c.* 10. *de Or. l.* 1. *c.* 45.

vola in his libris ita ſermone exprimit (1), ut tamen oratio ne durior fiat ſaepius id repetendo. Honorum ab eo geſtorum vix ullam mentionem invenio, niſi quod praetor Rhodum venit, conſul cum L. Caecilio Metello de Dalmatis triumphavit (2). In philoſophia Stoïcos ſecutus est, inprimisque fautor fuit Panaetii (3), ad quem audiendum credibile est eum, ſicut Fannium, ſoceri inſtituto perductum esſe (4).

De C. Iulio Caeſare nihil fere memoriae est proditum praeter ſingularem eius leporem et facetias, quibus omnes facile vicit. In eo Ciceroni fuisſe viſum est, ut ipſe ſcribit *Tusc. l.* 5. *c.* 19. „ Specimen humanitatis, ſalis, ſua„ vitatis, leporis". Vid. praeterea *Brut. c.* 48. *Off. l.* 1. *c.* 30, 37. *de Or. l.* 2. *c.* 23, 54. *l.* 3. *c.* 8.

Huius frater fuit Q. Catulus, qui videtur per adoptionem e Iulia gente in Lutatiam transiisſe. Certe ſumma in familia natum eum dicit *Cic. pro Planc. c.* 5. Is non magis honorum geſtorum dignitate (5), quam ſapientiae et ſanctitatis ſa-

(1) *l.* 1. *c.* 10.

(2) *l.* 1. *c.* 17. *Eutrop. l.* 4. *c.* 23.

(3) *l.* 1. *c.* 10, 11, 17.

(4) *Brut. c.* 26.

(5) Vid. praeter loca in clavi allata *pro Rab. c.* 7. *Eutrop. l.* 5. *c.* 1, 2.

fama floruit (1). In literis multum profecerat, quod Cicero his libris exprimere cupiens, frequenter eum de philosophorum scriptis et antiquitatis memoria disserentem facit, ut *l.* 2. *c.* 18, 36, 37. *l.* 3. *c.* 32. Eamdem laudem ceteri Catulo tribuunt *l.* 2. *c.* 35. *l.* 3. *c.* 6. Orator fuit purus, lenis, placidus, maxime excellens bene Latine loquendo et suavi literarum pronuntiatione (2).

C. Cotta Ciceronis amicus eidemque Academiae studio deditus (3), hunc illi sermonem retulisse fingitur. Hic eloquentiae spem, quam adolescens de se excitaverat, postea minime fefellit, quippe quem Cicero *pro Caec. c.* 33. vocat „ hominem disertissimum nostrae civitatis". Cottae dicendi genus placuit limatum, acutum, subtile, remotum a vehementi illa contentione, docendis auditoribus, quam permovendis, aptius (4). Tribunus plebis per invidiam civitate eiectus (5), deinde restitutus (6) et postea consul

(1) *Pro Planc. c.* 5. *pro Mur. c.* 17. *pro Rab. c.* 9.
(2) *Brut. c.* 35, 74. *Off. l.* 1. *c.* 37. *de Or. l.* 2. *c.* 7, 57. *l.* 3. *c.* 8, 11.
(3) *l.* 3. *c.* 36. *de Nat. D. l.* 1. *c.* 6, 7.
(4) *l.* 2. *c.* 23. *l.* 3. *c.* 8. *Br. c.* 55, 92.
(5) *l.* 3. *c.* 3. *Brut.* 88, 89.
(6) *Brut. c.* 90. Hoc effecisse videtur Sulpicius le-

ſul factus e conſulatu Galliam obtinuit, unde triumphum deportare frustra conatus est (1). Fuit etiam pontifex, ut patet e libris Ciceronis *de Natura deorum*, quorum *l.* 2. *c.* 67. „ prin„ ceps civis et pontifex" dicitur.

Cum eo comparabant, quamquam longe diverſo dicendi genere utentem, P. Sulpicium, qui natura ipſa ad eloquentiam factus videbatur (2). Magiſtrum ſibi potisſimum elegerat Crasſum, Cotta magis Antonium ſequente (3). Utrumque Cicero laudat *Brut. c.* 49, 56, 88. de qua tamen laude nonnihil detrahere videtur *ib. c.* 86. Contemſit philoſophiam et iuris cognitionem (4). Ingenio cum esſet ferociore, non tantum adoleſcens accuſando, quam defendendo, ſuam eloquentiam illuſtrare maluit (5), ſed et poſtea tribunus pl. multa ſeditioſe in republica gesſit. Quam ipſam ingenii vehementiam orationis genus ſecutum est, quod fuit grande, concitatum, vi et copia verborum excellens.

lege lata de exſulibus revocandis. Vid. *ad. Her. l.* 2. *c.* 28. et *Daceria ad Eutr. l.* 5. *c.* 4.

(1) *Brut. c.* 92. *In Piſ. c.* 26.

(2) *l.* 1. *c.* 22, 29. *l.* 2. *c.* 21. *l.* 3. *c.* 8.

(3) *l.* 1. *c.* 21. *l.* 2. *c.* 21. *Brut. c.* 55.

(4) *l.* 3. *c.* 30. *Brut. c.* 59.

(5) *Ern. Cl. Cic. V. Norbanus.*

lens. His vero praecipuam laudem addebat actio, quae si in vocem et gestum dividatur, utraque parte Sulpicius praestitit (1); quamquam plene loquendi studio nonnunquam in vitium incidit, ut vasto oris sono literas pronuntiaret, quo nomine notatur a Crasso *l.* 3. *c.* 12.

§ IV.

De tempore et occasione, qua colloquium habitum fingitur.

C. Gracchus lege Sempronia iudicandi potestatem a senatu ad equites traduxerat. Quorum acerbitas cum Patribus esset invisa, M. Livius Drusus tribunus pl. propugnator illi ordini exstitit, eique iudicia restituere conatus est. Quo facilius, quod vellet, assequeretur, Italiae populos spe civitatis obiecta sollicitavit; atque haec fuit origo belli Marsici, cuius flamma brevi post Italiam incendit. Ab equitum parte vehementissime stabat alter consulum L. Marcius Philippus, cuius consulatus, quem cum Sex. Iulio Caesare gessit, incidit in A. U. C. 662. e computatione Ernesti *Cl. Cic. V. Marcius.* Hoc anno ab iis, quos diximus, colloquium de Orato-

(1) *l.* 3. *c.* 8. *Brut. c.* 55.

tore habitum fingit Cicero. Convenit locus *ad Att. l.* 13. *ep.* 19, ubi ſcribit ſe puero hunc ſermonem induci. Natus autem A. U. C. 647 tunc 15 annorum aetatem attigerat. Conf. *Cl. Wytt. vita Ruhnk. p.* 282.

Isto ſcilicet tempore omnes, quos disputantes inducit, vel in amplisſimo reipublicae loco erant conſtituti, vel ineunte aetate praeclaram de ſe ſpem ostendebant. Crasſus dignitati ex ceteris ſummis honoribus perceptae proximo anno cenſorium decus adiecerat, annumque fere quinquageſimum agens (1) omnibus iam ſumma, quam tenebat, auctoritate dignus videbatur. Eloquentiae quoque laus, tot tantisque ſpeciminibus et hominum iudiciis comprobata, merito hanc ei perſonam imponebat, ut dicendi praecepta traderet. Antonius conſularis viri nomen ſplendida rerum in civitate gestarum memoria facile tuebatur. Scaevolae domo, tamquam oraculo quodam, omnes cives reſponſa petebant; quod quantum ſenectutis ornamentum illis temporibus habitum ſit, C. Druſi, Ti. Coruncanii, aliorum ſenum a Cicerone laudatorum exempla unum quemque docebunt (2).

Tres igitur hi conſulares ſub finem menſis Sex-

(1) *l.* 3. *c.* 24. *Brut. c.* 44.

(2) *l.* 3. *c.* 33. *Tusc. l.* 5. *c.* 38. *Cat. c.* 9.

Sextilis (1) turbarum ſtrepitum et ludorum pompam effugientes in Crasſi Tusculanum ſecesſerant, ut otio tantis viris digno indulgerent. Solebant adolescentes, eloquentiae ſtudioſi, ad aliquem clarum oratorem ſeſe applicare, cuius non modo forenſem uſum imitarentur, ſed et quotidiano ſermone excipiendo praecepta ſibi peterent (2). Ita quoque Sulpicius (qui nondum ſuas ingenii dotes in reipublicae perniciem converterat) et Cotta, uterque iam tum dicendi laude florentes cum Crasſo exierant, a quo talem disputationem elicere frustra ſaepius fuerant conati (3). Hic quomodo colloquium exorſus ſit, eleganter Cicero exponit *l.* 1. *c.* 7, 8. Sermoni, qui libro primo continetur, finem facit discesſus Scaevolae, de cuius cauſis vid. *ad Att. l.* 4. *ep.* 16. Postridie advenisſe narrantur Catulus ſenex et Caeſar, quorum ille conſulatus et triumphi ante quinquennium acti ſplendore per otium fruebatur. Caeſar autem aedilis deſignatus fuisſe videtur, quem magistratum ſequenti anno gesſit (4). Ab his igitur ſermo reſtituitur, ad cuius initium Ciceroni Gorgiae Plato-

(1) Colligitur hoc e l. 3. *c.* 1.

(2) *Dial. de cauſ. corr. eloq. c.* 34.

(3) *l.* 1. *c.* 21, 30.

(4) *l.* 3. *c.* 24. *Brut.* 89.

tonici principium ob oculos fuisſe puto. Colloquium, in fine libri ſecundi requiescendi cauſa abruptum, deinde inſtauratur, et inter eosdem ad finem usque pertexitur.

§ V.

De dicendi genere et colore, quo Cicero his in libris utitur.

Cicero novam dialogorum formam, quam primus hoc opere rhetoricae induxerat, orationis iucunditate commendare voluit. Itaque maior etiam his, quam illis de philoſophia libris, elegantia inest. Neque tamen ideo gravitatem et diligentiam argumento dignam minus curavit. In quo bene existimando huc mihi attendendum videtur; aliam esſe rationem proöemiorum, in quibus Ciceronem ex ipſius perſona loquentem audimus; aliam disputationis, qua Crasſus, Antonius, Caeſar ſuam de dicendi arte ſententiam explicant; aliam denique luminum et ornamentorum, quibus ea pasſim abrupta distinguitur. In proöemiis ſolitum illud copioſum et grave dicendi genus Ciceronianum, in libri tertii praefatione oratoria quoque regnat ſublimitas. Ipſa disputatio puro et aequabili filo procedit, Interdum altius exſurgens (ut *l.* 1. *c.* 8. *l.* 2. *c.* 8,

8, 9.), ea vero, quae tractat, ita accurate persequens, ut tamen rhetorum subtilitatem effugiat. Fastidii vitandi causa, non ubique praescriptum ordinem servat, sed saepe suum argumentum relinquens talia interserit, de quibus postea dicendi locus fuisset, in quae vero tum casu incidisse videatur. Ita Crassus *l.* 1. *c.* 25, 26. cum dicere coepisset de naturae munerum necessitate, repente quasi Q. Varii mentione abductus, delabitur in aliam disputationem de oratorum paucitate et pudore, quo eos ad dicendum accedere oporteat. Longior parenthesis orationem paulo confusiorem reddit *l.* 2. *c.* 30 *sqq.* *l.* 3. *c.* 27 *sqq.* et alibi; de quibus locis planius nobis fiet, si universae disputationis seriem illustrando ad ea pervenerimus. Aliquando etiam, quod disputantes se praetermittere vel differre simulant, id tamen explicant quasi obiter tangendo, ut laudationes *l.* 2. *c.* 11, historiam *ib.* *c.* 15, Latine et plane dicendi facultatem *l.* 3. *c.* 10. Praecepta autem copia exemplorum, praesertim a Romanis petita, et aptissimis comparationibus illustrantur. Comparatio elegans et ad rem valde apposita invenitur *l.* 1. *c.* 33. „ Ut concitato navigio" etc. nec non *c.* 16. *in fine*, *l.* 2. *c.* 16. et *c.* 72, ubi Antonius suum munitum dicendi genus comparat fugae, quae fiat non modo non abiecto, sed ne re-

reiecto quidem ſcuto, denique *l.* 3. *c.* 19. *initio.* Atque haec de corpore ipſius disputationis. Ea per crebra locorum intervalla, festivitate quadam conditur, quae hos libros etiam a dicendi ſtudio alienis iucundos reddat. In narranda ſingulorum dialogorum occaſione et exitu inſignis conſpicitur elegantia, quo in genere liber ſecundus prae ceteris elucet. Plurima quidem ornamenta ſuppetebat ipſa dialogorum forma, qua libri conſcripti ſunt; ut ubique viros principes et omni artium humanitate excultos colloqui audias. Quanta ſuavitas apparet in laude, quam alter alteri modo aperte tribuit; ut Antonius Craſſo *l.* 2. *c.* 28, 56, 74, 89, eidem Cotta *l.* 1. *c.* 22, 35, Crasſus Scaevolae *l.* 1. *c.* 24: modo quaſi obiter adſpergit ut *l.* 1. *c.* 10: „ niſi hic in tuo regno esſemus", *c.* 41. „ ſed „ o Dii immortales" etc. *c.* 48. *init. l.* 2. *c.* 18. in fine. Quod ipſum etiam efficitur vel exceptione, ut *lib.* 1. *c.* 9, 38. *in. c.* 43, vel exemplis ab eo ipſo, qui laudetur, petitis, ut *l.* 1. *c.* 14, 15, *l.* 2. *c.* 54, 55. Nec minore urbanitate colloquentes istam a ſe laudem depellere ſuamque imperitiam excuſare ſolent. Exemplo ſint *l.* 1. *c.* 24, 48, *l.* 2. *c.* 4, 42: „ Vide „ quam ſim" etc. 45, ubi Antonius Crasſum ſe luſisſe dicit, cum illa magnifica praedicaret; quod idem de Catulo Crasſus ait *c.* 57.

in fine. Vid. porro *c.* 73. *init.* *l.* 3. *c.* 49. Quanta comitate se invicem interdum reprehendunt! ut Crassus Antonium *l.* 1. *c.* 62. Sulpicium *l.* 3. *c.* 12. Iocis quoque et ironiis, quibus passim indulgetur, nihil festivius excogitari potest. Vid. *l.* 1. *c.* 29, *l.* 2. *c.* 7, 10, 33, 47. (ubi Antonius ipse de se: „ bonus ego videlicet atque eruditus magister") item *c.* 90. Nonnunquam iucunda disputatio de aliis rebus intexitur, ut de Sophistis *l.* 1. *c.* 22, de otio *l.* 2. *c.* 6.

§ VI.

Partitio huius libelli.

De his igitur libris Amplissima Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum Facultas in Academia Rheno-Traiectina e Benignissimi Regis decreto dissertationem postulat eique bene conscriptae praemium honorificentissimum proponit, qua *ex iis, quae in hoc opere a Crasso, Antonio, Caesare, aliis, de eloquentia disputantur, ipsius efficiatur Ciceronis de perfecto Oratore sententia.* Quod opus ego cum pro tenui facultate aggredi ausus sim, duo potissimum a me requiri video. Namque non tantum ipsa Ciceronis de Oratore sententia proponenda videtur, sed et via quaedam et ratio ostendenda,

qua

qua ad eam indagandam procesſerim, ut et quid Cicero ſenſerit, intelligatur, et quomodo disputationibus illud implicaverit. In duas igitur partes hanc ſcriptionem digerendam putavi, quarum

Prima nonnullas continebit obſervationes, quarum ope ex iis, quae in his libris disputantur, ipſius Ciceronis ſententia elici posſit.

Altera parte eius ſententiam, e Crasſi ceterorumque disputationibus derivatam, artis cuiusdam forma complexus exponere conabor.

Quod vero Logici vetant, ne partes nimium magnitudine differant, in eo hic ipſius inſtituti rationem excuſo, quae postulare mihi viſa est, ut parti ſecundae, quae alteri tamquam aedificium fundamentis inſiſteret, maior asſignaretur amplitudo.

PARS

PARS PRIMA,

QUAE CONTINET

NONNULLAS OBSERVATIONES, QUARUM OPE EX IIS, QUAE IN HIS LIBRIS DISPUTANTUR, IPSIUS CICERONIS SENTENTIA ELICI POSSIT.

CAPUT PRIMUM.

SERIES DISPUTATIONIS, QUA CICERO HIS IN LIBRIS UTITUR, ILLUSTRATUR.

Cicero disputationem, quae his libris continetur, frequenti digresſionum et parentheſium uſu ſic abrumpit, eiusque capita et exitus ſaepe ſic occulit, ut prima vice legenti aliquanto ſit difficilius, quid ille voluerit, quomodo ab alio ad aliud transierit argumentum, intelligere. Hinc eius ſententiae cognoscendae profuturum exis-

existimavi, si, tota disputatio quo ordine procederet, percurrendo illustraretur.

Libro primo colloquium incipit a Crasso laudante summam Oratorii muneris excellentiam, quippe quod (praeter ceteras laudes) cum in civitatibus constituendis et conservandis plurimum valeat, tum in omni sermone copiosissime versetur. *c.* 8. Utrumque Scaevola negat, de illo superiore docens et sine eloquentia maximam civitatem esse conditam, et illam saepe reipublicae damnum attulisse, et a plurimis oratoribus claris abesse rerum civilium cognitionem. Alterum item, quod Crassus Oratori dedit, ille philosophorum esse proprium contendit, eiusque tantum esse in iudiciis, in senatu, in concionibus probabiliter posse loqui. *c.* 9, 10. Huic Crassus respondet, cuius disputationis haec sit summa: Oratoris proprium est *bene dicere;* ut non tantum aliis studiis dediti, si de sua arte ornate dicant, eam facultatem ab Oratore mutuati sint; sed et hic, si ad alienum artificium suam dicendi adhibuerit vim, melius de illis rebus dicere possit, quam ipsi earum artifices. Sin autem ad summam illam perfectionem adscendere cupiat, varia plurimarum rerum cognitio ei adesse debet. Ea quidem philosophiae pars, quae est de vita et moribus, Oratori tota perdiscenda est, cum in animorum motibus exci-

citandis et ſedandis praecipue dominetur eloquentia. Praeterea omnibus artibus libero dignis perpolitus esſe debet. *c.* 11—17. Talem Oratorem cum in rerum natura conſistere neget Scaevola, refellitur a Crasſo. *c.* 17. Hic Antonius postquam aliquot philoſophorum ſententias expoſuit (*c.* 18–21.), ſuam ipſe opinionem profert *c.* 21, quae cum verbis differat, re cum Crasſo convenire videtur: eloquentis esſe omnes omnium rerum, quae ad dicendum pertineant, fontes animo ac memoria continere: quod etiamſi in tantis occupationibus difficile ſit (cf. *c.* 18. *init.*) non tamen deſperandum esſe talem Oratorem aliquando posſe exſistere. Cum autem ſibi a philoſopho quodam perſuaſum dixerit, nullam esſe artem dicendi (*c.* 20.) novam hinc disputationem Crasſus orditur *c.* 23, qui artem ita retinet, ut tamen alia maiora cenſeat. Naturae quidem primas tribuit, cuius dona in vero oratore (quem propter muneris difficultatem ſemper timide ad dicendum accedere oporteat, *c.* 26, 27) ſumma requirantur, ut bene perſpiciendum ſit, num quis ad eloquentiam aptus esſe videatur. *c.* 25—30. Praeterea ſtudium requirit, et ſuo exemplo allato viam tradit, qua formandum putet Oratorem. *c.* 30—35. Ponit eam in arte, exercitatione et cognitione variarum rerum, in quibus hic philoſophiam ideo prae-

praetermittere videtur, quod eam ſupra (c. 11—17.) copioſe commendaverit. Hiſtoriae vero, iuris civilis, aliarum rerum mentione facta, occurritur ei a Scaevola, qui illas ab Oratoris inſtrumento ſegregandas cenſet c. 36. quem Craſſus refellens c. 36—47. Oratoris, qui ius civile negligat, primo culpat impudentiam c. 38—41; deinde inertiam c. 41—45; denique id ſtudium ſummam dignitatem afferre docet c. 45. Porro iuris publici et antiquitatis cognitionem Oratori perfecto neceſſariam defendit c. 46. Antonius ea, quae Craſſus de arte breviter percurrerat, latius explicaturus initium facit a definiendo Oratore, in quo, ſuum refellendi morem ſecutus, Craſſum reprehendit. c. 48—51. Hinc delabitur in longam disputationem id agens, ut oſtendat nec philoſophiam Oratori neceſſariam eſſe, imo ſaepe ei nocere c. 51—55. nec ius civile, hiſtoriam aut antiquitatem ei eſſe perdiſcendam, quippe quae nimium temporis de dicendi ſtudio et exercitatione detrahant. c. 55—62.

Libro ſecundo Antonius diſſerere de arte pergit, cui etſi parum tribuat, eſſe tamen quasdam obſervationes arbitratur, e quibus ars quaedam poſſit effici. c. 7, 8. Deinde ſuam ſententiam de Oratoris munere et officio, libro ſuperiore declaratam, hic plane immutat, et Craſ-

ſo

ſo asſentitur, eius propriam esſe orationem gravem et ornatam de omni re, quae ſic dici debeat. *c.* 8, 9. Porro quam artis distributionem a Graecis acceptam Crasſus protulerat, eam ita perſequitur, ut quae ſibi placeant, retineat, quae minus necesſaria videantur, reprehendat, atque per frequentes digresſiones alia maiora adiiciat. Eo enim conſilio totum illum Crasſi de arte locum (*l.* 1. *c.* 31, 32. *init.*) a Cicerone inductum arbitror, ut capita quaedam et certum ordinem haberet, ad quem hoc et ſq. libro ſingula referret; ſimul etiam ut quid de rhetorum praeceptis ſtatueret, intelligi posſet. Antonius igitur primam quaestionum partitionem in duo genera repetit, quorum alterum rurſus in tria dividatur. *c.* 10. Tertium vero, quod rhetores in laudationibus ponebant, praeceptis inſtrui minus necesſarium putat. *c.* 11, 12. Similiter de historia (cuius ipſius historiam per parentheſin explicat ſuumque Graecarum literarum ſtudium excuſat *c.* 12 — 15), de aliis Oratorum officiis, denique de infinita quaestione nihil praecipi demonſtrat. *c.* 12 — 16. Neque hoc necesſarium esſe, ſi difficillimum genus, quod in cauſarum contentionibus verſetur, traditum ſit: quam ſententiam contra Catulum tuetur. *c.* 16, 17. Iam vero (postquam Graeculos perſtrinxit eorumque praeceptis ſe parum

tri-

tribuere declaravit *c.* 18—20.) quomodo tandem Orator ille summus instituatur, exponit. Videndum, quid naturâ possit, si aptus videatur, bonum sibi exemplum eligat, addita exercitatione et stilo *c.* 20 — 24: ubi disputatio de imitationis vi in Graecorum libris conspicua inseritur. *c.* 22, 23. Deinde quomodo causas tractare debeat, docere incipit *c.* 24: quas primum penitus cognoscat, et, quae sit ambigui causa, videat. Hic illud e Crassiana distributione assumendo probat, tria esse genera ambigui *c.* 24, 25; secundo autem genere scripti quoque controversiam complectitur. *c.* 26. Praeter causae probationem Oratori duo imponit, ut et eos, qui audiant, sibi conciliet, et eorum animos commoveat: causae vero defensioni cum duplex argumentorum genus subiectum sit, quod utrumque et rerum inventione et dicendi ornatu indigeat, novam hinc universi muneris Oratorii divisionem inducit. Quaerendum enim statuit, primo quid, deinde quomodo dicamus. *c.* 27. Harum partium primam sibi sumit, quam sua consuetudine exponenda illustret, alteram Crasso relinquit libro tertio tractandam. Redit igitur ad causae probationem per argumenta, quae ex certis locis semper paratis in omnem causam afferre, non singulis causis seposita e rhetorum praeceptis depromere opor-

oporteat. *c.* 30 — 35. Hic cum naturam causae videre iusserit, quasi in parenthesi notat istorum magistrorum imperitiam, qui cum duo genera causarum ponant, alterum dicant certis personis et temporibus definiri. *c.* 31 — 34. Deinde reversus ad argumentorum inventionem tria, quae huc faciant, enumerat; quorum maxime laudata *diligentia* parum auxilii in *arte* ponit idque demonstrat exemplo philosophorum, qui sine dicendi praeceptis ingenio tantum et diligentia copiam argumentorum sibi comparent. *c.* 35. Quod cum de Aristotele Catulus negaverit, incidit in locum de Graecarum literarum specie vitanda, ubi mentione facta de tribus philosophis, quid illi attulerint arti dicendi, inquirit. *c.* 36 – 39. Illa vero argumenta e duobus locorum generibus sumi ostendit, eosque breviter persecutus *c.* 39, 40. de tractatione quaedam addit. *c.* 41. Hinc progreditur ad duas reliquas partes, quas *c.* 27. ad Oratoris munus pertinere dixit, collocatione quidem in posterum dilata. *c.* 42. Quomodo ii, qui audiunt, conciliandi sint, breviter indicat *c.* 43, quomodo permovendi *c.* 44 – 47. Haec exemplo suo illustrat *c.* 47 — 50, quod etiamsi in artis fere loco reponendum censeat (*c.* 48), tamen praecepta quaedam addit, primum quando animorum concitatione abstinendum sit, deinde quibus rationibus id effici queat. *c.* 51, 52.

Utrumque vero genus ut coniungendum, ut in variis orationis partibus adhibendum, ut in adversarios retorquendum ſit, docet *c.* 53. Cum autem egregiae ſint utilitatis in oratione *facetiae*, Caeſar de iis disſerere incipit. Quarum duobus generibus poſitis neutrum doctrina posſe tradi ostendit. *c.* 54. Quod cum et Catuli et Crasſi exemplo confirmare coeperit, incidit in alia huius facete dicta, non tam ad id, quod poſuit, comprobandum, quam potius ad Crasſi in hoc genere excellentiam demonſtrandam. *c.* 55. Quamvis autem nulla iocorum ars ſit, posſe tamen eam quoque partem dicendi obſervationibus illustrari, illi inter ſe disputant. *c.* 56, 57. Caeſar igitur pergit et quinque de riſu quaerenda ſtatuit, quorum postquam priora quatuor attigit *c.* 58, 59, quinto loco de facetiarum *generibus* exponit: quas cum ſupra (*c.* 54.) pro *raritate vel frequentia, qua in ſermone uſurpentur*, distinxisſet, hic *materia tenus* in duo genera partitur, quorum alterum ſit in re, alterum in verbis *c.* 59—61 (1). Secundum hanc partitio-

(1) Initium *capitis* 61, quod in libris ſcriptis et editis turbatum videtur, ſic transponendum coniicio: „ Haec igitur ſit prima partitio, quod facete dica„ tur, id alias in re haberi, alias in verbo: facetiis „ autem maxime homines delectari, ſi quando riſus „ con-

tionem locos affert, unde risus maxime excitetur. Ubi postquam ex iisdem locis feria et ridicula posse peti ostendit, nonnullaque genera ab Oratoris gravitate segregavit *c.* 61, 62. *init.*, primum ea tractat, quae in verbo sunt posita *c.* 62 — 66, deinde quae in re *c.* 66 — 71. in fine. Sermo iam redit ad Antonium nonnulla monentem de ratione et delectu, quo ea, quorum locos monstraverit, adhibere oporteat. Deinde duo praecipit, alterum, honeste cedere, alterum, cavere, ne quid caussae noceamus. *c.* 72. Quod cum Crassus (nisi perfidia) fieri posse negasset *c.* 73, ille quibus modis in id incidamus, ostendit, *c* 74, 75. Crassus (*l.* 1. *c.* 31.) secundum oratoris munus esse dixerat: „ inventa non solum ordine, sed etiam momento „ quodam atque iudicio dispensare, atque com„ ponere". Haec igitur Antonius, *c.* 42 a se dilata, persequitur. Illum quidem rhetorum or-

„ coniuncte re verboque moveatur. Nunc exponamus genera ipsa summatim, quae risum maxime „ moveant. Sed hoc etc.". Saepe Cicero post alicuius argumenti absolutionem praecedentia breviter complexus ita demum ad alia progreditur, velut supra. *c.* 26. *l.* 3. *c.* 43. Sic quoque, ni fallor, oratio melius procedet, et sqq. „ Sed hoc mementote" etc. aptius cohaerebunt. Haec vero in coniecturae tantum loco reponantur.

ordinem non aspernatur, ſed in ipſa natura poſitum ostendit, alium vero ab Oratorum iudicio proficisci, de quo disſerit *c.* 76, 77. Hinc rurſus ſingulas illas partes, in quas rhetores orationem diviſerant, praeceptis inſtruit. *c.* 78–81 in fine. Omnia vero inveniendi et collocandi praecepta cum praecipue ad iudiciorum contentiones retulerit, iam progreditur ad ſecundum cauſarum genus, *ſuaſiones*, quarum alium, quam Crasſus, finem ſtatuit, quidque in iis potisſimum obſervandum ſit, breviter explicat. *c.* 81 in fine — 84. Quod *c.* 11. ſegregaverat *laudationum genus*, hic tamen attingit, et quibus e locis inſtrui posſit, demonſtrat. *c.* 84, 85. Denique de memoriae artificioſae inventione, utilitate et praeceptis agit. *c.* 87, 88.

Libro tertio Crasſus orationis ornatum expoſiturus prius ostendit perperam de rebus et verbis ſeparatim praecipi ſolere. Ut enim rerum univerſitas unum quoddam ſit, ut omnes artes humanae arctisſime inter ſe coniungantur, ut ipſius eloquentiae una ſit vis atque natura, ſic quoque res et ſententias in oratione minime esſe ſeiungendas. *c.* 5 – 7. Porro praefatur, ut in ceteris artibus, ita in dicendi facultate principes, qui maxime inter ſe differant, ſingulos tamen esſe laudandos: nec igitur ſua praecepta ad omnes eodem modo accommodari posſe, ſed iis id

a

a ſe genus exprimi, quod ſibi ipſi maxime probetur. *c.* 7 — 10. Iam ipſius elocutionis quadripartitam distributionem e *l.* 1. *c.* 32 repetit, cuius duo prima etſi ſe relinquere ſimulet, tamen breviter exponit, quomodo quidem Latine dicamus, *c.* 10 — 13, quomodo plane, *c.* 13. Haec autem nullam efficere admirationem, niſi accedat dictio ornata et apta, qua qui utatur, eum demum esſe verum Oratorem. Hinc in eloquentiae laudes evagatur, eamque antiquisſimis temporibus cum ſapientia et re et nomine coniunctam plurimum in republica valuisſe ostendit, quamvis nonnulli potius rerum cognitioni ſe totos tradiderint. *c.* 14, 15. Socratem primum eloquentiam a philoſophia ſeiunxisſe et familias ab eo profectas omnes ab Oratoris ſtudio abhorrere, praeter Peripateticos et novam Academiam, quarum igitur copiam et vim ſummus ille Orator ſibi adſciscere debeat, *c.* 16 — 20. Sibi autem quamvis plurimis occupationibus distracto non licuerit omnia illa complecti, tamen ſe nec philoſophis quidquam in disputatione concedere *c.* 20, 21. et de ſummi Oratoris perfectione loqui posſe, omninoque aliam esſe rationem eorum, qui artem aliquam in uſum adhibeant, aliam eorum, qui ipſius ſtudio delectati nil praeterea curent. *c.* 22, 23. Hanc disputationem ad argumentum propoſitum ſic refert,

ut

ut ostendat in orationis ornatu, quam tertiam virtutem posuerat, ante omnia comparandam esse rerum cognitionem, quae ubi adsit, verborum ratio facilis fit. c. 24. Haec jam explicaturus ornatum et genere toto et singulorum verborum sententiarumque luminibus effici docet. Principio cavere iubet, ne nimia suavitas, ut in aliis rebus, ita hic fastidium pariat. c. 25, 26. Post quae illa partitione repetita c. 26. in fine, ad ornatum maxime valere docet amplificationem, quae cernatur cum in concitandis animis et laudando, tum vero in locis communibus; inter quos memoratae disputationes ancipites rursus eum longe auferunt. Ostendit enim omnes caussas definitas ad universi generis consultationes esse revocandas (quarum ambigendi naturam e philosophorum distributione partitur c. 28, 29, alio quodam modo, quam Antonius fecerat l. 2. c. 24 et 25.) atque harum disputationem e philosophia repetendam, quae iniuria eas sibi vindicaverit; quae divisio, ut in aliis rebus, ita hic maximum attulerit damnum. Haec videtur esse sententia, quam per implicatam disputationem diffundit c. 27 – 36. Redit ad orationis ornatum, sed quasi prioris illius partitionis (c. 25.) oblitus aliam inducit, ut primo de verbis simplicibus, deinde de coniunctis dicat. In illorum tractatione etiam allegoria et immutatio e secun-

da

da parte asſumuntur. *c.* 37 — 43. Ad hanc duo refert; alterum collocationem, alterum modum et formam; de quorum primo breviter agit *c.* 43; ſecundum fuſius perſequitur *c.* 44 — 52, inſerta disputatione de minori difficultate huius rei, quippe in qua, ut in plerisque aliis, utilitatem ſecuta ſit pulchritudo *c.* 45, 46. et in fine refutata illa obiectione, vulgus orationis numeros notare non posſe. Quibus expoſitis e ſuperiore partitione (*c.* 25.) *colorem univerſae orationis* attingit, tum plurima verborum et ſententiarum lumina recenſet. *c.* 52 — 55. Quarta virtute, ut apte dicamus, breviter illustrata *c.* 55. de actione quaedam addidit *c.* 56 — 61, ubi postquam de voce primum *c.* 58, deinde de gestu praecepit *c.* 59, postremo redit ad vocem eaque quomodo ſervari posſit, ostendit *c.* 60, 61.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

E CRASSI POTISSIMUM PERSONA CICERO LOQUITUR.



§ I.

Graves ei causae fuerunt, cur hoc faceret.

Cicero neminem Crasso dicendi laude maiorem, neminem, quem summo studio imitaretur, digniorem arbitratus est. Illo puero (qua aetate quae studia percipiuntur, plerumque per totam vitam animis inhaerent) Crassus in foro et iudiciis regnabat, eiusque dicendi genus ineunti Oratori prae ceteris placuit. Eius quidem orationem, qua legem Caepionis suaserat, sibi a pueritia quasi magistram fuisse refert *Brut. c.* 44. Praeterea Crassus patri Ciceronis familiaris fuit, qui et hunc potissimum in deligendis filio praeceptoribus auctorem secutus est. Itaque Cicero et ea didicit, quae illi placebant, et ab iisdem doctoribus fuit eruditus (*de Or. l.* 2.

c. 1.

c. 1. *Corr. Quaest. p.* 37, 45.), inter quos ab A. Licinio Archia, quem ille coluisse dicitur *Or. pro Arch. c.* 3. in fine, cuius vero institutione Ciceronem usum fuisse constat ex eiusdem orationis *cap.* 1. Puerum quidem quinque annorum in Luculli domo ab eo eruditum scribit *Middl. Vit. Cic. tom.* 1. *p.* 14. Eiusdem consilio factum videtur, ut Plotium rhetorem Latinum, qui scholam aperuerat (*Suet. de Cl. Rh. c.* 2.) audire cupiens non audiverit, sed ad Graecos potius sese applicaverit. *Middl. l. c. p.* 13. Hoc certe plane conveniebat cum eius sententia, qui censor, ut supra vidimus (Proleg. § 3.) Latinorum scholas edicto sustulerit. Hinc igitur natus ille Crassi, tamquam summi Oratoris, amor et veneratio, quam Cicero menti penitus impressam ubique per scripta diffundit. Sic *Brut. c* 36, 38, postquam plurimos Oratores percensuit, ita Crassum et Antonium iis anteponit; eosdemque in *Orat. c.* 30. ita coniungit, ut illi tamen primas tribuere videatur. Hinc eximiae laudes in orationibus, ubi illum, ut eloquentiae et ingenii exemplum, appellare solet. Illius quidem comparationem adhibet in Cn. Pompeii eloquentia extollenda *pro Balbo, c.* 1: „ quae enim in L. Crasso potuit, homine nato „ ad dicendi singularem quamdam facultatem, si „ hanc causam ageret, maior esse ubertas, va-

„ rie-

„ rietas, copia, quam fuit in eo" etc. Et *pro Font. c. 7.* ita de eo praedicat: „ Quantus in „ L. Crasso pudor fuerit, quod ingenium, „ quanta auctoritas, quis ignorat"? Vid. porro *in Verr. III.* 1, *pro Caec. c.* 18. *pro Balbo c.* 21. Obiici possit eum in libris *de Off.* ubi de eo mentio fiat (*l.* 1. *c.* 30, 37.) multo minus magnifice laudari. Sed non modo provectior aetas atque ipsum librorum argumentum Ciceronem a sublimi illo et incitato ad remissius dicendi genus deduxerant, verum etiam fieri potuit, ut ad suum eloquentiae cursum respiciens ipse sibi iam Crasso superior videretur et hinc de eius admiratione paululum minueret. Vel sic tamen eximie laudat *l.* 2. *c.* 13. Hoc quidem constat, nemini de Romanis Ciceronem tantum in dicendo tribuisse, quantum Crasso. Quod si hunc ipsum in libris *de Oratore* inductum videmus, quo quem induceret, neminem aptiorem habuerit, eidem potissimum partes delatas fuisse, quid ipse Cicero sentiret, explicandi, probabiliter coniici mihi videtur.

§ II.

Argumentum petitum a modo, quo Crassus in disputatione inducitur.

Si iam *a priori*, ut Logici dicunt, valde pro-

ba-

babile fit, Crasso Ciceronem suam personam imposuisse, confirmatur haec sententia modo, quo ille inducitur, et loco, quem per totam disputationem obtinet. In eius villa sermo habetur, cuius exordium et longe maxima pars ipsi tribuitur. Omnino magna in his libris apparet similitudo cum modo, quo Catonem de senectute, Laelium de amicitia suam sententiam explicantes Cicero inducit. Non tantum Sulpicius et Cotta, ut eloquentiae praecepta sibi tradat, enixe a Crasso petunt eaque venia impetrata summo gaudio efferuntur (*l.* 1. *c.* 21, 29, 30.); sed Catulus et Caesar, clari iam oratores, ipso nuntio excitati advolant, ut eius sermonis, tamquam eximii cuiusdam fructus, participes fiant (*l.* 2. c. 3 – 6.); sed Scaevola senex, quem unice iuris studio deditum a tali disputatione abhorrere putes, Crassi audiendi cupidum se profitetur (*l.* 1. *c.* 35.); quin ipse Antonius, cuius dicendi facultas maxime cum illo comparabatur, quanti tamen illius sermonem faciat, eleganter indicat extremo libro secundo. Crassus tamquam princeps et magister Antonio partes attribuit *l.* 2. *c.* 29, Sulpicium reprehendit *l.* 3. *c.* 12, sermoni finem imponit *l.* 1. *c.* 62. *l.* 2. *c* 90. Maxime vero principem hunc locum ei vindicant eximiae laudes, quibus a ceteris cumulatissime ornatur, quas singulas perse-

qui

qui infinitum ſit. Pauca exempli loco notentur. Scaevola *l.* 1. *c.* 17. ſic eum alloquitur: „ quas „ (artes et doctrinas) ego, ſi quis ſit unus com„ plexus omnes, idemque ſi ad eas facultatem „ istam ornatisſimae orationis adiunxerit; non „ posſum dicere, eum non egregium quemdam „ hominem atque admirandum fore: ſed is, ſi „ qui esſet, aut ſi etiam unquam fuisſet, aut „ vero ſi esſe posſet, tu esſes unus profecto; „ qui et meo iudicio, et omnium, vix ullam „ ceteris oratoribus (pace horum dixerim) lau„ dem reliquisti". Cotta *l.* 1. *c.* 22. imperitiam excuſanti ita reſpondet: „ namque quod tu „ non poteris, aut nescies, quis nostrum tam „ imprudens est, qui ſe ſcire aut posſe postu„ let?" Illius orationi ſuccedere timet Antonius *l.* 1. *c.* 48, illo audiente et hic *l.* 2. *c.* 88. et Caeſar *c.* 57. ſibi de eloquentia vix dicendum existimant. Nam quae ſplendidiora in quemquam dici posſunt his Antonii *l.* 1. *c.* 27. „ et „ te, et ceteros ſummos oratores, *quamquam* „ *tibi par*, *mea ſententia*, *nemo unquam fuit*"? Quibus add. *l.* 2. *c.* 28, 56, 89. et praeter omnia *l.* 3. *c.* 49, ubi, quem frustra quaeſiverat *eloquentem*, ſe tandem invenisſe profitetur: quam tamen nec veram Antonii ſententiam, nec Ciceronis fuisſe conſtat *ex Orat.* *c.* 5, 30. Voluit tantum maximis, quas poterat, laudibus ei tribuen-

buendis significare, quanto Crassum ceteris disputantibus anteferret, dignissimum adeo, qui suam ipsius exponeret sententiam.

§ III.

Talia Crassus de se refert, unde Ciceronem ipsum sub illius persona latere coniici possit.

Si quis hos *de Oratore* libros attentius legat simulque ex aliis eiusdem scriptis recordetur, quantopere sibi ille placuerit, ei statim arridet opinio, Ciceronem Crassi Oratoris imagine proponenda sui memoriam in lectorum animos revocare voluisse. Quam opinionem quae confirment, plura in iis inveniuntur: quippe talia passim Crassus de se narrat, quae in Ciceronem convenire aliunde novimus. Ita quod in ipso huius operis aditu Cicero significat, se aliquando causis relictis in otium concedere velle, idem de Crasso refert *l.* 2. *c.* 33. non sine gloriosa quadam praedicatione, civitatem aegre laturam, si tanti Oratoris ornamento careret. Idem Crassus *l.* 1. *c.* 42. suum consilium profitetur partes iuris civilis dispersas atque dissipatas colligendi et generatim dispositas in artis formam redigendi. Huius rei mentio quoque fit *l.* 2. *c.* 19, 33.

Hoc

Hoc autem ipſum conſilium Ciceroni agitatum fuiſse tradit *Torrent. ad Suet. Caeſ. c.* 44 Gellii locum afferens, ubi liber ille memoratur. Vid. etiam *Quinctil. l.* 12. *c.* 3. et *Nitsch Beſchr. der Rom. tom. II. p.* 324 Aliud eiusmodi vestigium est *l.* 1. *c.* 34, ubi Crasſus ſe exercitationis cauſa Graecorum orationes Latine reddidisſe narrat. Simile quid de Cicerone novimus, qui puer non quidem orationes, ſed *Xenophontis Oeconomicum* vertit, ut ſcribit *de Off. l.* 2. *c.* 24. Postea vero, ut eloquentiae ſtudioſis prodesſet, illustre illud Demosthenis et Aeſchinis *de Corona* certamen Latine explicuit eique verſioni libellum *de Optimo genere Oratorum* praemiſit. Paucisſima de ſtudiis in republica dicentem facit Crasſum: quae vero dicit, talia ſunt, ut Ciceronem ipſum loqui putes. Extremo quidem ſermone *l.* 3. *c.* 60. C. Gracchi mentione iniecta ſic ait: „Ego vero (ad-„miratus ſum hominis diligentiam et doctrinam) „ac doleo quidem illos viros in eam fraudem in „republica esſe delapſos" etc. Nec Cicero tantopere Gracchis offenſus fuit, quorum ſeditioſa conſilia dolore magis, quam odio proſecutus videtur. Vid. *Brut c.* 27, 33. *de Har. reſp. c* 19. Denique Crasſum a Scaevola ius civile didicisſe narrans *l.* 1. *c.* 10, 55 reſpicere potuit ad ſe, quem eiusdem hoc in genere prae-

praeceptis usum fuisse notissimum est. Vid. *Lael. c.* 1. *Corr. Quaest. p.* 52. *Middl. tom.* 1. *p.* 17. His indiciis, quibus alia addere me doctioribus proclive sit, coniectura probabilis redditur oratorem, qui his in libris Crassi nomine inducitur, proprie fuisse Ciceronem ex aliena persona (quo maior orationi accederet auctoritas) suam de dicendi facultate sententiam explicantem.

§ IV.

In praefationibus horum librorum nonnulla occurrunt, quae cum Crassi disputatione conveniunt.

Sententia, quam superioribus §§. probare conatus sum, alio confirmatur argumento ab horum librorum praefationibus petito, in quibus quae Cicero posuit, ea ipsi persuasa fuisse nemo sit, qui dubitet. In praefationibus igitur libri primi et secundi nonnulla cum Crassi sermone mirifice convenientia reperiuntur. Mitto gravissimam illam quaestionem *de rerum cognitione Oratori necessaria*, quam e Ciceronis mente *l.* 1. *c.* 2. et *l.* 2. *c.* 2. significata Crassus uberrime persequitur. In quo tamen id vix praetereundum censeo, quod cum Cicero *l.* 1. *c.* 5. verborum volubilitatem sine rerum scientia ir-

irridendam dicat, eodem verbo Crasſus hoc vitium perſtringit *c.* 12. Colligamus alia eiusmodi minora, in quibus inſigni convenientia inter utriusque disputationem obſervata, per analogiam idem de reliquis coniicere liceat. Uſus *l.* 1. *c.* 4. omnium magiſtrorum praecepta ſuperare dicitur; eumdem vero Crasſus *l.* 3. *c.* 55. gravisſimum et in hoc toto dicendi ſtudio difficillimum vocat. Poëtae, quibus hic magnam cum oratoribus cognationem tribuit *l.* 1. *c.* 16. *l.* 3. *c.* 7, ii *l.* 1. *c.* 3. maxime ex omnibus artibus et disciplinis cum illis in comparatione conferuntur. Denique muneris oratorii difficultatem cum Cicero *l.* 1. *c.* 5. tum Crasſus *c.* 26. demonſtrat histrionum exemplo, de quibus adeo diligenter iudicare ſoleant ſpectatores, ut vix aliquis iis placeat.

§ V.

Concluſio confirmata virorum doctorum testimoniis.

Vidimus igitur neminem Crasſo aptiorem fuisſe, cui Cicero ſuis partibus imponendis ſermoni pondus adderet. Qui ſi praeterea ſic inducitur, ut omnes ei ſummum honorem et auctoritatem concedant, ſi talia de ſe refert, ubi facile

Ci-

Ciceronem agnoscas; si denique res aliquas eodem modo, quo ille de iis praefatus est, sermone suo explicat, nihil obstare videtur, quin ex his ea deducatur conclusio: *Crassi disputationem ipsius Ciceronis sententiam continere.* Quod et aliis iisque viris eruditionis fama florentibus placuisse video. Corradus quidem in *quaestura p.* 45. afferens locum *de Or. l.* 2. *c.* 1. haec addit: „ didicit igitur omnia, quae libro primo „ et tertio *de Oratore* L. Crasso placuisse di„ cuntur". Francius in egregia oratione *de perfecto et consummato Oratore*, qua huius ipsius operis explicationem auspicatus est, *Orat* 15. *p.* 243. Ciceronem in Crasso se depinxisse scribit. Nec aliter sentiunt Ernestus in *Ciceronis operum dedicatione ad Stiglizium p.* 59. et *Middl. l. c. p.* 43. *tom.* 2. *p.* 98.

D CA-

CAPUT TERTIUM.

QUATENUS RELIQUORUM SERMONE CICERONIS CONTINEATUR SENTENTIA.

§ I.

Inquiritur de Antonio.

Antonius cum ad Crasſi in dicendo facultatem proxime accedere cum ceteris omnibus, tum vero Ciceroni videretur, mirari ſane neminem ſubit, hunc ei quoque partem ſuae *de Oratore* ſententiae explicandam tradidisſe. Nullum autem Oratoris officium aptius ex eius perſona praeceptis inſtrui poterat, quam *locorum inventio* ac *diſpoſitio*, qua unus omnium maxime excellere putabatur. Nec tamen ubique eius, ut Crasſi, ſermo Ciceronis ſententiae reſpondet; ſed multa quoque in contrariam partem pro ſua conſuetudine disſerens inducitur. Itaque ea, quae Antonius his in libris diſputat, tripliciter omnino dividi posſunt. Siquidem *l.* 1. *c.* 18–21. Crasſo ſic reſpondet, ut ſermo maximam quidem

dem partem referendis philosophorum placitis consumatur; quae autem de suo addit, Ciceronis sententiam continere videntur exceptis iis, quae de arte sibi persuasa dicit *c.* 20; quam tamen opinionem Crassi sermone victus immutat *c.* 24. Item quae Cicero *c.* 25, 26. e Crassi persona disseruit, Antonius *c.* 27. fusius explicat et rationibus allatis confirmat. Alia plane est ratio *capitum* 48 – 62, ubi Crassi ab eo sententia refellitur. Nempe Cicero Academiae morem secutus illum quoque locum *de Oratoris officio et scientia ei necessaria*, de quo ipse cum Q. fratre dissentiebat (*l.* 1. *c.* 2.), optime illustrari posse ratus est, si in utramque partem de eo disputaretur. Itaque illius partes tuendas dedit Antonio, idque tamquam veritus, ne a lectoribus minus intelligeretur, bis significat *l.* 1. *c.* 62. et *l.* 2. *c.* 10. Nil tamen obstat, quo minus singula quaedam ab eo disputata, quamvis ad praesens argumentum male traducta, ipsa tamen Ciceronis menti conveniant, ut suis locis ostendemus. Tertia eaque longe maxima pars continetur libro secundo, ubi ea Oratoris officia, quae supra diximus, uberrime persequitur interiecta Iulii de facetiis disputatione. Antonium autem hic adversam illi sententiam tueri, quam extremo libro superiore proposuisset, praeterquam quod Cicero monuit, patet etiam e

 com-

comparatis nonnullis locis ſibi invicem prorſus oppoſitis. Quantum v. c. differt definitio materiae oratori ſubiectae, quam legimus *l.* 1. *c.* 49. ab ea, quae invenitur *l.* 2. *c.* 8. *in fine* et *c.* 16! Virtutum cognitionem Oratori minime neceſſariam putat *l.* 1. *c.* 51. eidem imponit *l.* 2 *c.* 85. Itaque cum prius refellendi cauſa multa verae ſuae opinioni contraria attulerit, hic quid ipſe ſentiat, exponens inducitur. Hanc vero eius diſputationem Ciceronis menti convenire, neminem, qui dubitaret, inveni. Neque ſane cauſa probabilis excogitari posſit, cur Cicero cum libro tertio elocutionem et actionem *ſuis* praeceptis inſtruat, de reliquis eloquentiae partibus alienam proponeret ſententiam: cum praeſertim ea nusquam his in libris refellatur, ſed Antonium et ceteri et ipſe Crasſus maximis ornet laudibus *l.* 2. *c.* 28, 89, 90. Plurima quoque ei cum Crasſo conveniunt: ſi una res eaque non ita gravis excipitur: partitio quaestionum et cauſarum ambigui, quas Antonius *c.* 24 — 27, 30. alia quadam ratione dividit atque Crasſus *l.* 3. *c.* 29. Sed forſitan ita ſcriptum fuit in illo Antonii libro, unde omnia iſta depromſisſe dicitur *l.* 1. *c.* 48. ut Cicero (quamquam ipſe aliter ſentiret) perſonae ſervandae gratia non potuerit, quin hanc ei tribueret ſententiam.

§ II.

§ II.

Caesaris de ridiculis disputationem Ciceronis sententiam continere ostenditur.

Caesarem *l.* 2. *c.* 54 – 72 e Ciceronis sententia disserere, vel hinc probabile fit, quod ille locus mediae Antonii disputationi inseritur eiusque quasi partem aliquam constituit. Accedit nomen Caesaris, cui viro quantum hoc in genere Cicero tribueret, supra vidimus *Proleg.* § 3. Sed omni iam demonstratione supersedere sinit ipsius locus *ad Div. l.* 7. *ep.* 32, ubi haec leguntur: „ cetera, quae sunt a me in secundo „ libro *de Oratore* per Antonii personam dispu- „ tata de ridiculis". Nam quod illic Antonii, non Caesaris persona memoratur, fieri potuit aut librarii cuiusdam oscitantia, qui cum universe illi in libro secundo sermonem tribui videret, singula non perscrutatus, illius hic quoque nomen reponendum censuerit, aut, quod malim, ipse Cicero memoria lapsus sit praesertim in epistola familiari.

§ III.

Quid de ceteris statuendum sit.

Universa igitur Ciceronis de Oratore sententia Cras-

Crasſi, Antonii, et Caeſaris disputatione continetur. Reliqui illorum principum ſermonem frequenter interpellant aut eliciendi, aut interrogandi, aut confirmandi, aut exemplis illustrandi, aut denique iucunde variandi cauſa. Quisque autem ea in medium profert, quae ſuae perſonae maxime conveniant. Ita Scaevola ſenili auctoritate gravis ea, quae dicuntur a Craſſo, reprehendit *l.* 1. *c.* 9, 10, 36; nec tam, ut ipſe disſereret, inductus videtur, quam ut illum eliceret ad ſententiam rationibus et argumentis confirmandam. Alia Ciceroni cauſa fuit Catuli inducendi, qui omni artium humanitate excultus magnam iis, quae Crasſus et Antonius disſerunt, iucunditatem affert. Multa ſcilicet horum ſermonibus inerant, quae vel a ſolitis rhetorum praeceptis abhorrerent, vel hominibus alia de cauſa mirabiliora viderentur. Horum inſolentiam ut quodammodo leniat, e perſona Catuli dubia moventur, quae ſtatim adverſarius diluit. Hoc conſilium perſpicitur in plerisque locis, quibus eum Cicero loquentem facit, ut *l.* 2. *c.* 10. ubi mirum videatur, quod Antonius *laudationum* genus praeceptis non complectendum cenſuerit; *c.* 17, ubi Catulus obiiciendo ex eodem rationem elicit, cur in cauſarum contentionibus difficillimum poſuerit Oratoris officium; *c.* 42, quod ſimilem continet excuſationem *diſpoſitionis*

in

in posteriorem sermonem dilatae; *l.* 3. *c.* 22, ubi per eumdem tollitur admiratio, quomodo Crassus ea, quae in Oratore perfecto requirat, ipse perdiscere potuerit. Similiter *l.* 2. *c.* 12. docenti Antonio, magni Oratoris esse historiam scribere, Catulus occurrere potuisset: at nostri certe nullum huic generi adhibuerunt orationis ornatum. Sed eleganter hoc interrogationis ac responsionis forma includitur. Nec tamen ubique admirationis tollendae causa Catulus ceterorum sermonem interpellat, sed etiam ut eorum disputationi quaedam adiiciat plerumque e libris et historia petita *l.* 2. *c.* 10 *l.* 3. *c.* 32, ut quaedam excipiat contrarii exemplo afferendo *l.* 2 *c.* 36, ut denique Crassum et Antonium laudet *l.* 2. *c.* 14. (quamquam hoc quidem loco laudationem sic instituit, ut simul Antonio gravis quaestionis explicandae copiam faciat), porro *c.* 29, 33, 89. *l.* 3. *c.* 49 – 61. Cotta quoque et Sulpicius interdum nonnulla obiiciunt, quibus respondendo sententia Ciceronis ab omni dubitatione vindicetur *l.* 1. *c.* 29. *l.* 2. *c.* 23. *l* 3. *c.* 55. Maxime autem eo spectat omnis eorum sermo, ut discipulorum personam servando, principes illos ad dicendum perducant iisque auctoritatem addant. Itaque vel universe illos audiendi cupiditatem significant, ut *l.* 1. *c.* 21, 22, 35. *l.* 2. *c.* 90; vel de certa

ali-

aliqua re praecepta petunt; ut *l.* 1. *c.* 32, 47, et *l.* 2. *c.* 57, ubi aptisſime Sulpicio, quod porro contra Iulium afferret, non habenti, Crasſus ſuccurrit; vel illorum disputationi ſe fidem habere profitentur, ut *l.* 2. *c.* 23. *l.* 3. *c.* 12, 36. Cum iis hac in re Caeſar quodammodo coniungi posſit, ſi eius de iocis disputationem excipias. Hic enim ceteris fere locis illos ad dicendum impellit modo voluntatis ardore testando, ut *l.* 2. *c.* 4, 7, 90. *l.* 3. *c.* 5, 61, modo laudando, ut *l.* 2. *c.* 14, modo aliquid obiiciendo, ut *l.* 2. *c.* 73, modo denique, quae Crasſus dixerit, ſibi probari ſignificando *l.* 3. *c.* 36.

CA-

CAPUT QUARTUM.

ARGUMENTUM A DISPUTANTIUM CONSENSU PETITUM ILLUSTRATUR.

§ I.

Disputantes saepe inter se consentire ostenditur.

Ad efficiendam ex aliquo libro scriptoris sententiam nihil utilius mihi videri solet, quam similium inter se locorum comparatio. Saepe enim quae res hic verbo tantum attingitur, ea illic explanatur; quae hic longiori implicatur disputationi, alibi ea in breve contracta proponitur. Ita denique illud assequimur, ut si quid saepius alio atque alio modo repetitum videmus, id esse principium intelligamus, unde scriptor proficiscatur, quo igitur cetera plerumque referri possint. Nullo autem in genere scriptorum maior est huius rei utilitas, quam in dialogis, ubi non tantum huc attendendum est, si singuli disputantes sibi ipsis constant, sed multo magis etiam, si duobus pluribusve de eadem re similis

tri-

tribuitur sententia. Utrumque in Ciceronis *de Oratore* libris invenitur. Atque prius quidem illud genus quamquam plus ad illustrandum prodest quam ad confirmandum, tamen illud Ciceronem docere voluisse rite coniicitur, si quis haereat et habitet in aliquo loco, ac subinde ad eum revertatur, ut Crassus de philosophia male ab Oratoris facultate seiuncta disserens *l.* 1. *c.* 11. *l.* 3. *c.* 16—20, 27, 31, Antonius de argumentis non e rhetorum doctrina, sed e certis locis petendis *l.* 2. *c.* 30, 39, 41. Alterum genus, quod in eo cernitur, si disputantes sibi invicem consentiunt, duplici modo inducitur. Interdum enim consensus iste non aperta significatione declaratur, facile tamen agnoscitur, cum disputantes vel iisdem verbis, vel paululum immutatis rem, de qua sermo sit, exponant. Ita quanam in civitate maxime floreat eloquentia, Crassus his verbis significat *l.* 1. *c.* 8: „ haec una res in *omni libero populo*, maxi„ meque in *pacatis tranquillisque civitatibus* „ praecipue semper floruit semperque dominata „ est". Nihil similius esse potest his Antonii *l.* 2. *c.* 8: „ nam ut usum dicendi omittam, qui „ in *omni pacata et libera civitate domina*„ *tur*". Nec minor apparet convenientia inter *l.* 1. *c.* 17. et *c.* 21, quibus locis uterque significat se non desperare perfectum Oratorem oriri ali-

aliquando posse. Creberrime autem alter alterius orationem nominatim laudat, eique se assentire praedicat, ut Crassi Antonius *l.* 1. *c.* 28. (conf. *c.* 25), 60. (conf. *c.* 33.), *l.* 2. *c.* 9. (conf. *l.* 1. *c.* 12, 15), 30. (conf. *c.* 29); ut Antonii Crassus *l.* 2. *c* 57. (conf. *c.* 8.), *l.* 3. *c.* 6: „ una est enim, quod ' etc. (conf. *l.* 2. *c.* 82: „ et quamquam una fere" etc.), *c.* 30. (conf. *l.* 2. *c.* 39).

§ II.

Vis huius argumenti explicatur.

Iam quaeritur, quid hoc consensu Cicero spectaverit ad suam sententiam declarandam vel confirmandam. Crassum igitur si ex eius mente disputare constat, sequitur, omnia loca, quibus huic ceteri se assentire dicunt, idcirco inducta esse, quo magis ea sententia lectorum animis infigeretur; ipsum autem, si quando aliorum opinioni suum calculum adiiciat, eo ipso, quae ab iis dicta sint, ab omni dubitatione vindicare. Hinc etiam Caesaris disputationi magnum accedit pondus, quam laudando confirmat Crassus *l.* 3. *c.* 53. Eadem est Antonii ratio, si spectemus ea, quae ab isto dicuntur libro secundo, ubi v. c. et Catulus eius sententiam confirmat *c.* 10. et ipse Caesaris praeceptum e Ciceronis mente

stu-

fluxisse consensu suo probat *c*. 56. Quod autem in altera sermonis parte, quae *l*. 1. *c*. 48. sqq. continetur, iis consentit, quae Scaevola dixerat *c*. 9, 10, hinc minime efficitur eam esse Ciceronis sententiam, cum utrumque refellendi tantum causa induci ostenderimus *Cap*. 3 §§ 1, 3. Neque vero tantum hoc valet in iis, quae disputantes tamquam suam sententiam proferunt, sed passim etiam veterum philosophorum et rhetorum placita ab altero proposita vel alterum, vel eumdem confirmantem videmus unde quid ipse Cicero de iis sentiat, intelligi possit. Sic eloquentiam esse virtutem, Oratorem esse sapientem e Mnesarchi oratione referenti Antonio *l*. 1. *c*. 18. Crassus assentitur *l*. 3. *c*. 14, 18. Aliud exemplum est in Apollonio *l*. 1 *c*. 28. et in Menedemo *ib*. *c*. 19 cuius praeceptum „ Caput „ enim esse arbitrabatur Oratoris, ut et ipsis, apud „ quos ageret, talis, qualem se ipse optaret, „ videretur — et uti eorum, qui audirent, sic „ afficerentur animi, ut eos affici vellet Orator", illic a se relatum, postea *l*. 2. *c*. 41. e sua persona tradit Antonius. Quin Crassus *l*. 1. *c*. 13. Graecorum obiectioni de Demosthene iam ante respondet, quam ea (*c*. 19.) ab Antonio memoretur. Nam de universa artis descriptione, quam e rhetoribus Crassus edit *l*. 1. *c*. 31, 32, supra monui *c*. 1.

§ III.

§ III.

Inde maxime cognosci ostenditur Ciceronis sententiam, si quis aliquid prius a se negatum deinde concedit.

Inter varios modos, quibus Cicero de sua sententia mutuis sermonibus implicata passim aliquid significat et suspicari sinit, observasse mihi videor unum, qui, cum ad consensum apte referri possit, hoc eum capite complectendum, quia vero plurimum lucis affert, singulari § illustrandum censui. Scilicet in istis dialogis, ubi ipse loquens inducitur, saepe post longiorem suam disputationem reliquos assentientes facit eaque concedentes, quae prius negaverint, quasi argumentorum vi et orationis probabilitate victos. Ita *in Bruto c.* 49. Atticus vulgi iudicium cum peritorum iudicio de oratore congruere negat, Ciceroni autem concedit *c.* 55. Et *Tusc. l.* 1 *c.* 12. adversarius cum animorum immortalitatem adeo pernegasset, ut de ea sibi persuaderi posse vix putaret, idem prorsus assentitur *c.* 23, 32. Aliud habetur exemplum *ib. c.* 5. coll. *c.* 11. et *Acad. l.* 4. *c.* 48. Causa quidem huius rei repetenda videtur a Ciceronis ingenio quaevis magnifica de se sentiente, tamquam sic disputationem instituisset, ut ea nemini non se

com-

commendare deberet. Quod si in illis quoque dialogis, ubi sub aliena persona latere voluit, idem accidere cernimus, quid impedit, quo minus eum idem consilium et hic sibi proposuisse arbitremur? Et in quinto quidem *de Finibus* libro *c.* 32. Q. Cicero se assentire testatur Pisoni, cuius e persona Marcum disserere satis ostendit Ernestus in eius libri argumento. Eamdem esse rationem existimo nostri operis, ubi talia passim occurrunt, nempe *l.* 1. *c.* 35, 36 coll. *c.* 9, 10: porro *l.* 2. *c.* 12. coll *c.* 11, unde colligitur, Ciceronem tunc re vera *laudationes* non praeceptis complectendas censuisse (1), denique *l.* 3. *c.* 36, ubi Cotta, qui *l.* 1. *c.* 62. dubitasset, utrius oratio sibi verior videretur, Crasso consentit, eoque ipso huius sententiam Ciceroni placuisse significat.

(1) Quod vero post ex eiusdem Antonii persona contraria docet *l.* 2. *c.* 84. (nam ea quoque tum, cum scriberet, ipsi persuasa fuisse arbitror); huc referri possunt ea, quae scribit *Orat. c. 71*: „ potest „ enim non solum aliud mihi, ac tibi, sed *mihi ipsi* „ *aliud alias videri:* nec in hac modo re" etc.

PARS

PARS SECUNDA.

CICERONIS DE PERFECTO ORATORE SENTENTIA E CRASSI CETERORUMQUE DISPUTATIONIBUS DERIVATA, ET AD CAPITA QUAEDAM REDACTA PROPONITUR.

SECTIO PRIMA.

QUID UNIVERSE DE PERFECTO ORATORE CICERO SENTIAT, EXQUIRITUR.

CAPUT PRIMUM.

PROPRIUM ORATORIS EST BENE DICERE.

Omnem disputationem ab eius rei, de qua agitur, definitione ordiri iubet Antonius *l.* I. *c.* 48. Cuius praeceptum secutus, initio investigandum putavi, quemnam Cicero his in libris Oratorem, quem

quem perfectum Oratorem intelligat. Quam rem totius fere huius disquisitionis difficillimam esse intellexi, ut vix universa in breve quoddam spatium contracta proponi posse videatur. Cum enim omnem Oratoris vim et in rebus et in verbis esse positam cuncti facile videant; de rebus quidem, sive de materia Oratori subiecta, tam vaga perque varias disputationes diffusa est Ciceronis sententia, ut, in definitionis brevitatem non cadens, post uberius indaganda sit. Illud, quod ei placuisse e compluribus locis constat, nunc significare potero: *Oratoris eiusque unius esse propriam orationem gravem, compositam, ornatam et ad hominum sensus accommodatam.* Ad hanc opinionem confirmandam triplex afferri potest locorum genus:

1°. Ea, quibus ostendit reliquas artes eloquentia carere posse, Oratorem autem sine ea non consistere, et si qui de alia arte ornate locuti sint, illam facultatem eos ab Oratore petiisse. Multi scilicet philosophi, ut Democritus, Plato, Carneades (*l.* 1. *c.* 11., conf. *Orat. c.* 20.), medici quoque, ut Asclepiades, tum Philo architectus (*l.* 1. *c.* 14) cum suis studiis dicendi facultatem coniunxerant. Unde facile quis existimaret, ornatam et politam orationem vel earum artium propriam, vel iis cum Oratore communem esse. Hoc autem acriter negat

gat Cicero. Itaque *l.* 1. *c.* 11. Crassum haec di-centem facit: „ etenim videmus iisdem de re-„ bus ieiune quosdam et exiliter — disputavisse „ neque ob eam rem philosophiae non satisfe-„ cisse, quod non habuerint hanc dicendi in „ arte aliena facultatem". Eamdem sententiam uberius explicat Antonius *l.* 2. *c.* 9. his inpri-mis verbis: „ hoc certius nihil esse potest, „ quam quod omnes artes aliae sine eloquentia „ suum munus praestare possunt, Orator sine „ ea nomen suum obtinere non potest: ut ce-„ teri, si diserti sint, aliquid ab hoc habeant, „ hic nisi domesticis se instruxerit copiis, ali-„ unde dicendi copiam petere non possit." Quo loco *eloquentia* mihi simpliciter de ornata et copiosa oratione intelligendum videtur, non de praestanti illa facultate, quam *l.* 1. *c.* 21. *eloquentis* nomine fuerat complexus. Tantum autem abest, ut illarum artium eloquentia pro-pria sit, ut orationis ornatum, si quando affe-rant, omnem ab Oratore petiisse putandae sint. Huc pertinet locus *l.* 1. *c.* 12. ubi Crassus post-quam egit de illis philosophis, qui elegantem dictionem neglexerant, haec ait: „ quid ergo „ interest? aut qui discernes eorum, quos no-„ minavi, ubertatem in dicendo et copiam ab „ eorum exilitate, qui hac dicendi varietate et „ elegantia non utuntur? Unum erit profecto;

E „ quod

„ quod ii, qui bene dicunt, *afferunt* (1) pro„ prium; compoſitam orationem, et ornatam et „ artificio quodam et expolitione diſtinctam". Similiter in extremo capite; „ atqui totus hic „ locus philoſophorum proprius videtur: neque „ Orator, me auctore, umquam repugnabit: „ ſed cum illis cognitionem rerum conceſſe„ rit, — tractationem orationis — ſibi aſſumet; „ hoc enim est proprium Oratoris, — oratio „ gravis et ornata, et hominum ſenſibus ac „ mentibus accommodata". Apertius etiam *c.* 11: „ quamobrem ſi ornate locutus est, ſicut „ fertur et mihi videtur, phyſicus ille Demo„ critus; materies illa fuit phyſici, de qua di„ xit: ornatus vero ipſe verborum Oratoris pu„ tandus est. Et ſi Plato de rebus a civilibus „ controverſiis remotisſimis divinitus est lo„ cutus, quod ego concedo: ſi item Aristote„ les, ſi Theophrastus, ſi Carneades in rebus „ iis,

(1) Hanc vulgatam lectionem praefero ſubiunctivo *afferant*, quem ſubſtituit Ernestus. Illud enim *unum* non referendum videtur ad *eos qui bene dicunt*; ſed ad ſuperiora, ut hic ſit ſenſus: unum intererit, una re illorum ubertas ab horum exilitate diſcernitur: eam autem rem *ii*, *qui bene dicunt* (i. e. *Oratores*, ut patet e comparatis *l.* 1. *c.* 6. *l.* 2. *c.* 2.) propriam afferunt, compoſitam orationem etc.

„ iis, de quibus disputaverunt, eloquentes, et „ in dicendo ſuaves atque ornati fuerunt: ſint „ hae res, de quibus disputant, in aliis quibus- „ dam ſtudiis: oratio quidem ipſa propria est „ huius unius rationis, de qua loquimur et quae- „ rimus". *c.* 14: „ Atque haud ſcio, an minus „ hoc vobis ſim probaturus: equidem non du- „ bitabo, quod ſentio, dicere. Phyſica ista „ ipſa et mathematica, et quae paulo ante cete- „ rarum artium propria poſuisti, ſcientiae ſunt „ eorum, qui illa profitentur. Illustrare autem „ oratione ſiquis istas ipſas artes velit, ad Ora- „ toris ei confugiendum est facultatem. Neque „ enim ſi Philonem illum architectum, qui „ Athenienſibus armamentarium fecit, conſtat „ perdiſerte populo rationem operis ſui reddi- „ disſe, existimandum est, architecti potius ar- „ tificio diſertum, quam Oratoris fuisſe": et paulo post: „ neque vero Asclepiades is, quo „ nos medico amicoque uſi ſumus, tum, cum „ eloquentia vincebat ceteros medicos, in eo „ ipſo, quod ornate dicebat, medicinae facul- „ tate utebatur, non eloquentiae". Quae Craſ- ſo disputanti et Antonius conſentit loco, quem iam attuli, *l.* 2. *c.* 9. et Catulus *c.* 10: „ tibi „ enim asſentior, vestrum esſe hoc totum, di- „ ſerte dicere, idque ſiquis in alia arte faciat, „ eum asſumto aliunde uti bono, non proprio,

 „ nec

„ nec ſuo". Neque tantum eo ſenſu proprius Oratori vindicatur orationis ornatus, ut ſiqui alii homines copioſe dixerint, aliena facultate utantur; ſed ipſa eius rei praecepta et via a ſola Oratoris arte petenda est, quod his verbis Antonius ſignificat *l.* 2. *c.* 9: „ aut ſi via ulla, niſi ab hac „ una arte, traditur, aut argumentorum, aut „ ſententiarum, aut denique deſcriptionis atque „ ordinis". Cui ſententiae cum opponi posſe Cicero videret Aristotelis ac Theophasti exemplum, qui cum esſent philoſophi, tamen de dicendi ornamentis ſcripſisſent, haec obiicientem facit Scaevolam *l.* 1. *c.* 10, quem Crasſus refellit *c.* 13. 2°. Frequenter Oratori facultas tribuitur de alienis artibus et ſtudiis, ſi modo ea in tempus cognoverit, melius dicendi, quam illi ipſi, quorum eae ſunt artes. Audiamus Crasſum *l.* 1. *c.* 12: „ quidquid erit igitur quacumque „ ex arte, quocumque de genere, id Orator ſi „ tamquam clientis cauſam didicerit, dicet me„ lius et ornatius, quam ille ipſe eius rei in„ ventor atque artifex". Quam ſententiam deinde illustrat exemplo Antonii *c.* 14, Sulpicii *c.* 15. et comparatione a poetis ſumta *c.* 16. Eamdem laudando confirmat Antonius *l.* 2. *c.* 9: „ Orator de iis rebus, quae ceterarum artium „ ſunt, ſi modo eas cognorit, optime potest di„ cere". Add. *l.* 3. *c.* 21, ubi Crasſus ostendit

dit Oratorem, per illam orationis facultatem ſibi propriam, in disputando de rebus in philoſophia ſitis ipſos philoſophos facile ſuperaturum. 3°. Talia loca inveniuntur, quibus etſi id non diſerte doceat, tamen iusta concluſione effici posſit, hanc Oratoris notionem eius animo informatam fuisſe. Huc refero *l.* 2. *c.* 27, ubi Oratoris praecipua vis in eo ponitur, ut ea, quae dicenda ſunt, ornate, copioſe, varieque dicat. Et ib. *c.* 44. non rebus ipſis, ſed *orationi* plurimum praeſidii tribuitur ad auditorum animos permovendos. Historia propter *orationis flumen et varietatem* eius munus maximum dicitur ib. *c.* 15. Denique quod dixi propriam eius esſe orationem, ad hominum ſenſus accommodatam, ſignificat hoc Antonius *l.* 2. *c* 38: „ haec enim „ nostra oratio multitudinis est auribus accom- „ modanda, ad oblectandos animos, ad impel- „ lendos, ad ea probanda, quae non aurificis „ ſtatera, ſed quadam populari trutina exami- „ nantur".

Ex his, ni fallor, apparet, Ciceronem nihil magis Oratoris proprium existimasſe, quam ipſam orationis facultatem, ſine qua ne cogitari quidem Orator aut fingi posſit, et cuius laudem ei concedere debeant reliquae artes. Nec abhorrent alia eiusdem ſcripta, e quibus unum alterumque locum non probandi cauſa (nam e libris

bris de Oratore tota ſententia elicienda est), ſed ut inſuper confirmem, afferre liceat. In *Orat. c.* 19. haec ait: „ ſed iam illius perfecti Oratoris „ et ſummae eloquentiae ſpecies exprimenda „ est: quem hoc uno excellere, id est, oratio- „ ne, cetera in eo latere, indicat nomen ipſum. „ Non enim inventor, aut compoſitor, aut ac- „ tor haec complexus est omnia, ſed et Graece „ ab eloquendo ῥήτωρ, et Latine eloquens dic- „ tus est. Ceterarum enim rerum, quae ſunt „ in Oratore, partem aliquam ſibi quisque vin- „ dicat: dicendi autem, id est eloquendi, ma- „ xima vis ſoli huic conceditur". Et *de Offic. l.* 1. *c.* 1: est Oratoris proprium apte, distincte, „ ornate dicere".

CA-

CAPUT SECUNDUM.

DE MATERIA ORATORI SUBIECTA ET COGNITIONE AD ELOQUENTIAM TRACTANDAM NECESSARIA.

---

§ I.

Duplex genus Oratorum Cicero distinguit. Primum de vulgari Oratore.

Ad materiam quod attinet Oratori ſubiectam et ſcientiam ei neceſſariam; frequenter incidimus in talia loca, quae distinctionem aliquam contineant inter *vulgarem* et *perfectum* Oratorem: de illo igitur Ciceronis ſententia breviter expoſita, quid huic tribuat, per oppoſitionem facilius patebit. Neque tamen hanc distinctionem adeo *ſtatuere* videtur, quam potius ob rei difficultatem *admittere*. Primum huius rei veſtigium apparet *l.* 1. *c.* 15, ubi postquam ſic univerſam et propriam Oratoris vim definivit: „ is „ Orator erit, mea ſententia, hoc tam gravi „ dignus nomine, qui *quaecumque* res inciderit, quae ſit dictione explicanda, prudenter, „ et

„ et composite, et ornate, et memoriter dicat „ cum quadam etiam actionis dignitate"; mox sentit se nimium onus hominibus imposuisse. Itaque cum illo tempore Graeci rhetores, ut Crassus significat *l.* 1. *c.* 11. iudiciali tantum ac deliberativo genere munus oratorum definire solerent, hoc hominum inertiae concedit Cicero, eumque, qui in istis generibus versetur, licet non perfecti Oratoris, tamen Oratoris nomine dignum censet. conf. *c.* 6. Huic ad eas causas tractandas praeter orationis facultatem, de qua superiore capite egi, necessarius est usus forensis, quo pertinet, „ ut sciat", veluti Crassus ait *l.* 3. *c.* 19. „ aut negare oportere, quod ar- „ guare, aut, si id non possit, tum ostendere, „ quod is fecerit, qui insimuletur, aut recte „ factum, aut alterius culpa aut iniuria, aut „ ex lege, aut non contra legem, aut impru- „ dentia, aut necessario, aut non eo nomine „ usurpandum, quo arguatur, aut non ita agi, „ ut debuerit ac licuerit". Eadem res dicitur ib. *c.* 24: „ instrumentum forense, litigiosum, „ acre, tractum ex vulgi opinionibus". Praeterea vulgari illi Oratori perdiscendam commendat eam philosophiae partem, quae est de vita et moribus *l.* 1. *c.* 13, 15. Quae de reliquis artibus et studiis aliquando dicere opus est, ea in tempus assumere poterit ab hominibus earum re-

rum

rum peritis *l.* 1. *c.* 15, 16. Talem igitur vulgarem Oratorem, (minime confundendum cum eo, qui caufidici, proclamatoris et rabulae nomine notatur *l.* 1. *c.* 46) Crasfus memorat *l.* 1. *c.* 62: „ verum ego non folum arbitrabar, his „ praefertim audientibus, a me informari oportere, qualis esfe posfet is, qui habitaret in „ fubfelliis, neque quidquam amplius afferret, „ quam quod caufarum necesfitas postulat", et *l.* 3. *c.* 21. Eumdem Antonius *diferti* appellatione distinguit ab *eloquenti l.* 1. *c.* 21, et *copiofi* nomine opponit Oratori *fapienti*, i. e. perfecto *l.* 2. *c.* 23. Eaque vulgari cognitione contentum fe profitetur Sulpicius *l.* 3. *c.* 36.

§ II.

De Oratore perfecto.

In iisdem caufis forenfibus et *communibus* (i. e. in quibus de republica disceptatur, vid. *l.* 1. *c.* 49.) quibus vulgarem illum comprehenderat Cicero, praecipue quoque verfatur Orator fummus et perfectus, vid. *l.* 1. *c.* 12: „ nam fi quis „ erit, qui hoc dicat, esfe quasdam oratorum „ proprias fententias atque caufas, et certarum „ rerum forenfibus cancellis circumfcriptam fcien„ tiam, fatebor equidem in his magis asfidue

„ ver-

„ verſari hanc noſtram dictionem". Neque tamen iis definitur eius munus, quod contra latisſime patet. Cum quidem esſent antiqui rhetores, qui praeter illas cauſas infinitam de omnibus rebus quaestionem Oratori asſignarent, hanc ſententiam ex Antonii perſona Cicero *l.* 2. *c.* 15, 16 ita circumſcribit, ut excludendo res in intimis doctrinis abſconditas et a communi hominum vita ſemotas, illa omnia Oratori complectenda esſe doceat, „ quae pertineant ad uſum „ civium, morem hominum, quae verſentur in „ conſuetudine vitae, in ratione reipublicae, in „ hac ſocietate civili, in ſenſu hominum commu- „ ni, in natura, in moribus". Nihil igitur est in his rebus, quod quidem graviter ornateque dici debeat, quin ſit ſummi Oratoris proprium. Multa huc afferri posſunt loca, dummodo teneamus illam Antonii exceptionem. Crasſus *l.* 1. *c.* 13 *in fine;* „ Oratorem plenum atque perfectum „ esſe eum dicam, qui de omnibus rebus posſit „ varie copioſeque dicere". Nec non *l.* 3. *c.* 20: „ illa vis autem *eloquentiae* (quod vocabulum de perfecti Oratoris facultate intelligendum, ſicut Antonius *l.* 1. *c.* 21. eloquentem memoraverat)" tanta est, ut omnium rerum, „ virtutum, officiorum, omnisque naturae, quae „ mores hominum, quae animos, quae vitam „ continet, originem, vim, mutationesque te-

„ ne-

„ neat; eadem mores, leges, iura describat, „ rempublicam regat, omniaque, ad quamcun„ que rem pertineant, ornate copioſeque dicat". Antonius *l.* 2. *c.* 8. *in fine:* „ neque enim ulla „ non propria Oratoris est res, quae quidem or„ nate dici graviterque debeat". Itaque ad eius munus pertinent laudatio, cohortatio, conſolatio aliaque officia, quae recenſet Antonius *l.* 2. *c.* 10 – 18, praeſertim etiam historia, *ib.* *c.* 9; 12 – 16. Hinc *l.* 1. *c.* 11 Crasſus Platonem ſibi ſummum Oratorem viſum esſe dicit, et *l.* 3. *c.* 32 Socrates a Catulo dicitur „ eloquentior — „ et diſertior, et, ut tu appellas, copioſior et „ melior Orator"; quorum tamen neuter ullam cauſam forenſem attigerat.

Cum igitur materies Oratori ſubiecta nullis fere terminis circumſcripta ſit, „ dicendi autem „ virtus, niſi ei, qui dicit, ea, de quibus di„ cit, percepta ſint, exſtare non posſit" (ut ait Crasſus *l.* 1. *c.* 11, conf. *c.* 12, 14 *in fine*); conſequitur maximam plurimarum rerum cognitionem Oratori necesſariam esſe. Crasſus *l.* 3. *c.* 14 „ verum enim Oratori", inquit, „ quae „ ſunt in hominum vita, quandoquidem in ea „ verſatur Orator, atque ea est ei ſubiecta ma„ teries, omnia quaeſita, audita, lecta, dispu„ tata, tractata, agitata esſe debent". Hinc idem paulo post eloquentiam appellat vim,

„ quae

„ quae *scientiam complexa rerum* sensa mentis „ et consilia sic verbis explicat" etc. Et *c.* 30 *in fine* et 31. haec dicit: „ non enim solum „ acuenda nobis neque procudenda lingua est, „ sed onerandum complendumque pectus maxi- „ marum rerum et plurimarum suavitate, copia, „ varietate. Nostra est enim — omnis ista pru- „ dentiae doctrinaeque possessio" etc. Quibus autem rebus ea cognitio contineatur, aliquanto fusius persequendum est, si prius nonnulla dixero de ratione, qua eas addisci vult Cicero. Ceterum Oratorem sine uberrima scientia perfectum esse non posse, ex ipsius etiam persona docetur *l.* 1. *c.* 6. et *l.* 2. *c.* 1 et 2.

§ III.

De modo doctrinae illius addiscendae.

Ciceronis sententiae priore § expositae hoc obiici poterat: Oratores in tantis occupationibus, quas forum, exercitatio, cetera negotia afferrent, non posse satis temporis tribuere cunctis illis rebus addiscendis, quibus multi homines totas aetates consumsissent. Hoc igitur ipse sibi obiicit ex Antonii persona *l.* 1. *c.* 18. *init.* *c.* 51. *init.* et *c.* 59, qui refellitur a Crasso. Dixerat hic iam *l.* 1. *c.* 12 *in fine* Oratorem philosophis cogni-

nitionem rerum concedere, quod in ea solum „ illi voluerint elaborare", et *c.* 13 *in fine* „ esse quasdam artes proprias eorum, qui in „ his cognoscendis atque tractandis studium suum „ omne posuissent". Sed idem fusius explicat *l.* 3. *c.* 23, 31, cuius disputationis haec sit summa: sine doctrina (quod quidem de iuris civilis cognitione contenderat Antonius *l.* 1. *c.* 59.) illae res percipi nequeunt, „ neque tam est acris „ acies in naturis hominum et ingeniis, ut res „ tantas quisquam, nisi monstratas, possit vide- „ re". Sed non adeo difficile est eas addiscere, dummodo bonus magister et acre adsit ingenium; neque enim sequendus est mos eorum, „ qui ip- „ sarum artium tractatu delectati, nihil in vita „ sunt aliud acturi"; sed tantum assumendum, quantum ad usum sufficiat et *elementa rerum* cognoscenda, (id enim esse videtur *c.* 31. *fontes videre*) quae quis satis felici praeditus ingenio celeriter percipit.

CA-

CAPUT TERTIUM.

DE VARIIS SCIENTIAE GENERIBUS.

§ I.

Oratori perfecto philosophia necessaria est.

Cicero sua aetate philosophiam ab eloquentia separatam haberi, passim in hoc opere queritur. Nimirum antiquissimis temporibus omnium rerum, quae ad vitam hominum et mores pertinerent, cognitio coniuncta erat cum dicendi facultate et communi nomine *sapientia*, deinde *philosophia* vocabatur, qua instructi homines suis civitatibus praeërant. In huius rei exemplum afferuntur e Graecis Lycurgus, Pittacus, Solon (*l.* 3. *c.* 15. ubi locus: „ hinc illi" etc. per breviloquentiam sic intelligendus videtur: ab hac rerum scientia et dicendi vi profecti eaque instructi Lycurgi, Pittaci, Solones ad rempublicam accesserunt ac nominis celebritatem nacti sunt), praeterea Theramenes, Dion, Epamınon-

nondas, alii, praesertim autem Pericles ac Demosthenes (*l.* 3. *c.* 16, 19, 34): e Romanis Coruncanii, Fabricii, Catones, Scipiones, qui cuncti rerum maximarum scientiae, id vero est *philosophiae*, operam dederunt: nam Demosthenem etiam, de quo dubitabatur, Platonis auditorem fuisse Cicero putabat, ut patet e *l.* 1. *c.* 20, nec non e *Brut.* *c.* 31. *Orat.* *c.* 4. Alii vero republica quidem abstinuerunt seque totos ad rerum cognitionem converterunt, sed tamen etiam valuerunt eadem et cogitandi et dicendi prudentia, quales fuere Pythagoras, Democritus, Anaxagoras (*l.* 3. *c.* 15), Gorgias, Thrasymachus, Isocrates, (*c.* 16, 32). Iam vero Socrates exstitit, qui philosophiam ab Oratore segregaret, huiusque munus iudiciis tantum et concionibus definiret, idque Socratici deinceps, qui varias ipsi familias condiderunt, secuti sunt. Vid. *l.* 1. *c.* 11, 13. *l.* 3. *c.* 15, 16. Hinc vero factum est, ut Oratores quoque philosophiam despicerent et in rhetorum libris nihil de virtute, de diis immortalibus, de republica, de similibus rebus inveniretur, *l.* 1. *c.* 19, *l.* 3. *c.* 19, 20, 21 *in fine.* Atque hoc Cicero vocat (*l.* 3. *c.* 16) „ discidium illud — linguae atque cordis „ absurdum sane et inutile et reprehendendum, „ ut alii nos sapere, alii dicere docerent". Et huius rei indignitate commotus pluribus locis philo-

losophorum arrogantiam notat, ut *l.* 1. *c.* 42, 43, 49, 50. *l.* 3. *c.* 31. Statuit igitur, ut veteres illi philosophiam (sive sapientiam) cum eloquentia coniunxissent, ita nunc quoque si quis Orator ad illorum magnitudinem adspirare vellet, ei philosophiam esse assumendam, nec eam a summi Oratoris perfectione abesse posse *l.* 3. *c.* 35. Hinc *l.* 2. *c* 23 *extr.* pro *perfecto* Oratore ponit *sapientem*, et *ib.c.* 80 coniungit *sapientiae laudem et eloquentiae*, conf. *l.* 1. *c.* 18, 23. *l.* 3. *c.* 18. Fuit eadem sententia Mnesarchi et Charmadae (*l.* 1. *c* 18), cuius quidem disputationem sibi fidem fecisse profitetur Antonius *c.* 20. Cum autem iam sic universe philosophiam Oratori necessariam esse appareat, tum tria sunt, in quibus haec necessitas praecipue cernatur.

1°. Quod in Oratore maximum est, ut quocumque velit, hominum animos trahat (*l.* 1. *c.* 19, conf. *l.* 2. *c.* 41), id sine diligentissima pervestigatione naturae humanae et causarum, quibus mentes permoventur, effici nequit; ea vero cognitio ad intimam philosophiam pertinet. Hanc igitur philosophiae partem, ut supra vidimus, ne a vulgari quidem abesse voluit Oratore, nedum a perfecto. Itaque Charmadae sententiae, quam refert Antonius *l.* 1. *c.* 19: „ et uti „ eorum, qui audirent, sic afficerentur animi, „ ut eos affici vellet Orator: quod item fieri

„ nul-

„ nullo modo posse, nisi cognosceret is, qui „ diceret, quot modis hominum mentes, et qui- „ bus rebus, et quo genere orationis in quam- „ que partem moverentur; haec autem esse pe- „ nitus in media philosophia retrusa atque ab- „ dita", convenit Crassi disputatio *c.* 12. „ Quis enim nescit, maximam vim exsistere „ Oratoris in hominum mentibus vel ad iram, „ aut ad odium, aut dolorem incitandis, vel ab „ hisce iisdem permotionibus ad lenitatem mise- „ ricordiamque revocandis? quare nisi qui na- „ turas hominum, vimque omnem humanitatis, „ causasque eas, quibus mentes aut incitantur, „ aut reflectantur, penitus perspexerit, dicen- „ do, quod volet, perficere non poterit. At- „ qui totus hic locus philosophorum proprius „ videtur: neque Orator me auctore unquam „ repugnabit", et *c.* 14: „ num admoveri possit „ oratio ad sensus animorum atque motus vel „ inflammandos, vel etiam exstinguendos (quod „ unum in Oratore dominatur), sine diligentis- „ sima pervestigatione earum omnium rationum, „ quae de naturis humani generis ac moribus a „ philosophis explicantur". Atque ea ipsa, quae Antonius in contrariam partem affert *c.* 51, ad confirmandum composita sunt; vid. modo *P. I. c.* 3. § 1. conf. etiam quae ipse Cicero monet *l.* 1. *c.* 5: omnes animorum motus" etc.

2°. Virtutum et vitiorum cognitione, quae est etiam philosophiae pars, in laudando et vituperando carere non possumus. Ad hoc ipsum demonstrandum Antonius laudandi praecepta fusius persequitur *l.* 2. *c.* 85.

3°. Exercitationem in utramque partem disputandi, vel contra omne, quod propositum sit, copiose disserendi, quae fuit olim Oratoris propria sive „ eorum, a quibus omnis de rebus forensibus dicendi ratio et copia petebatur", iam philosophi sibi arrogarunt. *l.* 1. *c* 62. *l.* 3. *c.* 27. Est autem ea Oratori utilissima cum ad exercendam dicendi facultatem (*l.* 1. *c.* 34, conf. etiam *Tusc. l.* 2. *c.* 3), tum ad ipsum usum in exornanda oratione (*l.* 3. *c.* 29); ut vel sine ea perfectus Orator consistere nequeat *l.* 3. *c.* 19, 21. Cuius facultatis egregium exemplum in huius ipsius operis libro primo Cicero praebet; ubi Crassus et Antonius in contrariam partem ita disputant, ut in fine Sulpicius et Cotta dubitent, „ utrius oratio propius ad veritatem videretur accedere". *l.* 1. *c.* 62.

§ II.

Quaenam ei disciplina maxime conveniat.

Cum igitur Oratori sapientia necessaria sit, eam

eam autem philosophi sibi vindicaverint, illi nihil restat, nisi ut ab his assumat id, quod sibi ereptum est. Vid. *l.* 3. *c.* 27: „ sed quoniam" etc. *c.* 31: „ quae quoniam iam aliunde non „ possumus, sumenda sunt nobis ab iis ipsis, a „ quibus expilati sumus". Quaeritur autem, quaenam familia earum, quae nunc exsistant, Oratori maxime apta sit. Quatuor sectae a Cicerone in iudicium vocantur, Stoïci, Epicureï, Peripatetici et Academici, siquidem ceterae iam diu ante eius aetatem exstinctae erant, ut refert *l.* 3. *c.* 17. Ac Stoïcorum quidem philosophia duabus de caussis abhorret ab Oratore perfecto, cum propter ipsa placita, tum propter dicendi genus, quo utuntur. Itaque Antonius *l.* 1. ostendens, philosophiam Oratori non adhibendam esse, exempla sumit a Stoïcis, et in iis quidem perstringendis ipsius Ciceronis sententiam exprimit. Reprehenduntur autem in eo, quod statuunt nullos esse animorum motus *l.* 2. *c.* 51; quod vetant orationis vehementiam ac tragoedias adhibere *ib.* 53; „ quod omnes, qui „ sapientes non sint, servos, latrones, hostes, „ insanos esse dicunt, neque tamen quemquam „ esse sapientem" *l.* 3. *c.* 18. Porro dicendi genus, quo utuntur, nimis est subtile, ieiunum, aridum et vulgi auribus minime accommodatum, *ib.* et *l.* 2. *c.* 38. Neque dialectica, qua illi

inprimis valent, Oratori multum prodest (*ib.* contraria docet *Brut. c.* 90. *Orat. cap.* 32), excepta ea parte, quae versatur in ambiguis distinguendis, quae Oratori cum dialecticis communis esse debet. *l.* 2. *c.* 26. De Epicureis, unus locus est *l.* 3. *c.* 17: „ ea philoso„ phia, quae suscepit patrocinium volupta„ tis — procul abest — ab eo viro, quem „ quaerimus, et quem auctorem publici consi„ lii — esse volumus — ego non quaero „ nunc, quae sit philosophia verissima, sed „ quae Oratori coniuncta maxime". Reliqui sunt Peripatetici et Academici recentiores, quorum illi propriam sibi vindicaverant exercitationem de omnibus rebus in utramque partem disputandi. Vid. *l.* 1. *c.* 10: „ Peripatetici autem „ etiam haec ipsa, quae propria Oratorum pu„ tares esse adiumenta atque ornamenta dicen„ di, ab se peti vincerent oportere" (ubi *adiumenta* sunt illa ipsa exercitatio, quam eodem nomine significat Catulus *l.* 3. *c.* 22); porro *c.* 62. *l.* 3. *c.* 21. Academia vero, quam condiderat Arcesilas (etsi nonnunquam idem ei tribuitur mos, ut *l.* 3. *c.* 27.) proprie tamen id agebat, ut contra omne, quod esset propositum, ubere dissereret. Vid. *l.* 1. *c.* 10: „ Insta„ ret Academia" etc. *l.* 3. *c.* 18. et conf. *de Fin. l.* 5. *c.* 4. Has igitur Cicero philosophias Ora-

Oratori perfecto maxime commendat, *l.* 3. *c.* 19, 21, et ipse divisionem *generum ambigui* ab iis sumtam proponit *c.* 28, 29. Videtur autem hac in re neutram potissimum alteri praeposuisse, nisi quis Academiam ei magis tamen placuisse efficere vellet e *l.* 2. *c.* 38, ubi Critolao praefertur Carneades; quam sententiam adiuvant etiam *Orat. c.* 3. *Orat. Part. c.* 40. Ceterum de tota hac re conf. *Dial. de caus. corr. eloq. c.* 31. *ibique Gronovius.*

§ III.

Quo modo philosophia utendum sit.

Antonius *l.* 1. *c.* 51 – 55 id agens, ut philosophiam Oratori nocere potius, quam prodesse ostenderet, speciosa sane proferebat. Sed nimirum ille (et in eo vertebatur omne disputationis vitium) ipsi philosophiae tribuebat, quod tantum tribuendum esset modo, quo eam adhiberet Orator. Huic enim abstinendum ab eruditis disputationibus ad vulgi aures haud accommodatis et ab isto dicendi genere, quod e Ciceronis mente significat idem Antonius *ib. c.* 18. „ Aliud enim mihi quoddam genus orationis esse videtur eorum hominum, de quibus paulo „ ante dixisti, quamvis illi ornate et graviter

„ aut

„ aut de natura rerum, aut de humanis rebus „ loquantur. Nitidum quoddam genus est ver„ borum et laetum, ſed palaeſtrae magis et „ olei, quam huius civilis turbae ac fori". Philoſophia contra ad exemplum illorum veterum Periclis, Coruncanii etc. traducenda est „ ad „ hanc civilem ſcientiam, quo pertinet et quam „ intuetur", ut Craſſus docet *l.* 3. *c.* 31. Et is quidem, qui forum et cauſas tractat (nam historia, quae et ipſa ad Oratoris munus refertur, leniore tamen utitur genere dicendi *l.* 2. *c.* 15); ſed forenſis Orator ad philoſophiae ubertatem adiungere debet *nervos forenſes*, i. e. robur et vehementiam orationis. Vid. *l.* 3. *c.* 21: „ quique ad eam rationem adiungat hunc rhe„ toricum uſum, moremque exercitationemque „ dicendi, is ſit verus, is perfectus, is ſolus „ Orator. Nam neque ſine forenſibus nervis „ ſatis vehemens et gravis, nec ſine varietate „ doctrinae ſatis politus et ſapiens eſſe Orator „ poteſt". Conf. *l.* 2. *c.* 16: „ hisce autem „ ipſis de rebus ut ita loquarur, ut ii, qui iu„ ra, qui leges, qui civitates conſtituerunt, „ locuti ſunt, ſimpliciter et ſplendide, ſine ul„ la ſerie disputationum et ſine ieiuna concerta„ tione verborum". Porro ei vitanda est omnis ſuſpicio et opinio philoſophiae, quippe quae animos eorum, qui audiunt, ab Oratore alienet eius-

eiusque auctoritatem diminuat, *l.* 1. *c.* 51 et *l.* 2. *c.* 36, ubi *Graecae res* intelliguntur philosophia, ut vel patet ex initio *capitis* 37.

§ IV.

De iure civili, historia etc.

Proximus a philosophia locus tribuitur *iuris civilis* cognitioni. Vulgari quidem Oratori minus necessaria est, qui, si quando opus sit, peritos adire poterit. *l.* 1. *c.* 15. Atque sic Antonii disputatio *l.* 1. *c.* 57 — 60. si ad vulgarem illum referatur, Ciceronis sententiae convenit. Oratorem autem perfectum (is enim significatur his verbis *c.* 37; „ eum, qui hanc „ personam susceperit, ut amicorum controver„ sias causasque tueatur, laborantibus succur„ rat, aegris medeatur, afflictos excitet") iuris civilis cognitione minime cavere posse, fuse ostendit Crassus *c.* 36 — 46. Illi „ perdiscen„ dum ius civile, cognoscendae leges"; ut ait idem *c.* 34. Hanc sententiam Antonius quoque tueri videtur *l.* 2. *c.* 33, ubi certe queritur de Iurisconsultis, quorum culpa factum esset, ut Oratores a iure discendo deterrerentur. Conf. etiam ipse Cicero *l.* 1. *c.* 5: „ neque legum „ aut iuris civilis scientia negligenda est".

Ora-

Oratori ſummo praeterea commendatur *iuris publici* cognitio, quod quid ſit, optime explicari videtur *l.* 1. *c.* 34: „ ſenatoria conſuetudo, „ disciplina reipublicae, iura ſociorum, foedera, „ pactiones, cauſa imperii". Historia quoque ei tenenda est, et memoria antiquitatis, ut, quotiescunque opus ſit, iusta ſuppetat exemplorum copia. De qua tota re vid. *l. c.* et *l.* 1. *c.* 14: „ num apud populum de legibus iubendis aut „ vetandis: num in ſenatu de ómni reipublicae „ genere dici ſine ſumma rerum civilium cogni„ tione et prudentia"; *c.* 46. *l.* 2. *c.* 30, nec non *l.* 1. *c.* 5: „ tenenda praeterea est omnis „ antiquitas exemplorumque vis".

Denique requiritur, ut omnibus artibus humanioribus et libero dignis perpolitus ſit, ſine quibus neminem in Oratorum numero habendum cenſet Crasſus *l.* 1. *c.* 16; quo reſpicit etiam Antonius *l.* 2. *c.* 17: „ omnium ceterarum ora„ tio, mihi crede, ludus est homini non hebe„ ti, neque inexercitato, neque *communium* „ *literarum et politioris humanitatis* experti". Praeſertim quidem huc referre licet literarum ſtudium et veterum Oratorum ac poëtarum cognitio, quam duplici de cauſa commendat. Primum enim eâ Latine loquendi elegantia expolitur et augetur, ut ait Crasſus *l.* 3. *c.* 10. Tum lepos, qui plurimum in oratione valet, oritur

qui-

quidem e naturali ingenii felicitate; sed illis tamen studiis multum adiuvatur, id quod Crassus dicit *l.* 1. *c.* 34: „ libandus etiam ex omni ge-„ nere facetiarum quidam lepos". His autem ipsis facetiis, si quando adhibeantur, apparet Oratorem esse „ politum hominem, *eruditum*, urbanum", ut ait Caesar *l.* 2. *c.* 58. Idem vocabulum *eruditio* in eadem re Cicero usurpat *l.* 1. *c.* 5: „ accedat eodem" etc. et *l.* 2. *c.* 35: „ ut *erudita* sit (oratio)"; alio nempe sensu, quam quo philosophis *oratio erudita* tribuitur in *Paradoxorum Proöemio* aliisque locis. Nec excluditur armorum ars et palaestra, quippe quae actioni plurimum utilitatis afferunt. *l.* 3. *c.* 59.

CA-

CAPUT QUARTUM.

DE SUMMA MUNERIS ORATORII MAGNITUDINE.

§ I.

De huius rei praestantia.

Perfecti Oratoris munus ita his in libris exponitur, ut disserentes tamen haud uno loco significent eam rem tantam esse, quae neque suis disputationibus, neque rhetorum praeceptis comprehendi possit. Vid. Crassus *l.* 1. *c.* 46. *extr. l. c.* 14: „ quare omnes istos, me aucto„ re, deridete atque contemnite, qui se horum, „ qui nunc ita appellantur, rhetorum praecep„ tis omnem Oratorum vim complexos esse ar„ bitrantur, neque adhuc, quam personam te„ neant, aut quid profiteantur, intelligere po„ tuerunt". Idem *ib. c.* 20. omnes rhetores vocat: „ perridiculos. Scribunt enim", inquit, „ de litium genere, et de principiis et de nar„ rationibus. Illa vis autem eloquentiae tanta „ est"

„ est" etc. nec alia de caufa duos illorum lepide irridet *c.* 21. *in fine.* Vid. porro *c.* 30: „ quare non est paucorum libellorum hoc mu„ nus, ut ii, qui fcripferunt de dicendi ratio„ ne, arbitrati funt, neque Tusculani, atque „ huius ambulationis antemeridianae, aut nos„ trae pomeridianae fesfionis", et Antonius *l.* 2. *c.* 19, 20: „ omninoque in hoc omnis est er„ ror, quod existimant, artificium esfe hoc „ quoddam non disfimile ceterorum, cuiusmo„ di de ipfo iure civili hesterno die Crasfus „ componi posfe dicebat: ut genera rerum pri„ mum exponerentur — deinde fingulorum ge„ nerum partes — tum verborum omnium de„ finitiones — fed hoc fi in iure civili, fi eti„ am in parvis aut mediocribus rebus doctiores „ asfequi posfunt; non idem fentio tanta hac „ in re tamque immenfa posfe fieri". Ad hanc vero magnitudinem (quam etiam Crasfus fignificat *l.* 1. *c.* 28: „ hac re, quam conftat esfe „ maximam") duo referri posfunt, alterum *praeftantia*, alterum *difficultas*".

Oratore fummo et abfoluto, qui fapientiam cum dicendi facultate coniungeret, nihil Ciceroni praeftantius vifum est, fi ad hos quidem libros attendimus, ubi creberrime illam rem verbis ad coelum extollit, et quoties in id argumentum delapfus fuerit, vix modum aut finem invenire fibi potest. Univerfe hac de re legantur

tur *l.* 1. *c.* 8, 46, *l.* 2. *c.* 8, 9. Ipſi *Oratoris* nomini gravitas quaedam ineſſe ſignificatur *l.* 1. *c.* 15, 26, 46, ubi venuste reſpicitur ad antiquam eius vocabuli vim, qua ſumebatur pro *legato*, ut vel notum e *Virg. Aen. l.* 7. *vs.* 153. Eloquentia vero *Virtus* appellatur *l.* 1. *c.* 18. *l.* 2. *c.* 84. *l.* 3. *c.* 14. (quem locum laudat Quinctilianus eique asſentitur *l.* 2. *c.* 20) *c.* 18. Eadem dicitur *l.* 2. *c.* 27: „ Oratoris vis illa „ divina virtusque". conf. *c.* 20: „ alterum di- „ vinitatis mihi cuiusdam videtur", *l.* 1. *c.* 46: „ eius artis, cuius cum ipſa natura magnam ho- „ mini facultatem daret, tamen esſe Deus puta- „ batur; ut et ipſum, quod erat hominis pro- „ prium, non partum per nos, ſed divinitus ad „ nos delatum videretur", et *l.* 3. *c.* 35: „ ſin „ quaerimus, quid unum excellat ex omnibus, „ docto Oratori palma danda est". Sed ſi iam ſingula perſequi velimus, in quibus ea cernatur excellentia, modo laudem duci videmus a iucunditate, ut *l.* 1. *c.* 8: „ age vero ne ſemper „ forum, ſubſellia, rostra, curiamque medite- „ re, quid esſe potest in otio aut iucundius, „ aut magis proprium humanitatis, quam ſermo „ facetus ac nulla in re rudis"? et *l.* 2. *c.* 8: „ nam, ut uſum dicendi omittam — tanta ob- „ lectatio est in ipſa facultate dicendi, ut nihil „ hominum aut auribus, aut mentibus iucundius „ percipi posſit. Qui enim cantus moderatae

„ ora-

„ orationis pronuntiatione dulcior inveniri po-
„ test? quod carmen artificiosa verborum con-
„ clusione aptius? qui actor in imitanda, quam
„ Orator in suscipienda veritate iucundior? quid
„ autem subtilius, quam acutae crebraeque sen-
„ tentiae? quid admirabilius, quam res splen-
„ dore illustrata verborum? quid plenius, quam
„ omni rerum genere cumulata oratio"? modo
ab eorum, qui audiunt, admiratione et clamori-
bus, ut *l.* 3. *c.* 14, conf. *l.* 1. *c.* 33: „ haec
„ sunt quae clamores et admirationes in bonis
„ Oratoribus efficiunt"; modo inde, quod prae-
clarum sit ea re hominibus antecellere, qua ipsi
homines bestiis praestent, ut *l.* 1. *c.* 8: „ hoc
„ enim uno praestamus vel maxime feris, quod
„ colloquimur inter nos, et quod exprimere di-
„ cendo sensa possumus. Quamobrem quis hoc
„ non iure miretur, summeque in eo elaboran-
„ dum esse arbitretur, ut, quo uno homines
„ maxime bestiis praestent, in hoc hominibus
„ ipsis antecellat"? (conf. *de Inv.* *l.* 1. *c.* 4.
Quinct. *l.* 2. *c.* 16.): modo a tutela et praesidio,
quod Orator aut sibi, aut aliis afferre potest,
ut *l.* 1. *c.* 8: „ quid tam porro regium, tam li-
„ berale, tam munificum, quam opem ferre
„ supplicibus, excitare afflictos, dare salutem,
„ liberare periculis, retinere homines in civita-
„ te? Quid autem tam necessarium, quam tene-

„ re

„ re ſemper arma, quibus vel tectus ipſe esſe „ posſis, vel provocare improbos, vel te ulciſci lacesſitus" (1)? *c.* 37: „ qui hanc perſonam ſusceperit, ut amicorum controverſias „ cauſasque tueatur, laborantibus ſuccurrat, aegris medeatur, afflictos excitet"? *c.* 46: „ tum „ qui ſcelus fraudemque nocentis posſit dicendo ſubiicere odio civium, ſupplicioque conſtringere: idemque ingenii praeſidio innocentiam iudiciorum poena liberare"; *l.* 2. *c.* 9: „ eadem facultate et fraus hominum ad perniciem et integritas ad ſalutem vocatur". Summum autem ponitur in ea vi, quam habet Orator ad civitates conſtituendas et regendas, ad ſenatum aut populum excitandum, ſedandum, quoquo velit, flectendum. Vid. rurſus *l.* 1. *c.* 8: „ neque vero mihi quidquam — praeſtabilius „ videtur, quam posſe dicendo tenere hominum „ coetus, mentes allicere, voluntates impellere, quo velit: unde autem velit, deducere. „ Haec una res in omni libero populo, maximeque in pacatis tranquillisque civitatibus, „ praecipue ſemper floruit ſemperque dominata „ est. Quid enim est — tam potens tamque „ mag-

(1) Posteriorem huius ſententiae partem inde a verbis: „ quid autem" videtur e Platonis Gorgia libasſe.

„ magnificum, quam populi motus, iudicum
„ religiones, senatus gravitatem unius oratione
„ converti"? *c.* 46: „ idemque languentem la-
„ bentemque populum aut ad decus excitare,
„ aut ab errore deducere, aut inflammare in im-
„ probos, aut incitatum in bonos mitigare: qui
„ denique quemcunque in animis hominum mo-
„ tum res et caussa postulet, eum dicendo vel
„ excitare possit, vel sedare"; *l.* 2. *c.* 8: „ qui
„ (usus dicendi) in omni pacata et libera civi-
„ tate *dominatur*". Hinc quoque statuit homi-
nes incultos eloquentiae vi ad societatem ci-
vilem traductos esse, *l.* 1. *c.* 8: „ ut vero ad
„ illa summa veniamus: quae vis alia potuit aut
„ dispersos homines unum in locum congrega-
„ re, aut a fera agrestique vita ad hunc huma-
„ num cultum civilemque deducere, aut iam
„ constitutis civitatibus leges, iudicia, iura
„ describere"? conf. *de Inv.* *l.* 1. *c.* 2. *Quinct.*
l. c. Ac propterea, quod Orator tantum in re-
publica locum tenet, eumdem virum bonum es-
se vult *l.* 2. *c.* 20. *l.* 3. *c.* 14: „ quae quo ma-
„ ior est vis, hoc est magis probitate iungen-
„ da summaque prudentia: quarum virtutum ex-
„ pertibus si dicendi copiam tradiderimus, non
„ eos quidem Oratores effecerimus, sed furen-
„ tibus quaedam arma dederimus" (1). Quod
si

(1) Hic perperam videtur Ernestus parenthesin po-
suis-

si adiungatur, Orator maximum universae civitati ornamentum et salutem affert, *l.* 1. *c.* 8. *in fine*, et *l.* 2. *c.* 20: „ tantum ego in excellente „ Oratore et eodem viro bono pono esse ornamenti universae civitati".

§ II.

De eiusdem difficultate.

Quod in omni re verum est, excellentissima quaeque maxime ardua esse, id perspicitur etiam in summi Oratoris perfectione. „ Neque „ enim", ut ait Crassus *l.* 3. *c.* 22. „ apud homines res est ulla difficilior, neque maior, „ neque quae plura adiumenta doctrinae desideret". Et Antonius *l.* 1. *c.* 28. haec dicit: „ in Oratore — acumen dialecticorum, sententiae philosophorum, verba prope poëtarum, memoria iurisconsultorum, vox tragoedorum, gestus paene summorum actorum est „ requirendus. Quamobrem nihil in hominum „ genere rarius perfecto Oratore inveniri potest". Itaque *boni Oratores* perpauci fuerunt: vid. *l.* 1. *c.* 8. „ quid est tam admirabile, quam ex infi- „ ni-

fuisse, et ea verba *quarum virtutum* referenda esse ad *probitatem* et *prudentiam*.

„ nita multitudine hominum exſistere unum,
„ qui id, quod omnibus natura ſit datum, *vel*
„ *ſolus*, *vel cum paucis* facere posſit"? et *l*. 2.
c. 46: „ cum profesſus ſis, te id posſe facere,
„ quod pauci", ut iam omittam, quae Cicero
e ſua perſona disputat in praefatione libri primi.
Perfectus autem ſive *eloquens* fortasſe nemo inventus est, ut Antonius e ſuo libro refert *l*. 1.
c. 21, cui conſentit Scaevola *c*. 17: „ quas ego,
„ ſi quis" etc. Hinc appellat Crasſus *l*. 3. *c*.
19: „ praeclaram et eximiam *ſpeciem* Oratoris
„ perfecti", quae vox e Platonico ἰδέα expresſa ſignificat aliquid ſummum et perfectisſimum,
quod non exſistat, ſed animo tantum concipiatur. vid. *Orat*. *c*. 2, 3. Forſan etiam hac de
cauſa pro *informare*, *deſcribere* dicit *quaerere*,
ib. *c*. 17: „ ab eo viro, quem *quaerimus*", et
l. 1. *c*. 21, 26. Neque tamen quod Scaevola
l. *c*. addit: „ aut vero ſi esſe posſet", Ciceronis
menti convenire videtur, qui contra ea ſpem
non disſimulat, fore aliquando, ut talis vir exſistat. Vid. modo, quae reſpondet Crasſus *ibidem*, et quae Antonius adiungit *c*. 21. Difficultas vero cum oriatur ex iis, quae Oratori
adesſe debent, augetur etiam, ſi reſpicimus ad
eos, qui audiunt. „ Magnum quoddam", Crasſus inquit *l*. 1. *c*. 25, „ est onus atque munus,
„ ſuscipere atque profiteri, ſe esſe, omnibus

„ silentibus, unum maximis de rebus, magno
„ in conventu hominum, audiendum. Adest enim
„ fere nemo, quin acutius atque acrius vitia in
„ dicente, quam recta videat: ita quidquid est,
„ in quo offenditur, id etiam illa, quae laudan-
„ da sunt, obruit". Hac de causa neminem,
nisi timide, ad dicendum accedere vult *c.* 26.
Difficillimum autem ex Oratoris operibus est iu-
diciorum contentio, ut docet Antonius *l.* 2. *c.*
17: „ in causarum contentionibus magnum est
„ quoddam opus, atque haud sciam, an de hu-
„ manis operibus longe maximum: in quibus"
etc. quo respicit etiam *c.* 24. *init.*

CAPUT QUINTUM.

QUIBUS REBUS FORMETUR ORATOR.

§ I.

De natura.

Quibus rebus Orator formaretur, cum alii aliter definivisſent, omnia, quae de illa re Cicero his in libris monuit, his tribus complecti poſse mihi videor, *natura*, *exercitatione*, *arte*. Naturae quidem princeps tribuitur locus *l.* 1. *c.* 25, *l.* 2. *c.* 87: „ confiteor equidem huius boni naturam eſse principem, ſicut earum rerum, de quibus ante locutus ſum, omnium", eiusque dona maxima in Oratore requiruntur, quippe qui ſummam in omni genere perfectionem intueri debeat, et cuius vitia, ſi qua commiſerit, tam acriter ab iis, qui audiunt, obſerventur, ut docet Craſſus *l.* 1. *c.* 25, 26, Antonius *ib.* et *c.* 28. Ea vero dona partim ad animum, partim ad corpus pertinent. Animo adſint oportet „ celeres quidam motus", ut ait Craſſus *l. c.*

ſive acumen, pro quo *l.* 2. *c.* 30. dici videtur „ naturalis quaedam prudentia". Porro memoria requiritur, in qua etiam natura plurimum valet. Itaque ipſo, quem citavi, loco celeres illi motus Crasſo dicuntur „ ad memoriam firmi „ atque diuturni", idemque ex aliis locis conſtat, ut *l.* 1. *c.* 32, ubi ad ea, „ quae maxime „ propria esſent naturae", referuntur et actio et vero *memoria*, nec non *l.* 2. *c.* 87. Accedat lepos et festivitas, quam totam a natura proficiſci docet Caeſar *l.* 2. *c.* 54: „ ſed cum in illo gene„ re perpetuae festivitatis ars non deſideretur: „ natura enim fingit homines et creat imitatores „ et narratores facetos, et vultu adiuvante et „ voce et ipſo genere ſermonis: tum vero in „ hoc altero dicacitatis, quid habet ars loci, „ cum" etc. Denique conſilium et prudentia deſideratur, qua multis in rebus Oratori opus est; v. c. ut, quid dicendum ſit, videat, *l.* 2. *c.* 37; ut in iocando temporis rationem habeat, *ib. c.* 60, ubi quidem haec dicuntur: „ tempus „ igitur dicendi prudentia et gravitate modera„ bimur; quarum utinam artem aliquam habe„ remus! *ſed domina natura est*"; ut argumenta utilisſima ſeligat *c.* 76, conf. *c.* 41; ut quando narratione utendum, quando non utendum ſit, conſideret *c.* 81. *init.*

Ad corpus naturae bonitas in his rebus cernitur,

tur, quas Crasſus enumerat *l.* 1. *c.* 25: „ lin„ guae ſolutio, vocis ſonus, latera, vires, „ conformatio quaedam et figura totius oris at„ que corporis", conf. Antonius *l.* 2. *c.* 20. *init.* Et de actione quidem iam obiter monui: vid. *l.* 1. *c.* 32. Vox autem, docente Craſſo *l.* 3. *c.* 60. „ est *optanda* nobis", i. e. eam nobis ipſi fingere non posſumus, ſed a natura petere debemus: qua ſignificatione hoc verbum etiam occurrit *l.* 2. *c.* 44. et *Orat. c.* 18. Dubito vero, ad corpus an ad mentem referam illud *decere*, quod Roſcius dicebat „ caput artis" *l.* 1. *c.* 29, conf. *c.* 28. *in fine.* Videtur quidem in utroque ſitum esſe, et univerſe venustatem quamdam ac dignitatem gestus et orationis continere; quamquam ne verbis quidem ſatis exprimi potest. Nam alio ſenſu *decere* Crasſus uſurpat *l.* 3. *c.* 55, et Cicero *Orat. c.* 21. *de Offic. l.* 1. *c.* 37. Illud autem *decere* natura quoque ſibi vindicat: nam Roſcius addiderat *l. c.* „ quod tamen unum „ id esſe, quod tradi arte non posſit". Et Antonius inter naturae dotes, quas in Oratore postulat, hoc ponit „ tentabo quid *deceat*". Cum igitur tot tantisque naturae donis Orator indigeat, ei, qui ad hoc munus accingere ſe cupit, ſuae vires prius explorandae ſunt, et, quid efficere posſit, diligenter perſpiciendum. Quod ſi natura prorſus abhorrere videtur, potius aliud ſtu-

ſtudium ſequi debet. Vid. quae Crasſus et Antonius hac de re disſerunt *l.* 1. *c.* 25, 28. *l.* 2. *c.* 20, 21. Neque tamen eos, qui mediocri valent facultate, plane deterret Cicero, ſed arte naturam adiuvari posſe existimat, ut etiam intra videbimus.

§ II.

De exercitatione.

Si quis igitur natura ſatis inſtructus videtur et ad Oratoris nomen adſpirat, ei multiplex *exercitatio* ſuscipienda est, *l.* 1. *c.* 32. *in fine:* quod quidem nomen latiore ſenſu complectitur omnia, quae Orator ipſe ad ſe fingendum efficere debet e Ciceronis praeceptis. Itaque refertur etiam ad exercitationem cognitio iuris civilis, historiae, ceterarum rerum *l.* 1. *c.* 34. De quibus cum iam ſupra dictum ſit, liceat hic illud vocabulum angustiore et proprio ſenſu ſumere de ſtudiis Oratoriis extra forum et veras cauſas. Opponitur iis *uſus l.* 2. *c.* 30: „ vel uſu, quem" etc. conf. *l.* 3. *c.* 55: „ uſus autem" etc. Quia vero tanti laboris ea ſunt (*l.* 1. *c.* 33, 60.) ante omnia in Oratore adſit ſtudium acerrimum, ut docet *l.* 1. *c.* 17, 21, 30. *l.* 3. *c.* 31. In ipſa autem exercitatione hoc primum est, ut exem-

plum

plum aliquod ſibi eligat, quod intueatur: in quo illud videndum, ut et praeſtantisſimum eligat exemplum, et ne minima ſolum, vel etiam vitioſa imitetur, vid. *l.* 1. *c.* 34, *l.* 2. *c.* 21, 22, *l.* 3. *c.* 12. „ Hanc igitur", ut ait Antonius *l.* 2. *c.* 23, „ ſimilitudinem qui imitatione asſe-„ qui volet, tum exercitationibus crebris atque „ magnis, tum *ſcribendo* maxime perſequatur". Nam ut de *ſtilo* primum dicam, vocatur hic a Crasſo *l.* 1. *c.* 33. „ optimus et praeſtantisſimus „ dicendi effector ac magister" (conf. *c.* 60.) eique quadruplex tribuitur utilitas: quod inventionem faciliorem et uberiorem efficit, *ib.*; quod collocationem expolit ac format, *ib.* et *l.* 3. *c.* 49; quod ſubitam dictionem adiuvat, *l.* 1. *c.* 33; quod nimiam ingenii foecunditatem depascit, quamquam hanc in adolescente non improbat Antonius *l.* 2. *c.* 21, ſed tamen ad maturitatem revocanda est, ut docet *ib.* et *c.* 23. De reliquis exercitationibus nec multum, nec vero nihil omnino tribuitur ſubitis dictionibus, plus aliquanto meditationi *l.* 1. *c.* 33. Commendatur etiam eloquentiae ſtudioſo, ut optimorum Oratorum Graecorum orationes Latine explicet *c.* 34, ubi praeterea Crasſus haec ait: „ iam vocis, „ et ſpiritus, et totius corporis, et ipſius lin-„ guae motus et exercitationes non tam artis „ indigent, quam laboris; quibus in rebus ha-

„ ben-

„ benda est ratio diligenter, quos imitemur, „ quorum similes velimus esse. Intuendi nobis „ sunt non solum Oratores, sed etiam actores, „ ne mala consuetudine ad aliquam deformita„ tem pravitatemque veniamus". Haec postrema, quibus consentit Antonius *c.* 28: „ gestus „ paene summorum actorum est requirendus", pugnare videntur cum *l.* 3. *c.* 59: „ omnes au„ tem hos motus subsequi debet gestus, non „ hic verba exprimens, scenicus, sed universam „ rem et sententiam, non demonstratione, sed „ significatione declarans, laterum inflexione hac „ forti ac virili, non ab scena et histrionibus, „ sed ab armis, aut etiam a palaestra", qui dissensus vix aliunde explicari possit, quam e ratione, quam significavi ad finem *Partis I. c.* 4. § 3. (1). Denique „ exercenda est etiam me„ moria, ediscendis ad verbum quam plurimis „ et nostris scriptis et alienis. Atque in ea „ exercitatione non sane mihi displicet adhibe„ re, si consueris, etiam istam locorum simula„ crorumque rationem, quae in arte traditur", de qua post agendum erit.

§ III.

(1) Constat enim aliquantum temporis interiectum Ciceroni fuisse inter libri tertii ac duorum priorum confectionem. Vid. *Middl. Vit. Cic. tom.* 2. *p.* 97. et *Franc. Orat. p.* 206.

§ III.

Quid de arte Cicero sentiat.

De quaestione, utrum dicendi *ars* esset (quod negabat Charmadas, *l.* 1. *c.* 20.), nil certum his in libris pronuntiat Cicero. Quamquam enim *l.* 2 *c.* 9. *artem* hac in re memorat, *c.* 13. Thucydidi tribuit dicendi *artificium*, et *l.* 3. *c.* 37. de Oratore dicit: „ in quo adiungat *artem*": saepius tamen dubitantis speciem prae se fert, ut *l.* 1 *c.* 23: „ sive est ars, sive artis quaedam „ similitudo", *l.* 2. *c.* 7: „ hoc totum, quid- „ quid est, sive artificium, sive studium dicen- „ di", *c.* 16. et 87. Putabat scilicet „ omnem „ esse contentionem inter homines doctos in „ verbi controversia positam", ut ait Crassus *l.* 1. *c.* 23. *Ars* quidem si per subtilem definitionem contineri censeatur rebus certis, quae a constantibus principiis deducantur, et nunquam fallant, nulla est Oratoris ars. Vid. *ib.* et *c.* 20. nec non *l.* 2. *c.* 7. Eamdem *esse*, concedit, si alio sensu accipiatur de iis, quae postquam observata sint, colligantur et in disciplinae rationem redigantur, *ib.* et *l.* 2. *c.* 8, 57. Si Logice loqui velis, hanc *methodum analyticam*, illam *syntheticam* dixeris. Potest nimirum observari, quae prosint in oratione, et quibus de

cau-

caussis alius Orator alio plus efficere possit *l.* 1. *c.* 23. 32. *l.* 2. *c.* 57. Huic observationi suam omnem facultatem acceptam refert Antonius *l.* 2. *c.* 28. conf. *l.* 1. *c.* 48. Hinc idem *auditionem* tanti facit *l.* 2. *c.* 30. et forum Oratori *ludum* esse vult *c.* 21. Itaque praecepta rhetorum, quippe quae ex illa observatione orta sint, Oratorem discere iubet Crassus *l.* 1. *c.* 34: „ omnium bonarum *artium* (i. e. librorum rhetoricorum) scriptores ac doctores et legendi, et „ pervolutandi, et exercitationis causa laudandi, „ interpretandi, corrigendi, vituperandi, refellendi"; et Antonius *l.* 2. *c.* 20: „ ista ipsa „ praecepta acceperit": non solum quoniam hoc est „ homine ingenuo liberaliterque educato „ dignum" (*l.* 1. *c.* 31.) et „ ad cognoscendum „ non illiberale" (*cap.* 32.); verum etiam propter utilitatem, quam affert. Haec partim in eo cernitur, ut ars ea, quae natura vitiosa sint in Oratore, limet et emendet (*l.* 1. *c.* 25.), quae bona sint, educet atque confirmet (*ib.* et *l.* 2. *c.* 87); partim in eo, ut Orator habeat, quo quidque referat: cuius quidem rei haec vis est, ut et brevissimam commodissimamque viam ad id, quodcunque sibi proposuerit, ingrediatur (*l.* 1. *c.* 32.), et vero „ ut ea, quae natura, „ quae studio, quae exercitatione consequimur, „ aut recta esse confidamus, aut parva intelli-

„ ga-

„ gamus, cum, quo referenda ſint, didiceri-
„ mus" *l.* 2. *c.* 57. Neque tamen ars ſola ſuf-
ficit, quippe quae nihil docet de philoſophia,
ſine qua conſiſtere nequit Orator. Vid. ſupra
cap. 3. § 1. Et in illis ipſis dicendi praeceptis
multa perverſe tradunt rhetores; ut Antonius de
iis dicat *l.* 2. *c.* 19: „ aut aliquid afferunt, quod
„ mihi non diſpliceat: aut *efficiunt, ut me non*
„ *didicisſe minus poeniteat*". Multa eorum vi-
tia reprehenduntur, e quibus unum tantum affe-
ram, quod ſaepius perſtringit Cicero: eos, cum
duplex genus ſtatuisſent, alterum quaestionis in-
finitae, alterum cauſae, illud nullis praeceptis
inſtruxisſe, vid. *l.* 2. *c.* 15, 19. *l.* 3. *c.* 28. Sed
etiamſi bona ſint praecepta, nequeunt tamen elo-
quentes facere, veluti Crasſus docet *l.* 2. *c.* 57:
„ quae (obſervatio) ſi eloquentes facere posſet,
„ quis esſet non eloquens? Quis enim haec non
„ vel facile, vel certe aliquo modo posſet edis-
„ cere"? conf. *c.* 87. In natura fundamentum
esſe oportet, idque confirmatur ipſorum rheto-
rum exemplo, quorum nemo ne mediocriter
quidem diſertus fuit (*l.* 1. *c.* 20.), non quod iis
praecepta defuerunt, ſed quia natura defuit,
auctore Crasſo *c.* 25. Artem autem ita commen-
dat, ut omnem artificii ſignificationem et ſuſpi-
cionem Oratori adverſariam putet *l.* 2. *c.* 36, 37.
Itaque Orator abſtineat *definitione*, quippe quae,
„ ge-

„ genere ipſo doctrinam redolet", ut ait Antonius *l.* 2. *c.* 25; tractationem argumentorum variam esſe iubet idem *c.* 41, „ ne — cognoſcat „ artem, qui audiat"; vicisſitudines in numeris adhibeantur, ne „ nos id, quod faciemus, ope„ ra dedita facere videamur", ut praecipit Craſſas *l.* 3. *c.* 50.

SEC-

SECTIO SECUNDA.

PRAECEPTA, QUIBUS SINGULAS ORATORII MUNERIS PARTES INSTRUIT CICERO, EXPLICANTUR.

Cicero his in libris eam Oratorii muneris partitionem suis praeceptis sequitur, quam plerisque placuisse dicit *de Invent. l.* 1. *c.* 7. et quam Crassus e rhetoribus sibi traditam (*l.* 1. *c.* 31.), ipse quoque memorat *c.* 42: „ in „ hac — ratione dicendi, excogitare, ornare, „ disponere, meminisse, agere". Vid. etiam *l.* 2. *c.* 19. Quamquam inventionem quidem ab elocutione minime seiungi oportere, neque res a verbis separari posse existimat *l.* 3. *c.* 5, 6, 24, 26. *in fine:* sed hominum opinionibus aliquid datum est. Longe vero maxima disputationis pars versatur in praecipiendo de causarum contentionibus, quippe difficillimo ex Oratoris operibus. Itaque commodissimum hoc mihi visum est, ut quinque capitibus illas quinque partes explicarem, iudicialis potissimum generis ratione habita, sextum adiicerem caput, quo suasiones, laudationes et historiam complecterer.

CA-

CAPUT PRIMUM.

DE INVENTIONE.

§ I.

De iis, quae pertinent ad docendum.

Omnis inventio verſatur in triplice argumento: ut doceamus iudices iisque probemus ea, quae defendimus, vera esſe; ut conciliemus eorum benevolentiam; ut animos permoveamus. Vid. *l.* 2. *c.* 27, 28 *init.* 29, 77. *l.* 3. *c.* 27. De primo quidem, quod „ videtur omnem hu„ius generis quaſi doctrinam continere" (*l.* 2. *c.* 29.), haec praecipit Antonius. Oratori, priusquam dicat, cauſam, quae ad eum defertur, et omnia, quae illuc ſpectant, penitus cognita esſe vult *l.* 2. *c.* 24 ubi porro haec ait: „ cum rem penitus cauſamque cognovi, ſtatim „ occurrit animo, quae ſit *cauſa ambigui*". *Cauſas* enim *ambigui*, (quas variis modis distribui videmus *de Invent. l.* 1. *c.* 8. *Orat. c.* 34. *Top. c.* 21. *Orat. Part. c.* 9. *in fine*) Antonius

c.

c. 24 — 27. tripliciter dividit. Primum enim quaeri potest „ quid factum fit, aut fiat, futu„ rumve fit", i. e. utrum id, de quo agitur, re vera fiat, factum, futurumve fit; atque tale plerumque genus est ambigui, de quo disputatur in criminum caufis. Deinde quaeri potest etiam, *quale fit*, i. e. „ quantum et cuiusmodi et om„ nino quale fit — hoc modo: iustum an in„ iustum: utile an inutile", ut explicat Cicero *de Invent. l.* 1. *c.* 9. Ad hoc genus referenda omnis controverfia, quae in *fcripti interpretatione* verfatur, docente Antonio *c.* 26, ubi duo reprehenduntur, quae pofuerat *de Invent. l.* 2. *c* 40: alterum, eas controverfias ad feparatum genus pertinere; alterum esfe quinque caufas, unde dubium nascatur; cum contra in toto illo genere nullam esfe posfe, nifi *ex ambiguo*, controverfiam Antonius ostendat. Reprehendit etiam Graecos, qui adiunxisfent illam quaestionem, *rectene factum fit* (vid. *l.* 1. *c.* 31.), eamque pertinere docet ad genus, in quo quaeritur, *quale fit.* Tertium genus in eo verfatur, *quomodo quid nominetur:* v. c. utrum Norbanus *maiestatem minuisfet.* Haec autem genera Crasfus alia quadam ratione partitur *l.* 3. *c.* 29, 30, qui tamen dicit „ eadem funt membra in utrius„ que disputationibus, fed paulo fecus me, „ atque ab illo, partita ac distributa". Et fane

ne dissensio, cuius rationem supra per coniecturam expedire tentavi, minor videbitur, si teneamus ea, quae disputat Antonius *c.* 31, 32: rhetores male disiunxisse controversias certis temporibus ac personis definitas ab infinitis de universo genere quaestionibus; omnem enim disputationem ad universum genus revocari debere, ne iis quidem causis exceptis, ubi de facto ambigitur, neque iis, ubi quaeritur, *quale sit*. Idem docet Crassus *l.* 3. *c.* 29. *init.*: „ omnis igitur res eamdem habet naturam ambi„ gendi, de qua quaeri et disceptari potest, „ sive in infinitis consultationibus disceptatur, „ sive in iis caussis, quae in civitate et in foren„ si disceptatione versantur"; et *c.* 30: „ or„ natissimae sunt igitur orationes eae, quae la„ tissime vagantur, et a privata ac singulari con„ troversia se ad universi generis vim explican„ dam conferunt et convertunt, ut ii, qui au„ diant, natura, et genere, et universa re „ cognita de singulis reis, et criminibus, et li„ tibus statuere possint. Hanc ad consuetudinem „ exercitationis vos, adolescentes, est cohor„ tatus Antonius, atque a minutis angustisque „ concertationibus ad omnem vim varietatemque „ vos disserendi traducendos putavit", conf. *Top.* 21, ubi propositum (*θέσις*) dicitur, quod Crassus *l. c. consultationem* vocat. Cum igitur utrum-

utrumque genus eamdem haberet ambigendi naturam, poterat Antonius alterius, Crasſus alterius potisſimum generis in ambigui cauſis partiendis rationem habere; idque fecerunt. Antonius exempla ſumſit a litium contentione, quam cum maxime tractabat, Crasſus ab infinitis philoſophorum *conſultationibus*, ad quas eum disputationis curſus detulerat. Hoc ſi teneamus, posſunt eadem fere membra, quae memoravit Antonius, in Crasſi disputatione quodammodo reperiri. Itaque cum *cognitio*, quam priorem partem Crasſus ponit, tres habeat modos, *coniectura* quidem convenit cum Antoniano genere eo, in quo quaeritur, *quid fiat, factum futurumve ſit*, niſi quod Antonius exempla ſumſit a tempore praeterito, quippe quod in iudiciis plerumque tractatur, ille vero a tempore praeſenti vel infinito, quod erat *conſultationi* aptius. *Definitio* maxime reſpondet ei generi, in quo *de nomine* contenditur; *conſecutio* denique ei quaestioni, *quale ſit*. Singula autem haec genera Crasſus in minores rurſus partes dividit. Nam quod addit idem de *agendi conſilio*, eius generis prior pars, quae verſatur in *officii disceptatione*, commode referri potest ad Antonii praecepta de ſuaſionibus, altera ad eius doctrinam de animis permovendis. Postquam igitur Orator cognovit, ad quod genus ſua cauſa referenda ſit,

iam agitur de argumentis, quorum duplex est materies, „ una rerum earum, quae non exco„ gitantur ab Oratore, ſed in re poſitae, ratio„ ne tractantur: ut tabulae, testimonia, pacta,
„ conventa, quaestiones, leges, ſenatusconſul„ ta, res iudicatae, decreta, reſponſa et reli„ qua, ſi quae ſunt, quae non pariuntur ab
„ Oratore, ſed ad Oratorem a cauſa, atque a
„ re deferuntur". De his quidem locos meditatione paratos habere debet, e quibus posſit ad omnes ſimiles res argumenta depromere, ut docet Antonius *c.* 27. Alterum genus est argumentorum, quae ipſi Oratori invenienda ſunt. In quo illud graviter monet Antonius, ne ad ſingula cauſarum genera e rhetorum libris ſeparata petamus argumenta (quamquam id adolescentulis inſtituendis haud inutile ſit), ſed ut certos locos ad omnem cauſam et orationem afferamus. Vid. *ib.* „ Atque isti quidem, qui do„ cent, cum cauſas in plura genera ſecuerunt,
„ ſingulis generibus argumentorum copiam ſug„ gerunt. Quod etiamſi ad inſtituendos adoles„ centulos magis aptum est, ut, ſimulac poſita
„ ſit cauſa, habeant, quo ſe referant, unde ſta„ tim expedita posſint argumenta depromere:
„ tamen et tardi ingenii est, rivulos conſecta„ ri, fontes rerum non videre, et iam aetatis
„ est uſusque nostri, a capite, quod velimus,

ar-

„ arcesſere et, unde omnia manent, videre";
c. 30: „ ac tibi ſapienter monenti, L. Crasſe,
„ libenter asſentiemur, ut ſingularum cauſarum
„ defenſiones, quas ſolent magistri pueris tra-
„ dere, relinquamus; aperiamus autem ea capi-
„ ta, unde omnis ad omnem et cauſam et ora-
„ tionem disputatio ducitur. Neque enim,
„ quoties verbum aliquod est ſcribendum no-
„ bis, toties eius verbi literae ſunt cogitatione
„ conquirendae; nec quoties cauſa dicenda est,
„ toties ad eius cauſae ſepoſita argumenta revol-
„ vi nos oportet: ſed habere certos locos, qui,
„ ut literae ad verbum ſcribendum, ſic illi ad
„ cauſam explicandam ſtatim occurrant"; c. 39:
„ ego autem ſi quem nunc plane rudem inſtitui
„ ad dicendum velim, his potius tradam asſiduis
„ uno opere eamdem incudem diem noctemque
„ tundentibus, qui omnes tenuisſimas particu-
„ las, atque omnia minima manſa, ut nutrices
„ infantibus pueris, in os inſerant. Sin ſit is,
„ qui et doctrina mihi liberaliter inſtitutus, et
„ aliquo iam imbutus uſu, et ſatis acri ingenio
„ esſe videatur; illuc eum rapiam, ubi non ſe-
„ cluſa aliqua aquula teneatur, ſed unde uni-
„ verſum flumen erumpat: qui illi ſedes, et
„ tamquam domicilia omnium argumentorum
„ commonſtret, et ea breviter illustret verbis-
„ que definiat". Ut autem his locis uti posſit

Orator, praeter usum quemdam ac studium, (c. 30, 34.) requiritur acumen, ars et diligentia, quarum huic plurimum in inveniendo tribuitur. c. 35. „ Ars demonstrat tantum, ubi „ quaeras atque ubi sit illud, quod studeas in„ venire". Attamen artem aliquam tradit Antonius, et praecipuas argumentorum notas ostendit c. 39, 40, quibus cognitis facile sit argumenta invenire. Sumuntur haec aut ex sua vi atque natura, aut foris assumuntur. „ Ex „ sua vi" etc. Qui vero loci cuique causarum generi sint aptissimi, id facile iudicatur, ut significat Antonius c. 41, Crassus *l.* 3. c. 30. Ille de tractandis argumentis haec addit c. 41. *in fine*: „ tractatio autem varia esse debet, ne aut „ cogcoscat artem, qui audiat, aut defatigetur „ similitudinis satietate. Proponi oportet" etc. Quibus autem rationibus argumento resisti possit, docet c. 53: „ sed argumento resistendnm „ est, aut iis, quae comprobandi eius causa „ sumuntur, reprehendendis, aut demonstrando „ id, quod concludere illi velint, non effici ex „ propositis, nec esse consequens: aut, si ita „ non refellas, afferendum est in contrariam „ partem, quod sit aut gravius, aut aeque „ grave".

§ II.

§ II.

De iis, quae ſpectant ad conciliandum.

Charmadas „ caput — esſe arbitrabatur Ora„ toris, ut et ipſis, apud quos ageret, talis, „ qualem ſe ipſe optaret, videretur — et uti „ eorum, qui audirent, ſic afficerentur animi, „ ut eos affici vellet Orator", ut refert Antonius *l.* 1. *c.* 19. Quam ſententiam ipſe ſua auctoritate confirmat *l.* 2. *c.* 41: „ ſi vero asſequa„ tur, ut talis videatur, qualem ſe videri velit, „ et animos eorum ita afficiat, apud quos aget, „ ut eos, quocunque velit, vel trahere, vel ra„ pere posſit; nihil profecto praeterea ad dicen„ dum requiret", conf. *c.* 42. *init.* Itaque nihil in oratione plus valere putat, quam ea, quae pertinent ad *conciliandum* et ad *animos permovendos*, eaque duo diligentisſime conſideranda cenſet *c.* 27. Hae vero partes „ minime prae„ ceptis artium ſunt perpolitae", ut ait *c.* 49. Quorum illud quomodo fiat, ut iudici commendetur Orator, et is, pro quo dicat, adverſarius autem improbetur, explicat *c.* 43. Rei maxime commendantur dignitate vitae (quod iam Charmadas monuerat *l. c.*) et rebus gestis, „ quae „ facilius ornari posſunt, ſi modo ſunt, quam „ fingi, ſi nulla ſunt": praeterea exprimendis eo-

eorum moribus iustis, integris, religiosis, timidis, perferentibus iniuriarum. Oratori vero benevolentia conciliatur leni dicendi genere, et quod facilitatis speciem prae se ferat, ad quod actio quoque valet. In quo illud praeceptum: „ si quid persequare acrius, ut invitus et coac„ tus facere videare", servatum videmus ab ipso Cicerone *Orat.* 2. *de Lege Agr.* c. 24: „ non „ consuevi homines appellare asperius. Quiri„ tes, nisi lacessitus. Vellem fieri posset, ut a „ me sine contumelia nominarentur ii, qui se de„ cemviros sperant futuros: iam videretis, qui„ bus hominibus omnium rerum et vendendarum „ et emendarum potestatem permitteretis. Sed „ quod ego nondum statuo mihi esse dicendum, „ vos tamen id potestis cum animis vestris co„ gitare", conf. etiam infra c. 49, 52. Tali autem oratione praesertim uti iubet in iis causis, „ in quibus minus potest inflammari animus iu„ dicis acri et vehementi quadam incitatione. „ Non enim" etc.

§ III.

De animis permovendis.

Venio nunc ad illud, „ in quo sunt omnia" (*l.* 2. *c.* 53.), ut iudicum vel eorum, qui audiant,

ant, animi permoveantur. In quo primum id videndum, utrum causa satis magna sit, ne tragoedias in nugis agentes irrideamur, ut docet idem *c.* 51. Si vero causa postulare videatur, „ optandum est Oratori, ut aliquam permotio„ nem animorum sua sponte ipsi afferant ad cau„ sam iudices ad id, quod utilitas Oratoris fe„ ret, accommodatam", *c.* 44. Et fieri potest, ut Orator priusquam ad causam accedat, intelligat, quid iudices sentiant, sicuti Verres ante iudicium „ omnium iam opinione damna„ tus" erat, ut ait Cicero *Verr. I. c.* 1. Eiusmodi vero causae opponitur ea, quam vocat Antonius, „ ancipitem — et gravem ad animos „ iudicum pertractandos". Talem si Orator aggreditur, diligentissime indagare debet „ quid „ sentiant (iudices), quid existiment, quid ex„ spectent, quid velint, quo deduci oratione „ facillime posse videantur". (In quo ei necessaria est illa philosophiae pars, quae versatur in animorum motibus, de qua supra dixi). „ Si se dant, et sua sponte, quo impellimus, „ inclinant atque propendent"; id arripiendum eaque parte ulterius incumbendum est. „ Sin „ est integer quietusque iudex", vis orationis, quae certe plurimum potest, maiori cum difficultate est adhibenda, quapropter hoc ipsum vocat *moliri c.* 51. Nisi forte sic animati sint ho-

homines, „ ut nihil ad eorum mentes oratione „ flectendas proficere posſimus" (*ib.*); tunc enim tali oratione omnino abſtinendum est, „ ne — odio digni putemur, ſi — convellere „ adoriamur ea, quae non posſint commoveri". Quibus autem rebus effici queat, ut animi commoveantur, docetur *c.* 48 – 53. Illud vero ante omnia monet Antonius *c.* 45 – 48, omnes motus, quos aliis adhibere velit Orator, in ipſo conſpici debere. „ Ut enim nulla materies tam „ facilis ad exardescendum est, quae, niſi ad„ moto igni, ignem concipere posſit: ſic nulla „ mens est tam ad comprehendendam vim Ora„ toris parata, quae posſit incendi, niſi inflam„ matus ipſe ad eam et ardens accesſeris". Idque difficile videatur; ſed ostendit non tantummodo rem, quam agat Orator, amicorum pericula, famae discrimen inſignem habere vim ad eum commovendum, ſed ipſas ſententias et locos, quibus utatur, huc mirifice valere; quod illustrat et histrionum ac poëtarum et vero ſuo ipſius exemplo. Motus autem hi potisſimum excitandi vel ſedandi ſunt: „ amor, odium, ira„ cundia, invidia, miſericordia, ſpes, laetitia, „ timor, molestia", quorum longe acerrimus est motus invidiae, ut ait *c.* 52. *init.* In praeceptis, quae de ſingulis his tradit, praeſertim rationem habet eius ſtudii mentibus hominum

in-

insiti, quo suam ipsorum utilitatem et incolumitatem colunt. Itaque amori conciliando maxime proficere censet, „ si id videare, quod sit „ *utile ipsis*, apud quos agas, defendere; si — „ pro iis, qui *illis boni atque utiles* sint, labo„ rare". De timore dicit „ interior est ille „ proprius", idemque observare licet in praeceptis de odio, misericordia, reliquis, conf. quae se in Norbani causa fecisse narrat *c.* 48. Genus autem dicendi vehemens et intentum esse debet, ut docet *c.* 52. *in fine:* unde etiam vocantur *dicendi faces c.* 51. *init.*

Duo quidem haec genera, de quibus hoc et superiore § egi, quodammodo commiscenda sunt, et alterum altero temperandum praecipiente Antonio *c.* 53. (1). Idem *ib.* praeterea monet ad utrumque genus, tarde et occulte procedendum esse, cuius rei ipse exemplum praebuit in causa Norbani, quod laudat Sulpicius *c.* 50: „ quod tuum principium, dii immortales, fuit?

„ qui

(1) *Inflammandum est* (quod Ernestus uncinis includit et eiiciendum putat) utrum retineri possit, an aliud pro eo substituendum sit, equidem affirmare non ausim. Sed videtur certe aliquod verbum esse debere, unde pendeat dativus *lenitati*; nam *influere* cum dativo haud sciam, an nunquam apud Ciceronem occurrat.

„ qui timor, quae dubitatio, quanta haesitatio „ tractusque verborum! Ut illud initio, quod „ tibi unum ad ignoscendum homines dabant, „ tenuisti; te pro homine pernecessario, quaes- „ tore tuo dicere: quam tibi primum munisti „ ad te audiendum viam? Ecce autem, cum te „ nihil aliud profecisse arbitrarer, nisi ut ho- „ mines tibi civem improbum defendenti ignos- „ cendum propter necessitudinem arbitrarentur, „ serpere occulte coepisti, nihildum aliis suspi- „ cantibus, me vero iam pertimescente, ut il- „ lam, non Norbani seditionem, sed populi „ Romani iracundiam, neque eam iniustam, sed „ meritam ac debitam fuisse defenderes". „ Exi- „ tus tamen spissi et producti esse debent", i. e. haec genera non breviter tractanda, sed in iis haerendum et habitandum et saepius ad eadem redeundum est. Quomodo denique haec in contrariam partem adhibenda sint, praecipit *c.* 53. *in fine;* „ illa autem" etc. ubi arridet mihi Pearcii coniectura, pro *inferenda* legentis *infirmanda.*

Horum trium generum (docendi, conciliandi, permovendi,) aliud alii causae aptius esse significat Antonius *c.* 72: „ si causa est in ar- „ gumentis — sin autem in conciliatione aut in „ permotione causa est", i. e. si argumentorum in ea vel conciliationis aut permotionis praeci-

puus

puus usus est: quo respicit etiam *c.* 49. *in fine*; „ magis affectis animis iudicum quam doctis". Cum autem omnis causa et boni aliquid habeat et mali, illud maxime tractandum eique insistendum est (quod appellat *Orat. c.* 15: *in bonis suis haerere et habitare*): malum cum honesta quadam specie defugiendum, et si nimis difficilia sint adversariorum argumenta, nihil prorsus iis respondendum, ut docet *c.* 24: „ qui locus „ est talis, ut plus habeat adiumenti, quam „ commodi, hunc iudico esse dicendum: ubi „ plus mali, quam boni reperio, id totum ab „ iudico atque eiicio", et *c.* 72. Illud omnino cavendum, ne quid suae causae obsit Orator. Quamquam id summus ille sponte videt (*c.* 74. *init.*); sed ii, qui adhuc ab illa perfectione absunt, id facile committere possunt aut lacessendo teste (*c.* 74), aut adversariorum adiumentis confirmandis, aut offendendis iudicibus, *c.* 75. De hoc postremo conf. *c.* 58. *in fine*: „ parcendum est autem maxime caritati hominum, „ ne temere in eos dicas, qui diliguntur".

§ IV.

De facetiis.

Ad caput de inventione pertinent etiam *face-*

ce-

cetiae, quarum etsi nullam artem esse statueret Cicero (*l.* 2. *c.* 54, 56, 57), eas tamen praeceptis quibusdam illustravit, quae quidem disputatio magnopere laudatur a *Corr. quaest. p.* 74. Multum enim iocus utilitatis affert, et plane Oratori convenit cum aliis de causis, tum maxime „ quod tristitiam ac severitatem mitigat et „ relaxat, odiosasque res saepe, quas argumen„ tis dilui non facile est, ioco risuque dissol„ vit": ut ait Caesar *c.* 58. conf. *c.* 83. Definit *ib.* locum, unde risus oriatur, eaque rideri dicit „ vel sola, vel maxime, quae notant et „ designant turpitudinem aliquam non turpiter". Genera duplici ratione dividit: altera distributio invenitur *c.* 54, ut sint duo facetiarum genera: *cavillatio*, quae est aequabiliter per omnem sermonem fusa (quod ipsum genus *facetiae κατ' ἐξοχὴν* dicitur *Orat. c.* 26), et *dicacitas*, quae breviter et acute dictis continetur. Alteram divisionem Caesar suis praeceptis sequitur, quae est item bipartita, ut sit alterum genus *in re*, alterum *in verbo*; vid. *c.* 59, 61, 62. Ad id genus, quod est in verbo, refertur *ambiguum* quod fit salsius, si admiscetur illud genus, „ cum aliud exspectamus, aliud dicitur"; porro *paronomasia*, *nominis interpretatio*, nec non illa genera, cum *versus* inseritur aut *proverbium*, et „ cum ad verbum, non ad sententiam rem ac-

„ ci-

„ cipere videare", denique *immutata oratio* (allegoria), *unius verbi translatio* (metaphora), et *inverſio verborum* c. 62—66. Haec autem omnia, quae *verbo* continentur, laudari magis quam rideri ſolent, ut ait univerſe c. 71, cum iam de *ambiguo* ſignificasſet c. 62. Ad alterum genus, quod ponitur *in re*, *narratio* pertinet, quae est valde faceta (c. 59), ſed difficilis; qua complectitur etiam *apologorum narrationes* et id, *quod ex historia trahitur* (c. 66); deinde *imitatio* (quamquam ea parce uti iubet, c. 59, 62), *collatio*, *imago*, *rei obſcurae per parvam rem illustratio* (c. 66.), *disſimulatio*, aliaque genera, quae comprehendit c. 71. his verbis: „ exſpectationibus decipiendis", (quod quidem genus maxime rideri ſolere docet c. 63. *init.* 64. *in fine*, 70.) „ et naturis aliorum irridendis, ipſo- „ rum ridicule indicandis, et ſimilitudine tur- „ pioris, et disſimulatione, et ſubabſurda di- „ cendo, et ſtulta reprehendendo riſus moven- „ tur". Illud autem docet c. 61, ex iisdem locis, unde ioci petantur, graves ſententias duci posſe; conf. c. 65: „ gravium et iocorum unam esſe rationem". De modo, quo ioci adhibendi ſint, hoc praecipit Antonius c. 56: „ omnino „ probabiliora ſunt, quae lacesſiti dicimus, „ quam quae priores: nam et ingenii celeritas „ maior est, quae apparet in reſpondendo, et

„ hu-

„ humanitatis est reſponſio. Videmur enim „ quieturi fuisſe, niſi esſemus lacesſiti", quod confirmatur a Caeſare *c.* 58: „ maxime respondentis, nonnunquam etiam lacesſentis", et *c.* 60. Idem haec Oratori praecipit *c.* 62: ne moroſi, ſuperſtitioſi, ſuſpicioſi, glorioſi, ſtulti perſonam prae ſe ferat; ut oris depravatione abſtineat; ut obſcoenitatem fugiat. Hac enim accedit ad mimos ethologos (*c.* 59. *in fine*), quorum aeque ac ſcurrarum ſimilitudinem evitare debet. Ab his maxime distinctus esſe poterit, ratione temporum ac perſonarnm habenda, et nonnunquam retinenda, ſi quid ridicule dicere posſit: quod in Crasſo laudabatur, vid. *c.* 54, 56, 59, 60, 64. Denique monetur, ne iocis petamus admodum improbos, aut miſeros, aut eos, qui diligantur *c.* 58. *in fine.*

CA-

CAPUT SECUNDUM.

DE COLLOCATIONE.



§ I.

Quid universe hac de re Cicero sentiat.

Secunda muneris Oratorii pars erat *collocatio*, cuius, ut ait Antonius *l.* 2. *c.* 76, „ ratio est „ duplex: altera, quam affert natura causarum, „ altera, quae Oratorum iudicio et prudentia „ comparatur". Superior illa in eo ponitur, ut omnis oratio in partes distribuatur, quam totam rem etsi minus curaret Cicero, facillimamque iudicaret (*l.* 2. *c.* 19), potissimum tamen quatuor partes statuit: *principium*, *narrationem*, *probationem* (ut ita dicam) et *perorationem*, excludens *divisionem* (quam alii addebant, v. *ad Her. l.* 1. *c.* 3. et ipse addiderat *de Invent. l.* 1. *c.* 14.), ut quoque *digressionem* sive *amplificationem* (de qua vid. *l.* 2. *c.* 19. et *Or. Part. c.* 8.) *confirmationem* autem et *reprehensionem* una parte complexus. De altera „ quae Orato- „ rum

„ tum iudicio et prudentiâ comparatur", iam Ciceronis ſententia breviter explicanda est. Cum igitur tria ſint Oratori efficienda, ut doceat, ut conciliet, ut permoveat, „ una ex omnibus his „ rebus res prae nobis est ferenda, ut nihil ali- „ ud, niſi docere velle, videamur": ut ait Antonius *c. 77 init.* conf. *c.* 53: „ homines prius „ ipſum illud, quod proprium ſui iudicii est, „ audire deſiderant". Itaque primum de *argumentis* quaeritur; quorum ſingulorum vim diligenter expendat Orator: quae minus utilia videntur, „ aut aliis gravioribus conſimilia", plane ſemoveat; quae retinenda ſunt, cum iudicio disponat: et firmisſima quidem ab initio et in fine collocet; quae minus firma ſunt, in medio. Conf. *Orat. c.* 15: „ de firmisſimis alia prima „ ponet, alia postrema, inculcabitque leviora"; et *ad Her. l.* 3. *c.* 10. Duabus reliquis rebus maxime proprium asſignat locum Antonius in exordio et peroratione; attamen commendat, ut ſaepe ad eas digrediamur, idque pluribus locis fieri posſe ostendit. *c.* 77.

§ II.

De ſingulis partibus orationis.

Principio non ſemper utendum est (in parvis enim

enim et infrequentibus caufis ab ipfa re exordiendum); plerumque tamen, ut docet Antonius *l.* 2. *c.* 79: et praefertim in eo requiritur venustas et lenitas ad eum, qui audit, permulcendum atque alliciendum compofita. *c.* 78. Nam quae Graeci praeceperant, in principiis id agendum esfe, ut eum qui audiat, benevolum, docilem, attentum faciamus, ea non principii propria putat, fed per totam orationem diffundenda. *c.* 19, 79. Illud vero monet *c.* 77. *in fine*, 78, priusquam de principio cogites, totam caufam et omnes locos perfpici ac pertentari debere, ut ex ipfis caufae visceribus principium efflorescat, neve fit *vulgare* aut *commune*. *Vulgare* quid fit, fignificat *c.* 78. his verbis: „ nec „ in alias caufas posfe transferri", et utrumque explicat *de Inv. l.* 1. *c.* 18. „ Vulgare est, „ quod in plures caufas potest accommodari, ut „ convenire videatur. Commune est, quod ni„ hilo minus in hanc, quam in contrariam par„ tem caufae, potest convenire". Haec igitur cavere iubet, ut et, ne principium fit „ aut „ exile, aut nugatorium". Quatuor locos demonftrat *c.* 79, unde fententiae duci posfint: ex reo, ex adverfario, ex re, ex iis, apud quos agitur. Denique praecipit orationi confequenti connexum esfe debere principium *c.* 82.

Narratione nonnunquam fuperfedere iubet

 An-

Antonius *c.* 81. *init.* „ neque enim si nota res „ est, nec si non dubium, quid gestum sit, nar„ rari oportet, nec si adversarius narravit, nisi „ si refellemus". De ea praecipere solebant rhetores: „ rem narrare, ita ut, *verisimilis* nar„ ratio sit, ut *aperta*, ut *brevis*", ut refert *c.* 19. conf. *de Invent. l.* 1. *c.* 20. *ad Her. l.* 1. *c.* 9. Quorum primum illud Caesar „ proprium „ narrationis" appellat *c.* 66, inque eamdem sententiam disputat Antonius *c.* 80. Requirit item, ut *aperta* sit, eique rei magis etiam in narratione, quam in reliquis orationis partibus studendum esse docet *ib.* ubi simul indicat, quibus rebus id efficiatur: „ erit perspicua narra„ tio, si verbis usitatis, si ordine temporum „ conservato, si non interrupte narrabitur". Non vero nimis *brevem* esse vult narrationem (certe si *brevitas* eo sensu accipitur „ cum tantum ver„ borum est, quantum necesse est"); tum quia id tollit iucunditatem, quam dicit maximam narrationis virtutem: tum quia duabus ceteris virtutibus obest. Nam „ et est *probabilius*, „ quod gestum esse dicas, cum quemadmodum „ actum sit, exponas, et multo *apertius ad in*„ *telligendum* est, si" etc. *c.* 80. Ea vero de narratione detrahat Orator, quae suae causae nocere videantur, ut praecipit *c.* 81.

Tertia sequitur orationis pars, qua Cicero com-

complectitur etiam alteram *divisionis* partem. Cum enim *divisionem* in duabus rebus versari doceant rhetores, ut et quid relinquatur in controversia, statuatur, et res, de quibus dicturus sit Orator, exponantur (*de Inv. l.* 1. *c.* 22. *ad Her. l.* 1. *c.* 10); illud memorat Antonius *c.* 81: „ in quo videndum est quid in controversiam „ veniat". Eadem parte comprehendit et *confirmationem suae causae*, et refutationem adversarii sive *reprehensionem*, eaque coniuncte tractanda monet *ib.*

Perorationem Antonius breviter tangit *c.* 81: „ omnia autem" etc.

CAPUT TERTIUM.

DE ELOCUTIONE.

§ I.

Prima virtus, ut Latine dicamus:

In *elocutione* maximam Oratoris vim posuerat Antonius *l.* 2. *c.* 27. *in fine*, unde fortasse factum est, ut fere totus liber tertius Crassi disputatione de ea re consumeretur. Neque tamen ea praecepta Cicero cunctis apta esse iudicat, cum in diversissimis generibus summi Oratores exsistant, ad quorum varia ingenia doctoris institutio accommodanda sit, sed ea id genus spectare profitetur, quod sibi maxime placeat *l.* 3. *c.* 7 — 10. conf. *Brut. c.* 56 Itaque ipse quatuor in *elocutione* praecipienda putat, „ ut Latine, ut plane, ut ornate, ut ad id, quodcunque agetur, apte congruenterque dicamus". *l.* 3. *c.* 10. conf. *l.* 1. *c.* 32.

Prima quidem (ut *Latine* dicamus et *plane*) facilia sunt, et in eo, quicunque studet eloquen-

quentiae, adesſe debent, ut docet Craſſus *c.* 10: „ nec *ſperate* (1), qui Latine non poſſit, hunc „ ornate esſe dicturum: neque vero, qui non „ dicat, quod intelligamus, hunc posſe, quod „ admiremur, dicere". Attamen pauca praecepta de iis tradit. Et *Latine* loquendi virtutem non ſolum ponit in ipſorum verborum puritate et ſtructura ad Grammaticam normam exacta, quo praeſertim conducere monet Oratorum ac poëtarum lectionem: „ ſed etiam lingua, et ſpi„ ritus, et vocis ſonus est ipſe moderandus", ut ait *c.* 11. In quo cavere iubet illud in primis vitium, ne rustica et aspera voce veteres imitari conemur; quo nomine reprehenditur L. Cotta non tantum hoc loco, ſed etiam *Brut. c.* 36. Praeterea vitemus *peregrinam inſolentiam* (*c.* 12.) i. e. eiusmodi vocis ſonum, qui a Romana puritate abhorreat; incolas enim Urbis ea re peregrinis excellere ostendit.

§ II.

Altera virtus, ut plane dicamus.

Alterum illud, ut perſpicue dicat Orator, val-

(1) Sic enim legendum coniicio pro *ſperare*, quod vix referri potest ad id, quod praecesſit, *conamur.*

valde necesſarium Ciceroni viſum esſe, colligitur ex his verbis *l.* 3. *c.* 13: „ Oratio — lu-„ men adhibere rebus debet". Neque tamen multa de eo praecipit, quippe totam rem facillimam existimans. Quibus id rebus effici posſit, his verbis complectitur: „ Latine ſcilicet di-„ cendo, verbis uſitatis, ac proprie demon-„ ſtrantibus ea, quae ſignificari ac declarari vo-„ lemus, ſine ambiguo verbo aut ſermone, non „ nimis longa continuatione verborum, non val-„ de productis iis, quae ſimilitudinis cauſa ex „ aliis rebus transferuntur, non discerptis ſen-„ tentiis, non praeposteris temporibus, non „ confuſis perſonis, non perturbato ordine". Et videtur quidem hoc postremum perſpicuitati maxime noxium duxisſe, cum in obscuritatis exempla tales potisſimum Oratores excitet, qui praeſertim propter *confuſam et perturbatam* orationem reprehendantur.

§ III.

Tertia virtus, ut ornate dicamus.

Superſunt elocutionis duae partes, quas maximas esſe gravisſimasque Crasſus docet *l.* 3. *c.* 14. (conf. *c.* 24.) *ornate* ſcilicet et *apte* dicendi facultas. Et *ornate* quidem dicere proprium Orato-

toris arbitrabatur, ut ſupra ostendere conatus ſum. Unde etiam hoc uno verbo ſaepe ſignificatur universa dicendi laus, ut *l.* 1. *c.* 15. „ multo dicat *ornatius*", quod ipſum *c. ſq.* ſic exprimitur: „ *eloquentisſime* dicat", porro *c.* 17, 26. et *l* 2. *c.* 9: „ homines ornatius illa ſua „ dicunt". Quid autem proprie ſit *ornate* dicere, definitur a Crasſo *l.* 3. *c.* 14: „ qui „ distincte, qui explicate, qui abundanter, qui „ illuminate et rebus et verbis dicunt, et in „ ipſa oratione quaſi quemdam numerum ver„ ſumque conficiunt: id est, quod dico, orna„ te" Singulorum illorum adverbiorum vim paucis illustremus. *Distincte* et *illuminate* referenda videntur ad verborum et ſententiarum figuras, de quibus illud uſurpatur *l.* 2. *c.* 9: „ eamque variare et *distinguere* quaſi quibus„ dam verborum ſententiarumque inſignibus" *l.* 3. *c.* 25: „ ſed ita *distinctum*, ut" etc. et paulo post dicit orationem „ concinnam, *distinc-* „ *tam*, ornatam": *illuminate* vero de illis figuris univerſe dicitur *l.* 3. *c.* 6. *in fine* et 26. *initio*, quamquam in primis ad *verborum* ornamenta pertinet, quae ſaepe Cicero metaphoris a *luce* et *ſplendore* petitis indicat, ut *l.* 2. *c.* 8: „ res ſplendore illustrata verborum"; *l.* 3. *c.* 6: „ illustrem ſine luce verborum". conf. 26. *in fine* „ illuminanda verbis", *c.* 31. *in fine* 37,

38,

38, 40, 41, 43. *Explicate* ne accipiamus pro *dilucide*, vetat iam ante facta mentio eius virtutis, quam ſuperiore § attigi; puto igitur ſignificari fuſum illud ac profluens ſive latum dicendi genus, cui Stoïcorum arida conciſaque brevitas opponitur *l.* 2. *c.* 38. Simili ſenſu de Oratore dixerat *l.* 1. *c.* 13: „ hic cum omni gravitate et „ iucunditate *explicet*". *Abundanter* denique eo ſpectat, quod Oratori ad ornate dicendum neceſſarius est multiplex rerum apparatus; quod Antonius Craſſo concedit *l.* 1. *c.* 59: „ cuius „ eloquentia copia rerum debeat eſſe ornata", ipſe vero ſignificat *l.* 2. *c.* 8: „ quid plenius, quam omni rerum genere cumulata oratio"; *c.* 14, 34: idemque docetur a Craſſo *l.* 3. *c.* 24, 30. *in fine.* Et hinc intelligitur hac ipſa ornate dicendi virtute comprehendi varietatem, ubertatem, copiam, quae paſſim Oratori tribuitur, et nonnunquam cum illa vel permutatur, ut *l.* 1. *c.* 12. (ubi quod in praecedentis capitis exitu dixerat: „ eloquentes et in dicendo ſuaves atque „ ornati", his verbis effert: „ ubertatem in „ dicendo et copiam", et „ dicendi varietate et „ elegantia"), vel coniungitur, ut *l.* 1. *c.* 11. *l.* 2. *c.* 27.

Quae vero Craſſus *l.* 3. de orationis ornatu praecipit, conſumuntur fere in duas partes. Cum enim omnis oratio *verbis* conſtet, ea primo *ſin-*

gu-

gula, deinde *coniuncta* persequitur, quibus ad finem addit nonnulla de universo colore orationis, nec non de verborum sententiarumque luminibus. Requiruntur in Oratore „ verba pro„ pe poëtarum", ut ait Antonius *l.* 1. *c.* 28, unde fit, ut inter ceteras praestantium Oratorum laudes memorari soleat etiam *verborum* excellentia, quibus utantur, veluti Curionis *l.* 2. *c.* 23. Crassi *c.* 45. Sulpicii Cottaeque *l.* 3. *c.* 8. Est autem quadruplex verborum genus: *propria*, *inusitata*, *novata*, *translata*. Et in *propriis* quidem verbis nonnisi delectum quemdam adhibendum esse docet Crassus *l.* 3. *c.* 37, eique rei egregie conducere veterum Oratorum ac poëtarum studium, *c.* 10. *in fin.* „ usitatis ita poterit „ uti, lectissimis ut utatur, is, qui in veteri„ bus erit scriptis studiose et multum voluta„ tus". Neque tamen ea laus magna est, sed in tribus reliquis generibus potissimum cernitur Oratoris elegantia *c.* 37. Verbis *inusitatis* et vetustis Oratori parce utendum, nec tam frequenter, quam poëtae, (qui „ verborum — li„ centia liberior" est *l.* 1. *c.* 16.) ut praecipit idem *l.* 3. *c.* 10: „ neque tamen erit utendum „ verbis iis, quibus iam consuetudo nostra non „ utitur, nisi quando ornandi causa, parce", et *c.* 38. Significat hoc etiam *l.* 1. *c.* 34: „ optimis „ verbis uterer, et tamen usitatis"; et *l.* 3. *c.* 52; ubi

ubi tria haec genera brevi praecepto complectitur. Interdum tamen gravitatis et ornandi causa prisco verbo uti licet. vid. *l.* 3. *loca citata.* In quo suo tenenda sunt: ut *loco* ponatur id verbum (*c.* 38) et „ ut consuetudo ferre possit", ut ait *c.* 43. Saepe etiam Orator *nova* verba facit, qua in re, ut et in verbis propriis deligendis exercitatione se adiutum esse profitetur Crassus *l.* 1. *c.* 34. Ad utrumque genus respiciens Antonius Oratori tribuit „ verborum aut faciendo- „ rum aut deligendorum scientiam". *l.* 2. *c.* 9. Illud autem duplici modo fit „ vel coniungendis „ verbis — vel — sine coniunctione", ut ait Crassus *l.* 3. *c.* 38, 43, ubi hac in re parcere iubet auribus et consuetudini. *Translata* verba (sive metaphoras) ex inopia et angustiis orta, post ad iucunditatem conversa esse docet *c.* 38, iisque magnopere delectari homines, *c.* 40, 41: „ modus autem nullus est florentior „ in singulis verbis, nec qui plus luminis affe- „ rat orationi" (1), *c.* 43. Triplex autem in verbis transferendis consilium Oratori propositum esse debere, ut ea transferat, „ quae aut

„ cla-

(1) Videntur haec ad metaphoras pertinere. neque, ut putabat Ernesti, inserendum esse *quam* ἀλληγορία. Quod enim sequitur genus, non ex allegoria profluit, sed est ipsa allegoria.

„ clariorem faciant rem", aut quibus „ signifi„ catur magis res tota", aut quae brevitatem conficiant. *c.* 39. Vitare vero iubet primum dissimilitudinem *c.* 40; „ deinde videndum est, „ ne longe simile sit ductum"; tum „ fugienda „ est omnis turpitudo earum rerum, ad quas „ eorum animos, qui audiunt, trahet similitu„ do"; denique ne sit „ aut maius quam res „ postulet, aut minus", postremo ne sit verbum translatum angustius, quam fuisset proprium *c.* 41, ubi in fine monet saepe duritiae molliendae causa praeponendum esse verbum aliquod. Cum autem e translationibus continuatis exsistat *allegoria*, hanc quoque persequitur (et in ea vitare iubet obscuritatem) *c.* 41, nec non *metonymiam*, cuius alia genera aliis ornatiora dicit, *c.* 42. Quamquam utrumque proprie pertineat ad verborum continuationem *c.* 41, 42. Denique tangit *catachresin c.* 43. *init.* „ Abuti„ mur saepe etiam verbo non tam eleganter, „ quam in transferendo: sed etiamsi licentius, „ tamen interdum non impudenter: ut cum „ *grandem orationem* pro *magna*, *minutum ani„ mum* pro *parvo* dicimus".

Ad verba *continuata* refertur 1°. *collocatio*, quam Crassus attingit *l.* 3 *c.* 31: „ quemadmo„ dum verba struat", exponit autem breviter *c.* 43, et in eo esse docet, „ ut neve asper

„ eo-

„ eorum concursus, neve hiulcus sit, sed „ quodammodo coagmentatus et laevis". Commendat eam *ib.* et „ id assequemini", inquit, „ si verba extrema cum sequentibus primis ita „ iungetis, ut ne aspere concurrant, neve vastius diducantur". Pertinet huc 2°. *modus et forma* sive numerus orationis, cui plurimum tribuit Antonius *l.* 2. *c.* 8: „ quod carmen artificiosa verborum conclusione aptius"? eaque re maxime Oratorem ab imperito dicendi distingui docet Crassus *l.* 3. *c.* 44. Hic igitur praecepta quaedam de ea tradit praesertim ex Aristotelis ac Peripateticorum doctrina. Itaque iubet orationem articulis membrisque distinguere, quibus si periodus conficiatur, illud cavendum, ne membra in extremo breviora sint, neve periodus infringatur, *c.* 48, saepe autem illo ambitu abstinendum et „ carpenda membris minutioribus oratio est" c. 49. Moderanda sunt haec numeris quibusdam, liberius tamen, quam solent poëtae, *c.* 48. *init.* 49; unde quoque poëta dicitur *l.* 1. *c.* 16. „ numeris adstrictior paulo". Illud quidem maxime vitandum est, ne versus efficiatur in oratione, *c.* 44, 47. De pedibus improbat iambum et trochaeum iisque dactylum, anapaestum ac spondeum praefert. In primis autem probat paeonem, qui cum sit duplex, posterirem (*u u u* —) parem fere statuit cre-

cretico (— ∪ —), et utrumque claufulis idoneum putat, „ quas vult longa plerumque fyl„ laba terminari". *c.* 47. Hanc vero rem hominum opinione faciliorem ostendit. Verba enim mollisfimam esfe materiam, quae ad arbitrium fingi posfit, tum naturae necesfitate nos iam quodammodo ad *modos* perduci (*c.* 45, 46), et in ea re multum adiuvari exercitatione, *c.* 49. conf. *l.* 1. *c* 33: „ tum ipfa collocatio confor„ matioque verborum perficitur in fcribendo, „ non poëtico, fed quodam oratorio numero et „ modo". Neque folum Oratori natura facultatem adhibendi numeri, fed omnibus hominibus notandi iudicandique tribuit: ut nemo fit auditorum, quin, fi quid peccatum fit, videat; ut docet *c.* 50, 51. Horum itaque ratione habita praecipit, ut claufulis maiorem curam ac varietatem adhibeamus, quippe quas acrius notent homines, quam reliqua, *c.* 50. Infit etiam orationi color quidam, ac per totum corpus diffufae fint hae virtutes, quas Crasfus enumerat *l.* 3. *c.* 25: „ ut gravis, ut fuavis, ut erudita „ fit, ut liberalis, ut admirabilis, ut polita, ut „ fenfus, ut dolores habeat, quantum opus fit". E quibus in primis *venustatem* commendat eamque fingulis dicendi generibus infidere vult; quae tria ftatuit: plenum five copiofum, quod tamen ne nimis tumeat; tenue, quod ne careat vi;

de-

denique mediocre genus, *c.* 52. Convenit haec generum partitio, quae memoratur etiam *c.* 45, 55, cum iis, quae exponit Cicero *Orat.* *c.* 5, 6, 21—29. Praeterea verborum sententiarumque figuris oratio distinguenda est cum ad venustatem, tum ad gravitatem atque vim. Vid. Anton. *l.* 2. *c.* 9: „ aut si quisquam dicitur, „ nisi Orator, formare orationem, eamque va„ riare et distinguere quasi quibusdam verborum „ sententiarumque insignibus"; Crassus *l.* 3. *c.* 25, 52. *in fine.* Praecipuas harum conformationum hic enumerat *c.* 53, 54: quarum nonnullae faciles intellectu sunt, ut *illusio*, *reditus ad propositum*, *interpellatio*; alias Ernestus explanat, ut *erroris inductionem* ac *dissipationem.* Reliquae difficiliores mihi iam illustrandae essent, nisi eas copiose explicari viderem *ad Her. l.* 4. *c.* 13—56: quamquam illic aliis interdum nominibus insigniuntur, et quaedam ad *verba* referuntur, quas in *sententiis* ponit Cicero. Singula vero loca indicemus, ubi earum (certe plerarumque) mentio fit. Quam de sententiarum figuris primam appellat Crassus, *commoratio* illustratur *ad Her. l.* 4. *c.* 45; „ *explanatio re*„ *rumque quasi gerantur, sub adspectum paene* „ *subiectio*", *c.* 55, ubi *demonstratio* dicitur, *percursio*, *significatio*, *brevitas c.* 53, 54; *attenuatio c.* 38. *diminutionis* nomine; *rationis apta*

ta conclusio c. 30. *in fine; superlatio atque traiectio c.* 33. *init.; rogatio atque percunctatio c.* 15. *in fine; expositio sententiae c.* 16, ubi *ratiocinatio* vocatur; *dubitatio c.* 29; *distributio c.* 35; *correctio c.* 26; *praemunitio et traiectio c.* 36, 37. *licentiae* nomine; *morum ac vitae imitatio c.* 50. *notationis* titulo; *personarum inductio c.* 53, *conformationis* appellatione; *descriptio c.* 39; *similitudo c.* 45 – 49; *exemplum c.* 49; *digestio, c.* 40, ubi *divisio* dicitur; *contentio c.* 45; *reticentia c.* 30. *praecisionis* nomine. Verborum lumina sunt illa: *geminatio verborum*, quam ille *conduplicationem* appellat et illustrat *c.* 28; *eiusdem verbi repetitio et conversio*, quae explicantur *c.* 13; *in eadem verba impetus, et concursio, et adiunctio, et progressio*, quae *c.* 14. *complexionis* nomen habet; *distinctio et revocatio verbi* convenire videtur cum *traductione ib. quae similiter cadunt vel desinunt*, inveniuntur *c.* 20. Denique nonnulla Crassus addit insignia, non definiens, utrum *verborum* sint an *sententiarum*. Et *gradatio* quidem illustratur *ad Her. c.* 25; *conversio* fortasse *c.* 33; *abusionis* nomine; *transgressio c* 32; *contrarium c.* 18; *dissolutum c.* 30. *init.*; *exclamatio c.* 15; *quod de singulis rebus propositis ductum refertur ad singula c.* 23, 24. *subiectionis* titulo; *permissio c.* 29; *continuatum c.* 19. *imago c.* 49;

dis-

disiunctio c. 27; *circumſcriptio c.* 32, ubi vocatur *circuitio.* Vid. etiam *Quinctil. l.* 9. *c.* 1 — 4. Nonnullas autem ſententiarum figuras ideo commendat et laudat, quia multum valent ad amplificandum, ut *explanationem, veritatis ſuperlationem, perſonarum fictam inductionem, vocem liberam.* Scilicet amplificatio, quae ponitur et in augendo et in minuendo (*l.* 3. *c.* 27.) maximum orationis ornamentum Ciceroni viſa est. Antonius quidem *eloquenti* ſuo illud quoque tribuerat, „ ut mirabilius et magnificentius auge- „ re posſet atque ornare, quae vellet" *l.* 1. *c.* 21. Et Ciceronis menti convenire videtur eiusdem ſententia, quamvis ad rem, de qua illic agitur, male traducta, *ib. c.* 51: „ Orator „ autem omnia haec, quae putantur in com- „ muni vitae conſuetudine mala ac molesta et „ fugienda, multo maiora et acerbiora verbis „ facit: itemque ea, quae vulgo expetenda at- „ que optabilia videntur, dicendo amplificat „ atque ornat". Hinc etiam coniunguntur „ ornando atque augendo" *l.* 2. *c.* 72. Crasſus autem amplificationem de industria perſequitur *l.* 3. *c.* 27 *ſqq.* eamque deſiderari docet et in explanando et in conſiliando, praeſertim autem in concitando et magis etiam in laudando ac vituperando. Itaque huc refero, quae dicit Antonius *l.* 2. *c.* 9: „ quis laudare bonos ornatius"?

Am-

Amplificationi asſignantur etiam a Crasſo *loci communes*, quorum triplex genus ſtatuit: primum eorum, qui verſentur in vitiis et peccatis incuſandis; quos non niſi criminibus confirmatis uſurpari vult; alterum eorum, qui „ habent deprecationem aut miſerationem"; tertium denique disputationum ancipitum, quarum rationem et copiam ab Academicis et Peripateticis petere iubet Oratorem. Praecipit autem, ut isti loci communes, quamquam de univerſa re tractentur, proprii tamen ſint illius ipſius cauſae, ad quam pertineant. conf. *Orat. c.* 36. Cum igitur his rebus ornari debeat oratio, modus tamen aliquis adhibendus est, ne nimia ſuavitate fastidium nascatur, quod fieri ſolere ſenſuum exemplo confirmat Crasſus eamque rem poëtis, histrionibus ac muſicis curae esſe ostendit *l.* 3. 25, 26.

§ IV.

Quarta virtus, ut apte dicamus.

Quid ſit apte dicere, Crasſus definit *l.* 3. *c.* 14: „ qui idem" (i. e. orationis ornatum) „ ita „ moderantur, ut rerum, ut perſonarum dignitates ferunt, ii ſunt in eo genere laudandi „ laudis, quod ego aptum et congruens nomi-

„ no" Quamquam enim *unam* fere vim esse eloquentiae docet Antonius *l.* 2. *c.* 82. idque confirmat Crassus *l.* 3. *c.* 6: „ una est eloquentia, „ quascunque in oras disputationis regionesve „ delata est. Nam sive de coeli natura loqui„ tur, sive de terrae, sive de divina vi, sive de „ humana, sive ex inferiore loco, sive ex ae„ quo, sive ex superiore, sive ut impellat ho„ mines, sive ut doceat, sive ut deterreat, sive „ ut concitet, sive ut reflectat, sive ut incen„ dat, sive ut leniat, sive ad paucos, sive ad „ multos, sive inter alienos, sive cum suis, si„ ve secum, rivis est diducta oratio, non fon„ tibus; et quocunque ingreditur, eodem est „ instructu ornatuque comitata"; eam tamen alibi aliter exserere debet Orator, et omnino rationem habere primum caussae, deinde auditorum, tum suae ipsius personae, denique temporis, auctore Crasso *ib. c.* 55. Omnem autem eius rei moderationem permittit fere Oratoris prudentiae, nec quidquam praecipit, „ nisi ut „ figuram orationis plenioris, et tenuioris, et „ item illius mediocris ad id, quod agimus, „ accommodatam deligamus".

CA-

CAPUT QUARTUM.

DE MEMORIA.

Memoriam Oratori utilissimam Cicero censet, eiusque rei fructum persequitur Antonius *l.* 2. *c.* 87: „ qui sit autem Oratori memoriae fruc-„ tus, quanta utilitas, quanta vis, quid me at-„ tinet dicere? tenere quae didiceris in accipi-„ enda causa, quae ipse cogitaris? omnes fixas „ esse in animo sententias? omnem descriptum „ verborum apparatum? ita audire vel eum, „ unde discas, vel eum, cui respondendum sit, „ ut illi non infundere in aures tuas orationem, „ sed in animo videantur inscribere? Itaque so-„ li, qui memoria vigent, sciunt, quid, et „ quatenus, et quomodo dicturi sint, quid „ responderint, quid supersit: iidemque multa „ ex aliis causis aliquando a se acta, multa ab „ aliis audita meminerunt". conf. *c.* 35. Plurimum quidem in ea valere putat naturam, sed hanc adiuvari tamen cum simplici exercitatione, de qua monet Crassus *l.* 1. *c.* 34: „ exercenda „ est etiam memoria ediscendis ad verbum quam „ plurimis et nostris scriptis et alienis"; tum

vero artificiosa oratione. quam idem haud spernere se significat, Antonius autem valde commendat et exponit *l.* 2. *c.* 86, 87, 88. Quod artificium cum et in *rebus* et in *verbis* positum sit, *verborum* memoriam Oratori minus necessariam iudicat, *rerum* illam Oratoris propriam *c.* 88, ad quam *loci* potissimum et *simulacra* conducant. Tota huius rei ratio. de qua locus est insignis *ad Her. l.* 3. *c.* 16. usque ad finem, perquam mirabilis est et abhorret a nostra cogitatione, ut vix mente concipi possit. Multum autem in ea valuisse videtur *imaginatio*, quae dicitur, et universa res (quantum ego investigare potui) sic fere comparata fuisse. Si quis memoriae studiosus esset, *locos* certos sibi animo informabat, ut v. c. „ aedes, intercolum-„ nium, angulum, fornicem" (sive illi re vera exsisterent sive imaginando fingerentur), eosque ordine quodam disponebat. Si quid iam esset, quod vellet memoria condere, eius rei insignem quamdam *imaginem* seu *simulacrum*, quasi in tabula pictum, sibi mente effingebat; quod commodo exemplo illustratur *ad Her. c.* 20. Ea simulacra ponebat in *locis* idque ita, ut quod primum esset e memoria excitandum, in primo collocaret loco, quod secundum, in sequenti, atque ita deinceps. *Locos* autem constanter servabat, *imagines* tamdiu duntaxat reti-

ne-

nebat, donec ſuo conſilio ſatisfecisſent. Dicturus igitur omnes locos percurrebat, et quodnam ſimulacrum in quoque loco poſitum esſet, videns in eius *rei* memoriam ſponte revocabatur. „ Loci enim cerae aut chartae ſimillimi „ ſunt, imagines literis, diſpoſitio et colloca„ tio imaginum ſcripturae, pronuntiatio lectio„ ni": ut dicitur *ib c.* 17, quam eamdem hac in re ſimilitudinem Antonius uſurpat *c.* 86. *in fine* 88. Iam vero quae Cicero *l. c.* de locorum et imaginum ratione praecipit, conveniunt ea fere cum *Auctoris ad Herennium* ſententia (et inde multum lucis adipiscuntur), niſi quod ille utendum cenſet locis *illustribus* (quod verbum hic maxime proprio ſenſu accipiendum), cum *ad Her. c.* 19. moneatur: „ nec nimis illustres — locos haberi oportet, ne — ſplendore praefulgeant.

CA-

CAPUT QUINTUM.

DE ACTIONE.

§ I.

De voce.

Actionem hic non intelligo totum Oratoris munus, qua significatione insolito sane exemplo occurrit *l* 2. *c.* 7; sed illam partem, quam in Oratore definiendo memorat Crassus *l.* 1. *c.* 15: „ cum quadam etiam actionis dignitate". Crassi et ipsius Ciceronis sententiae hac in re congruit Antonius *c.* 49: „ eumque esse praeterea „ instructum voce et actione — volo". Quae quam necessaria Ciceroni visa sit, iam inde cognoscitur, quod naturae dotes illuc spectantes tam acriter postulat *l.* 1. *c.* 25, 28. *l.* 2. *c.* 20, iisque si quis excellat, eum tantopere laudat *l.* 1. *c.* 29. *l.* 2. *c.* 21, 45. *l.* 3 *c.* 8. Idem autem de industria docet Crassus *l.* 3. *c.* 56. Magna tribuitur actioni vis in universis causarum contentionibus *l.* 2. *c.* 17: „ accedat oportet actio

„ va-

„ varia, vehemens, plena animi, plena ſpiritus, „ plena doloris, plena veritatis"; in concilian- dis iudicibus *c.* 43 *in fine* „ adhibita etiam ac- „ tione leni facilitatemque ſignificandi"; in iocis *c.* 71: „ itaque imbuendus est is, qui iocoſe „ vult dicere, quaſi natura quadam apta ad haec „ genera, et moribus, ut ad cuiusque modi „ genus ridiculi vultus etiam accommodetur: „ qui quidem quo ſeverior est et tristior — „ hoc illa, quae dicuntur, ſalſiora videri ſo- „ lent". Quid actione efficiendum ſit, Crasſus docet *l.* 3. *c.* 57: „ animi permotio, quae „ maxime aut declaranda aut imitanda est ac- „ tione"; et *c.* 59: „ animi est — omnis ac- „ tio". De duabus autem partibus, in quas ea dividitur (voce ac gestu), voci priores de- fert Antonius *l.* 1. *c.* 59, ubi postquam de ges- tu dixit: „ quis neget, *opus* esſe Oratori, in „ hoc oratorio motu ſtatuque, Roscii gestum „ et venustatem", haec addit: „ quid est Ora- „ tori tam *necesſarium* quam vox" (1)? et de utroque coniuncte ſic iudicat: „ in gestu, qui „ multum Oratorem adiuvat, et in voce, quae „ una maxime eloquentiam vel commendat, vel „ ſus-

(1) Discrimen inter *opus* et *necesſarium* cognosci poterit e *l.* 2. *c.* 10: „ etiamſi opus est, tamen mi- „ nus est necesſarium".

„ sustinet". Apertius etiam Crassus *l.* 3. *c.* 60: „ ad actionis usum atque laudem maximam sine „ dubio partem vox obtinet". Primum igitur de voce dicamus. Varia vocum genera pro singulis animi motibus homini natura tribuit. Harum praecipuae tribus generibus continentur, ut sit vox acuta vel gravis; cita vel tarda; magna vel parva; in quorum unoquoque mediocris quaedam interiecta est. „ Atque etiam illa sunt „ ab his delapsa plura genera, lene, asperum; „ contractum, diffusum (quod videtur appellare *sq. cap. plenum*) „ continenti spiritu, inter- „ misso; fractum, scissum; flexo sono attenua- „ tum, inflatum", ut docet Crassus *l.* 3. *c.* 57. His igitur generibus Oratorem cum iudicio uti iubet, et quodnam vocis genus iracundia, quod miseratio ac moeror, quod metus, quod vis, quod voluptas, quod denique molestia desideret, indicat *c.* 58. Maxime vero commendat crebram vocis mutationem et varietatem, quippe quae cum utilissima sit ad vocem servandam, cui rei magnam operam dandam censet, tum ad iucunditatem suavissima *c.* 60, 61.

§ II.

De gestu.

In gestu plurimum valere docet Crassus os at-

atque vultum, et in eo primas tribuit oculis *c.* 59. „ in ore sunt omnia. In eo autem ipso domi„ natus est omnis oculorum" et mox: „ in hac „ nostra actione secundum vocem vultus valet, „ is autem oculis gubernatur". His enim varias animi permotiones aptissime exprimi posse putat. „ Nam oris", inquit, „ non est nimi„ um mutanda species, ne aut ad ineptias, aut „ ad pravitatem aliquam deferamur". Et de reliquo gestu sic potissimum praecipit, ut a vitiis quibusdam dehortetur, velut a scenico motu et laterum inflexione, nec non a digitorum argutiis, de quibus vid. etiam *Orat. c.* 18. Commendat autem brachii proiectionem et supplosionem pedis, quam utilem se putare Antonius quoque significaverat *l.* 1. *c.* 53. *in fine.*

CA-

CAPUT SEXTUM.

DE GENERE DELIBERATIVO, LAUDATIVO, ET HISTORIA.

§ I.

De ſuaſionibus.

Oratoris eſſe in ſenatu et in concione conſilium de republica dare, inter omnes rhetores conveniebat, ne iis quidem exceptis, qui illius munus arctioribus terminis includebant. vid. *l.* 1. *c.* 6, 11, 14, 31. *l.* 2. *c.* 10. Itaque Cicero vulgari quoque Oratori eas partes aſſignabat; perfecti vero ſummam praeſtantiam in eo poſitam arbitrabatur, ut ſupra vidimus. Quod autem praecipiebant rhetores, in hoc genere maxime ſpectandam eſſe utilitatem (*l.* 1. *c.* 31.), improbat Antonius *l.* 2. *c.* 82, ac dignitatis potius rationem habendam eſſe docet; Oratores autem interdum utilitatem ſequi, cum plerumque timerent homines „ ea neglecta, ne dignitatem quidem poſſe retineri". Indicat *ib.*

quas

quas res afferre oporteat et in utilitate et in dignitate defendenda, quae nonnunquam inter se pugnent; et in eo maximum ostendit esse momentum, si quid aut non fieri posse aut necesse esse demonstretur. Ad hoc genus tractandum Oratori necessarium putat, ut cognoverit rempublicam (quod item docuerat Crassus *l.* 1. *c.* 14, 46.), et ut teneat mores civitatis. Variandum autem censet orationis genus pro vario loco et auditoribus *c.* 82. *init.* In senatu minorem apparatum adhiberi, ingeniique ostentationem vitari vult. „ Concio", inquit, „ capit „ omnem vim orationis et gravitatem varieta„ temque desiderat", quod in fine capitis fusius etiam explicat. Denique ostendit quatuor caussas, unde adversa acclamatio populi oritur, totidemque medicinas, quibus ei malo occurri potest *c.* 83.

§ II.

De laudationibus.

Laudationes ac vituperationes ad Oratorem pertinere putabat Cicero, ut patet e *l.* 2. *c.* 9. „ quis vituperare improbos asperius, quis lau„ dare bonos ornatius —— potest?" et *c.* 24: „ sive ex persona, ut laudis". Utrum autem ca-

earum genus aliquod constituendum et separatis praeceptis instruendum esset (quod nonnulli rhetores fecerant, *l.* 1. *c.* 31. *l.* 2. *c.* 10.), id ei minus constabat. Antonius quidem *l.* 2. *c.* 10, 11, 12. Catulo persuadet eas ab institutione sua segregandas esse, ubi tamen quasi obiter nonnulla de iis praecipit. Idem contra *c.* 15. concedit: „ addat, si quis volet, etiam lauda„ tiones", easque data opera persequitur *c.* 84, 85. Duplicem laudi materiem subiicit, alteram positam in fortunae donis, quae „ sunt generis „ pecuniae, propinquorum, amicorum, opum, „ valetudinis, formae, virium, ingenii, cete„ rarumque rerum, quae sunt aut corporis aut „ extraneae", ut ait *c.* 11. quae *c.* 84. sic describit: „ genus, forma, vires, opes, divitiae, „ ceteraque quae fortuna det aut extrinsecus, „ aut corpori". Haec tamen non propter se laudantur, sed propter virtutem, quae in iis vel bene utendo, vel sapienter carendo, vel eorum amissionem moderate ferendo eluxerit. Vid. *c.* 11. et de his postremis etiam *c.* 85: „ magna etiam illa laus et admirabilis videri so„ let, tulisse casus sapienter adversos, non „ fractum esse fortuna, retinuisse in rebus as„ peris dignitatem". Alterum quod laudetur, est ipsa virtus, quae cum plures habeat partes, eas virtutes laudationi aptissimas putat, „ quae

„ vi-

„ videntur in moribus hominum et quadam co„ mitate ac beneficentia positae", quippe iucundissimas auditu. Neque tamen reliquas, ut sapientiam, animi magnitudinem, ingenii vim et eloquentiam, quamquam minus iucunditatis habeant, praetermitti vult *c*. 84. Iubet autem in singulis virtutibus laudandis ea facta commemorari, quae illuc proprie pertineant, et maxime talia, quae vel sine praemio, vel etiam cum labore et periculo suscepta sint: honores quoque, virtutis praemia et res gestas aut hominum aut deorum iudiciis comprobatas, nec non comparationem cum ceteris praestantibus viris huc adhiberi utile arbitratur. *c*. 85. Ex iisdem autem locis homines vituperari posse docet *ib*. et *c*. 11. De dicendi vero genere, quo hic utendum sit, nihil praecipit, sed „ ex his", inquit, „ fontibus, unde omnia ornate dicendi „ praecepta sumuntur, licebit etiam laudatio„ nem ornare" *c*. 11. Nam amplificationem hoc in genere plurimum posse, iam supra cognovimus.

§ III.

De historia.

Historiam quoque ad Oratoris munus referendam Ciceroni visum esse, non tantum ex aliis ope-

operibus constat, ut e *Brut. c.* 64. et *Leg. l.* 1. *c.* 2; verum etiam his in libris ab Antonio docetur, veluti *l.* 2. *c.* 9: „ historia vero testis „ temporum — nuntia vetustatis qua voce alia, „ nisi Oratoris, immortalitati commendatur?" Quod inde probat, quod orationem formare et expolire unius Oratoris proprium sit. Idem *c.* 22. in Oratorum Graecorum enumeratione Thucydidem memorat; praesertim autem hanc rem explicat *c.* 12. *sqq.* ubi ostendit historicos Romanos ideo minorem dicendi ornatum afferre, quia eloquentissimi homines eam rem neglexissent; si vero bene tractetur, historiam ad Oratorem omnino pertinere. Itaque *c.* 15. haec ait: „ videtisne, quantum munus sit Oratoris „ historia? haud scio, an flumine orationis et „ varietate maximum". conf. *Quinctil. l.* 2. *c.* 18, ubi hoc opus in parte oratoria *merito* se ponere profitetur. Universas historiae leges faciles omnibusque notas putat; ipsam autem aedificationem ponit in rebus et verbis, quorum utramque breviter instruit *c.* 15. Orationis quidem genus abesse iubet a forensi asperitate, et lenem potius aequabilemque tractum adhiberi, quem in Xenophonte laudat *c.* 14.

„ *Honos alit artes omnesque incenduntur ad* „ *studia gloria*".

Cic. *Tusc. l.* 1. *c.* 2.

IOHANNIS RUDOLPHI THORBECKE,

ZWOLLA-BATAVI,

PHILOS. THEOR. ET LITER. HUMAN. CANDIDATI ET IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA STUDIOSI,

COMMENTATIO

AD

QUAESTIONEM LITERARIAM

AB ORDINE

PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM PROPOSITAM:

„ *Ex iis quae in libris Ciceronis de Oratore a Crasso, Antonio, Caesare, aliis, de Eloquentia disputantur, ipsius efficiatur Ciceronis* de perfecto Oratore *sententia*".

QUAE SECUNDOS HONORES TULIT.

Qui verae eloquentiae dat operam, dat prudentiae.

Cicero.

PRAEFANDA.

DE QUAESTIONIS SENSU, LIMITIBUS, TRACTANDAE RATIONE.



Vires meas periclitaturus in tractanda quaestione ab Ordine Cl. Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum proposita, paucis praemissis, exponendum duxi, cum de sensu et limitibus, quibus quaestio mihi contineri videbatur, tum de instituendi responsi ratione, quam, qua sum virium tenuitate, spero probaturum me esse Iudicibus meis, Viris Cl.

Quaestio exigit, ut

Ex iis, quae in libris Ciceronis de Oratore a Crasso, Antonio, Caesare, aliis, de eloquentia disputantur, ipsius efficiatur Ciceronis de perfecto Oratore *sententia.*

 Igi-

Igitur describendus est *perfectus Orator* ex mente Ciceronis: cuius descriptionis instruendae et hauriendae princeps fons sit dialogus *de Oratore;* in quo Auctor alias personas varia ratione, et in utramque partem de perfecto Oratore disputantes induxit, se ipsum non induxit.

Verum, cum de aliis partibus et locis in Libris *de Oratore* nec disputetur, nec sententiarum varietas inferatur; de aliis vero disputantes in diversas abeant partes, contraria oratione se invicem refellentes; videtur mens propositae quaestionis spectare modo partem posteriorem.

De quibus enim disputationis partibus inter omnes constat, de iis ambigi nullo modo potest, quaenam sit Ciceronis sententia: non opus est, ut efficiatur, sed plana est, et patet omnibus.

At vero de iis locis, quae sententiarum discrepantia tentantur, ut constituatur et exponatur Ciceronis sententia, Ordinem voluisse putavi. Ita nulla controversia potest esse sententiae Ciceronianae, in praeceptis artis Rhetoricae, quibus instruitur dicendi facultas, quaeque *omnium communia et contrita praecepta* vocat Crassus (*de Orat.* I: 31.): nam ubi de iis ab una aut altera persona in Libris *de Oratore* exponitur, nullam non modo videmus sententiarum discrepantiam, sed praeterea rem

ita

ita comparatam esſe intelligimus, ut haec artis praecepta, quaecumque ſit ceterum de ſummo Oratore contentio, ab omnibus Oratori, quibuscumque terminis incluſo, concedantur: quippe quae pertineant ad dicendi facultatem, quae, omnibus fatentibus, Oratoris unice est propria. Et univerſe hoc est tenendum, quando ſermo erit de perſonarum in Libris *de Oratore* diverſis ſententiis, veluti de ſententia Antonii, tamquam oppoſita Iudicio Crasſi, hoc intelligendum esſe de iis harum ſententiarum partibus, quibus disſentiunt diſputantes: nam ceteroquin pluribus in locis, quae omnis fere ſententiarum varietatis est ratio, habet v. g. Crasſus asſentientem ſibi Antonium: ſed eatenus non ſunt duae ſententiae, ſed una. Ita ſi dicendum aliquando fuerit, Ciceronem non Antonii, ſed Crasſi partes ſecutum fuisſe; non dicimus, Tullium ab omni ſe Antonii ſententia ſeiunxisſe, ſed iis diſputationis regionibus, quibus ambo diſcrepabant, ibi deditum fuisſe ſententiae Crasſi.

Igitur hoc est huius inſtitutae ſcriptionis, ut capitibus et momentis disſenſionis disputantium de perfecto Oratore, indagatis, et accurate conſtitutis, de his, longe gravisſima lite, efficiatur et explicetur C i c e r o n i s ſententia.

Itaque non tantum argumentum Librorum

de

de Oratore explicandum erat, ſed diligentius eruenda haec disputationis capita et fontes: quorum ratio cum arcte cohaereat, cum ſcriptionis *de Oratore* conſilio, forma, perſonarum disputantium natura, indole, historia, de his omnibus quaedam erant praemittenda. In quibus tamen accuratius quodammodo verſandum erat, ut ratio fontis, unde flueret omnis ad Quaestionem propoſitam reſponſio, rite cognosceretur, ac teneretur. Haec igitur Cap. I. continentur.

Inventa autem ſententiarum varietate, inter quas circumſpiciendum ſit de ſententia Ciceronis; huius eligendae et conſtituendae fontes ac rationes investigandi ſunt. Horum autem claſſem unam, digito quaſi indicabat ipſa Quaestio; ex qua ductis argumentis idcirco primum locum asſignavi.

Unde cum, ſi velis, ſatis iam conſtaret de Ciceronis ſententia, non alienum tamen a Quaestionis ſenſu esſe duxi, ut ſi qui alii esſent fontes derivandae Tullii ſententiae, ii deinceps adhiberentur: praeſertim ſi horum fontium ea esſet ratio, quae Oratorem Ciceronianum imprimis illustraret, atque eius informationem adiuvaret et perficeret. — Itaque Cap. II. feci, de fontibus et rationibus efficiendae Ciceronis de ſummo Oratore ſententiae.

Denique Cap. III. deſcribendus erat Orator

ex

ex Ciceronis mente, plenus ille et perfectus, et summus: qui eo plenior et perfectior cogitatione informandus erit, quo minus digne, et pro ea imprimis rei amplitudine, eum, quae est iudicii mei nondum subacti exiguitas, depingere potuit. At cum in Cap. II. de multis partibus summi Oratoris iam exponendum fuisset, ea repetere nolui in Cap. III., quo proprie pertinebant: haec igitur arcessenda et revocanda sunt ad Caput ultimum, a quo divellere ea cogebar, ubicumque in eo brevior eram in iis explicandis, quorum iam antea mentio facienda erat.

Ultimo loco monendum mihi est, de ratione tractationis, me religioni mihi duxisse, ubi ipsis Ciceronis verbis aut rem explicandam, aut ipsius sententiam melius possem exprimere, ibi sententiis eius, in quibus perpetuo versabar, sua verba detrahere, easque ingenio meo committere vestiendas et explicandas. Itaque hoc a me Ciceroni tribuendum esse censebam, ut, ubicunque sententias eius laudarem, aut adhiberem, ibi eum quoque, optime eas pronuntiantem, inducerem. Et praeterea, ubi videbam, unum Ciceronis locum ex alio satis illustrari et exponi, ibi mea explicatione nihil opus esse intelligebam, sed Ciceronem malui exponere ex Cicerone. Qua in re eam viam ineundam

esse opinatus sum, non ut singulis locis anxie collectis, et secum invicem comparatis, ex iis efficerem Ciceronis sententiam, quae non uno, alterove loco conclusa est, sed per omnem Tullianorum scriptorum varietatem regnat et dispersa est: verum id mihi faciendum, certe annitendum, ratus sum, ut totam Ciceronianae sententiae magnitudinem comprehensam, haurirem et instituerem ex illa universa mente, quae in omnibus eius scriptis spirat; unde, tamquam a capite et fonte, cetera dimanarunt omnia, et in varios rivulos diducta sunt.

Ad quam ipsam Ciceronis mentem assequendam, cum mirifice me adiuvari posse viderem, et instrui a Quinctiliano; memor iudicii Vallae, „ neminem posse, neque Quinctilianum „ intelligere, nisi Ciceronem optime teneat, „ neque Ciceronem probe sequi, nisi Quinc„ tiliano pareat", saepius Ciceronis sententiam ex Quinctiliano explanare tentavi.

Quibus monitis nihil addendum habeo, nisi illud, quod etiam atque etiam sibi persuasum velim habeant speciminis legendi initium facturi, se habere auctorem, quanto distet intervallo ab ingenii probabili quadam et doctrinae mediocritate, probe sibi conscium.

CAPUT PRIMUM.

DE CONSILIO, FORMA, PERSONIS, ARGUMENTO, CONSTITUTIONE LIBRORUM CICERONIS DE ORATORE.



§ I.

De consilio conscribendorum Librorum de Oratore.

Rogaverat M. Ciceronem frater, ut ad se aliquid conscriberet de omni ratione dicendi; praesertim cum in disputationibus Quintus a fratre soleret dissentire de eloquentiae forma, ratione, munere. Huic igitur fratris voluntati do-

deesse nolens Marcus, ipse otium suum, quod Cosf. Cn. Pompeio II. M. Crasso II. (1) ipsi relictum erat, ad scribendum libenter conferens (2), de proposita quaestione uberius exponit; et eam simul operi formam conciliat, ut quid viri omnium eloquentissimi clarissimique senserint de omni ratione dicendi, cognoscatur; et simul ex aliis personis fingere videatur disputationem se inter et fratrem: quod postremum deinde magis etiam constabit (3). Conscripsit autem Cicero, ut diximus, libros *de Oratore*, Cosf. Cn. Pompeio II. M. Crasso II, anno altero post revocationem suam ab exilio, cum a Clodio et Triumviris resp. ita misceretur, ut Tullius nec antiquam consiliorum suorum rationem amplius sequi, nec aliam constanter satis, et cum reip. salute ingredi posset. Itaque omne tempus, quod aut resp., quam tuebatur tamen, quantum poterat, aut causfae amicorum, quibus sedulo adfuit, aut sua dignitas, quam fraus inimicorum maxime la-

(1) Vid. Middleton, *leven van* Cicero, *vertaald door* Zillesen, *Deel II. p.* 97. F. Fabricius Marcoduranus, *Hist. Cic. per annos descripta* ad a. U. C. 698.

(2) Vid. *de Orat.* I. 1.

(3) Vid. *de Orat.* I. 2.

labefactare conabatur, ipsi relinquebant, omne illud tempus libentissime in literato egit otio, quo a turbis rerum civilium se reficeret. Unde fatetur Lentulo (1), promittens, se illi missurum *de Oratore* libros, „ ab orationibus di-„ iungo me fere referoque ad mansuetiores Mu-„ sas": quippe horum temporum otium nondum illud fuit, quo, rerum summa uni delata, Cicero, a rep. plane remotus, literas et philosophiam imprimis, pro reip. administratione sibi substitutam esse poterat arbitrari (2); et totas philosophicas quaestiones scribendo explicare. Ab hoc mansuetissimo studiorum genere nimis adhuc abhorrebat hoc otium, cui libros *de Oratore* debemus; agitatum illud et interruptum turbis civilibus, aut causis forensibus; quod igitur aptius fuit perficiendo operi, coniuncto et cum reip. procuratione, quam tueri Cicero conabatur, et cum eloquentia, qua quotidie fere utebatur, aut in senatu, aut in concione, aut apud iudicem.

Praeterea hoc tempore primum post aetatem iuvenilem, animum ad scribendum adiicere potuerat, atque id ipsum, dum in fluctibus rerum civilium continuo adhuc versabatur: quid itaque ma-

(1) *ad Fam.* I. 9.

(2) Conf. *de Divin.* I. 2.

magis consentaneum, quam quod Cicero, qui a primâ adolescentia omnia ad virum civilem et Oratorem converterat, primum opus suum ederet ex eo genere, quod ad eloquentiam, cui omnia se debere libenter agnoscebat, quam proxime pertineret: quo gratiam quasi ei, de se optime meritae, referret; atque eam instrueret et ornaret, a qua se plurimum esse instructum et adiutum fatebatur? quid adeo ab Oratore Cicerone, cuius eloquentia fere unice in rep. regnabat, potius exspectari poterat, quam ut eloquentiam celebraret? — Igitur testatur (1), se ante, quam ad opera Philosophica animum appulisset, „ orationes, aut aliquid id genus „ solitum fuisse scribere".

His caussis, cur ad opus Oratorii potissimum argumenti conscribendum, hoc tempore se contulerit, accessit imprimis etiam *consilium*, quo libros *de Oratore* perfecit et edidit. Hoc consilium indicat (2), ad fratrem scribens: „ vis —, „ ut mihi saepe dixisti, quoniam quae pueris, „ aut adolescentulis nobis ex commentariolis „ nostris inchoata ac rudia exciderunt, vix hac „ aetate digna, et hoc usu, quem ex caussis — „ tot tantisque consecuti sumus; aliquid iisdem „ de

(1) *ad Att.* XIII. 12.
(2) *de Orat.* I. 2.

„ de rebus politius a nobis, perfectiusque pro„ ferri". Ediderat ſcilicet adoleſcens Cicero libros Rhetoricos IV. (ex quibus V. V. D. D. exiſtimant duos adhuc ſupereſſe, illos qui *de Inventione* inſcripti feruntur (1)); hos autem Quinctilianus (2) refert, Ciceronem dixiſſe adoleſcenti ſibi eſſe elapſos, quos igitur (3) poſtea improbavit: „ ſunt enim (4) velut re„ geſtae in hos commentarios, quas adoleſcens „ deduxerat, ſcholae" (5): itaque (6) pulcherrimos illos *de Oratore* ſubſtituens, hos iam editos artis Rhetoricae libros, aliis poſtea ſcriptis quaſi damnavit (7). His Quinctiliani teſtimoniis ſatis illuſtrari videtur et locus laud. (8), et conſilium Ciceronis operis *de Oratore* edendi. Voluit enim Rhetoricos antea editos, ſe iam non amplius dignos, obruere novae ex eodem genere ſcriptionis ſplendore et praeſtantia, quo

(1) Vid. Io. Alb. Fabricii *Bibl. Lat.* a Io. Aug. Ernesti auctius edita, T. I. Lib. I. c. 8. § 3. no. 1. et laud. ibi Vossius, *de nat. Rhet.* c. XIII. p. 340. edit. Amſtel. 1697. Opp. Voſſ. T. III.

(2) I. O. III. 1. p. 150. ed. Gibſon. Lond. 1716.

(3) Ibid. c. 5. p. 159.

(4) Ibid. c. 6. p. 170. (5) i. e. disputationes.

(6) Quinct. l. c. p. 171. (7) Ibid.

(8) *de Orat.* I. 2.

quo gloriam eloquentiae ſuae, quam in rep., uſu, apud omnes conſecutus erat, etiam ſcriptis non minuisſe videretur, ſed aequasſe, ac digne tuitus fuisſe. Hoc igitur imprimis conſilio ſtatuit, primo, quod ſibi contingeret, otii tempore, in hoc negotio elaborare, in quo famam ſuam ſummopere agi existimabat: ut vel maxime patet ex Epistola ad Leptam (1), in qua, *Oratorem*, inquit, „ meum tantopere a „ te probari, vehementer gaudeo. Mihi qui„ dem ſic perſuadeo, me, quicquid habuerim „ iudicii de dicendo, in illum librum contulisſe. „ Qui, ſi est talis, qualem tibi videri ſcribis, „ ego quoque aliquid ſum: ſin aliter, non re„ cuſo, quin, quantum de illo libro, tantum„ dem de mei iudicii fama detrahatur". Quibus id effecit, ut hos de perfecto Oratore libros, quos iure ipſe auctor ſibi vehementer esſe probatos, fatetur (2), et Atticus in coelum ferebat (3), posteri cenſuerint in praeſtantisſimis ſcriptis Ciceronianis primum locum merito obtinere; de quibus adeo Tullius confitetur, factum esſe a ſe diligenter: atque eos diu multumque in manibus fuisſe (4).

His

(1) *ad Fam.* VI. 18.
(2) *ad Att.* XIII. 19. Conf. IV. 13.
(3) *ad Att.* IV. 15.
(4) *ad Att.* IV. 12.

His denique omnibus addendum est, quod Cicero tradit *de Oratore* II. 2. Cum nempe ſtatueret, talem existere eloquentiam non posſe, qualis fuerit in Crasſo et Antonio, non cognitis rebus omnibus, quae ad tantam prudentiam pertinerent, tantamque dicendi copiam, quanta in illis fuerit (1); vulgaris autem opinio esſet, L. Crasſum non plus attigisſe doctrinae, quam quantum prima illa puerili inſtitutione potuisſet; M. vero Antonium omnino omnis eruditionis expertem atque ignarum fuisſe (2): „ feci," inquit (3), „ eo libentius, ut eum „ ſermonem, quem illi quondam inter ſe de „ his rebus habuisſent, mandarem literis: vel „ ut illa opinio, quae ſemper fuisſet, tolleretur, alterum non doctisſimum, alterum plane „ indoctum fuisſe; vel ut ea, quae existima„ rem a ſummis Oratoribus de eloquentia divi„ nitus esſe dicta, custodirem literis, ſi ullo „ modo asſequi, complectique potuisſem; vel „ mehercule etiam, ut laudem eorum iam pro„ pe ſenescentem, quantum ego posſem, ab „ oblivione hominum, atque a ſilentio vindi„ carem. Nam ſi ex ſcriptis cognoſci ipſi ſuis „ po-

(1) *de Orat.* II. 2.
(2) *de Orat.* II. 1.
(3) Ibidem C. 2.

„ potuissent, minus hoc fortasse mihi esse pu-
„ tassem laborandum; sed cum alter non mul-
„ tum (quod quidem exstaret) et id ipsum ado-
„ lescens, alter nihil admodum scripti reliquis-
„ set; deberi hoc a me tantis hominum inge-
„ niis putavi, ut cum etiam nunc vivam illo-
„ rum memoriam teneremus, hanc immortalem
„ redderem si possem. Quod hoc etiam spe
„ aggredior maiore ad probandum, quia non
„ de Ser. Galbae, aut C. Carbonis eloquentia
„ scribo aliquid, in quo liceat mihi singere, si
„ quid velim, nullius memoria iam refellente;
„ sed edo haec iis cognoscenda, qui eos ipsos,
„ de quibus loquor, saepe audierunt; ut duos
„ summos viros iis, qui neutrum eorum vide-
„ rint, eorum, quibus ambo illi Oratores cog-
„ niti sint, vivorum et praesentium memoria
„ teste, commendemus".

Huic loco coniuncta est quaestio, an revera habita sit haec disputatio, quod affirmante A. Mannuccio (1), negante A. Talaeo (2), mihi sane verosimile videtur.

Primo hoc mihi iure efficere videor ex accu-

(1) *In Argumento libror. de Orat.* in Cic. Opp. Rhet. Vol. II. init. Venet. 1583.

(2) *In praefat. explicationis suae de Orat.* ibid. Vol. II. init.

curata temporis habiti dialogi notatione, et coniunctione cum ipsa horum temporum historia, et statu civitatis (1), quod in aliis non eadem ratione factum est. Dein saepius testatur Cicero, se consignasse, quod acceperit, in horum virorum disputatione esse versata (2); eo modo, ut, cum ipse sermoni non interfuisset, sed cui C. Cotta tantummodo locos ac sententias huius disputationis tradidisset, quo in genere orationis utrumque, et Crassum et Antonium, oratorem Cicero cognovisset, id ipsum in eorum sermone adumbrare conatus fuerit (3): comparat autem hunc dialogum cum libris Platonis, in quibus omnibus fere Socrates exprimitur (4). — Pugnare denique pro hac nostra sententia etiam videtur locus, quem modo adscripsimus (5), ubi se non scribere dicit de Ser. Galbae aut C. Carbonis eloquentia, in quo liceat ipsi fingere, si quid velit, nulla memoria refellente; sed se edere haec iis cognoscenda, qui eos ipsos, quos principes constituerit sermonis, saepe audierint.

Nec

(1) Vid. *de Orat.* I. 7. III. 1. 2.
(2) *de Orat.* I. 6. Conf. c. 2. II. 2. III. 1. 4.
(3) *de Orat.* III. 4. Cf. I. 7. 8. III. 5.
(4) *de Orat.* III. 4.
(5) *de Orat.* II. 2.

Nec tamen hanc ſententiam eo modo intellectam velim, quaſi haec *de Oratore* disputatio, ita ſit habita, ut conſcripſit Cicero, non tantum non, quod attinet ad verba, aut ſingularum ſententiarum in ſermone rationem, (hoc enim iam refellitur loco cit. Cic. *de Orat.* III. 4.) ſed nec etiam quod ad reliquam conſtitutionem refert; est enim hic mos dialogorum, ut perſonae inter ſe loquentes inducantur, quae nunquam inter ſe locutae ſunt, (quae est excuſatio Ciceronis, cum ad Varronem Academica mitteret (1)): et in hac ipſa disputatione, Cicero (2) ſe defendit, quod die disputationis primo, Scaevolam iam removerit; quod certe non convenit dialogo, accurate ad veritatis ſpeciem compoſito. Igitur hoc tantum tueri volumus, quod et per ſe minime abhorret a veriſimilitudine, et laudata Ciceronis testimonia, coniunctioque dialogi, cum his ipſis, quibus habitus dicitur, reip. Romanae temporibus, nobis perſuadere videntur, ſermonem esſe aliquando habitum quemdam de ratione dicendi, cuius principes fuerint L. Crasſus et M. Antonius: quorum disputationes, ab illis locis ductas, quos ipſi tradiderat Cotta, ita ex inge-

(1) *ad Fam.* IX. 8.
(2) *ad Att.* IV. 15.

genio Tullius suppleverit et finxerit, ut distinctam personarum expressionem servarent, a quibus fluxerant.

§ II.

De forma Operis.

Forma librorum *de Oratore* est sermonis per dialogum; ita ut sit disputatio inter personas inductas, „ quae est consuetudo dialogorum" (1). Ἔστι δὲ διάλογος λόγος ἐξ ἐρωτήσεως καὶ ἀποκρίσεως συγκείμενος περί τινος τῶν φιλοσοφουμένων καὶ πολιτικῶν, μετὰ τῆς πρεπούσης ἠθοποιΐας των παραλαμβανομένων προσώπων, καὶ τῆς κατὰ τὴν λέξιν κατασκευῆς (2).

Horum dialogorum inventionem et originem (3) alii referunt ad Zenonem Eleatem (4): Aristoteles (5) autem (6), ad Alexamenum Sty-

(1) Iudice Cicerone *in Brut.* c. 60.

(2) describente Diog. Laërt. L. III. p. 215. ed. Stephan. 1593.

(3) auctore Diog. Laërt. l. c.

(4) Conf. W. Tr. Krug, *Gesch. der Phil. alt. Zeit.* § 43. not. *b.* p. 118. et quos ille citat Auct.

(5) loco, qui exstat apud Athenaeum L. XI. cuius verba laudat Casaubon. ad Diog. l. c.

(6) Ut idem Diog. tradit l. c.

Styreum ſeu Teium, cui conſentiri dicit Phavorinum in Commentariis. Ceterum ex iudicio Diog. Laërt. (1), Plato demum id genus expolivit, antea adhuc rude, et perfecit; quo ſenſu forte etiam optime cum antecedentibus conciliari poſſit alius locus Phavorini, quem Diogenes (2) ſtatuisſe dicit in L. VIII. παντοδαπῆς ἱστορίας, Platonem primum dialogos induxisſe.

Ad dialogi autem formam eligendam, Ciceronem conſilium ducere debebat, quo hos libros conſcripſit.

Voluit, ut in § 1. diximus, cum fratri tradere, quae viri omnium eloquentisſimi clarisſimique ſenſisſent de omni ratione dicendi (3): tum etiam disputationem ſe inter et fratrem, eius rei, de qua disſentiebant, ſed ad alias perſonas translatam, efformare (4): denique Antonii et Crasſi memoriam tueri: ſententias et dicta custodire literis: laudem ab oblivione vindi-

(1) l. c. et vid. imprimis D. Wyttenb. v. ce. in Epiſt. ad v. ce. Ph. G. van Heusde, praemisſa huius Specimini Critico in Platonem p. XL. ſqq.

(2) L. III. p. 201. conf. Krug, l. c. § 75. not. *b*. pag. 204.

(3) *de Orat.* I. 2. (4) *de Orat.* ibid.

dicare (1). Quibus omnibus maxime consentanea erat forma dialogi: praecipue cum tradat Cicero (2), hanc, quam literis consignavit, de summo Oratore disputationem, revera quondam a Crasso et Antonio fuisse habitam; quam ex locis a Cotta sibi traditis, adumbraverit (3). Qua ratione igitur revera disputatio habita esset, eam maxime sequi Cicero debebat in conscribendo.

Describit Tullius formam, cuius sequendae caussas explicuimus, in epist. ad Lentulum (4): „ scripsi — Aristotelico *more*, quemadmodum „ quidem volui, tres libros in disputatione ac „ dialogo *de Oratore*, quos arbitror Lentulo „ tuo fore non inutiles;" et ad Atticum (5) mentione huius operis *de Oratore* facta: „ quae — „ his temporibus, inquit, scripsi, Ἀριστοτέλειον „ morem habent: in quo sermo ita inducitur „ ceterorum, ut penes ipsum sit principatus" (6). Ita non tantum Cicero Aristotelium morem servavit in dialogis: sed etiam testatur (7), se in singulis libris uti *proöemiis* (8), „ ut Aristote-

(1) *de Orat.* II. 2. (2) *de Orat.* I. 2. 6. III. 4. (3) *de Orat.* III: 4. (4) *ad Fam.* I. 9.
(5) XIII. 9. (6) vid. tamen Wyttenb. v. ce. in Epist. laud. p. L. sqq. (7) *ad Att.* IV. 15.
(8) De quibus conf. Middlet. *leven van* Cic. *vertaald door* Zillesen, D. III. p. 68, 69. not. 1.

teles in iis, quos ἐξωτερικοὺς vocat". Igitur cum ex Aristotelicorum scriptorum ratione esset diiudicandum, quomodo eam Cicero servarit, tulit fati iniquitas, ut contra, mos Aristotelicus ex imitatione Ciceroniana cognoscendus sit. Nam dialogos Aristotelicos (1) superstites habemus nullos, quod eo magis dolendum, quia διαλόγικα haec scripta perdita, ipsa eadem esse videntur quae ἐξωτέρικα vocat, ut apparet ex l. c. (2) tum imprimis ex Ammonio Hermea (3), qui diserte pronuntiat, Aristotelis libros exotericos forma fuisse διαλογικοὺς, exotericos vero seu acroamaticos αὐτοπροσώπους, sive ex sua ipsius persona disputationes. Unde igitur efficiendum esset, nobis ex operibus Aristotelis omnes libros *esotericos*, nullos *exotericos* esse reliquos: cum contraria sors Platonis scriptis contigisset (4). Nam etiamsi no-

(1) quos tamen eum scripsisse, intelligitur cum ex ll. citt. tum ex iis, quos laudat W. Tr. Krug, *Gesch. der Phil. alt. Zeit.* § 83. not. *b*. p. 237.

(2) *ad Att.* IV. 15.

(3) ad Aristot. *Categ.* fol. 2. postrem.

(4) Vid. omnino Krug, l. c. et Auct. ibi laud. quibus addatur Sam. Rachelius *Introd. in Philos. Mor. Aristot.* praefixa eius editioni *Ethic: Aristot. ad Nicomachum*, Helmaestad. 1670. c. X. p. 94 seqq. et Wyttenb. v. ce. in Epist. laud. p. XLVII. XLVIII. et in *Praecept. Phil. Log.* p. III. c. I. § 9.

nobis deficiant opera Aristotelica eius formae, quam Cicero sibi proposuerat, in eam tamen incidunt scripta Platonis, quorum exemplo Cicero se defendit (1), cum Atticus ipsi obiecisset, in dialogo *de Oratore* Scaevolam post primam disputationis diem, non recte esse dimotum.

Ceterum necesse non arbitror ipsam hanc dialogicae disputationis rationem describere: nota est omnibus, per se intelligitur, et optime ex ipsis disputationibus perspicitur.

§ III.

De dialogi personis.

Pauca quaedam mihi visa sunt esse praemittenda, ex quibus personarum, inter quas dialogus *de Oratore* habetur, historica aliqua notitia comparetur. Nam qua ratione singulae cum disputationis capite coniunctae sint, id commodius infra dicetur.

Uti eloquentiae aevo suo, ita et huius disputationis princeps est L. Licinius Crassus (2): na-

(1) *ad Att.* IV. 15.

(2) Non *Marcus*, ut male nominatur apud *Auct. Dial. de Orat.* c. 35. conf. Gell. XV. 11. nec con-

natus a. U. C. 614, cum 34 annos Ciceroni aetate praestaret (1), qui natus est a. U. C. 647. A puero summo studio, summis doctoribus, omnem doctrinam, et dicendi rationem didicit (2). Affinis fuit C. Marii (3). Nono decimo aetatis anno (4) insecutus est C. Carbonem, qua occasione praeclarum dedit iustitiae exemplum, quod ab oblivione vindicavit Valerius Maximus (5): et vigesimo septimo defendit Liciniam virginem Vestalem, qua in causa eloquentissimus fuit (6). Aedilitate cum collega Scaevola magnificentissima functus est (7). Consul fuit a. U. C. 658 cum Q. Mucio Scaevola (8).

Auc-

confundendus cum P. *Licinio Crasso Muciano*, quod aliquoties factum est vid. Bachius, *Hist. Iurispr. Rom.* L. II. c. II. Sect. IV. § 34.

(1) *in Brut.* c. 43. (2) *de Orat.* II. 89.

(3) Vid. *de Orat.* I. 15. *pro L. Corn. Balbo*, c. 21. Stemma gentis *Liciniae*, vid. apud Ruperti, *Tab. Geneal. Gent. Rom.* Götting. 1794. p. 110 seqq. et nostrum Oratorem p. 113.

(4) referente *Auct. Dial. de Orat.* c. 34. conf. Cic. *in Brut.* c. 43. L. III. *Act. in Verrem.* c. 1. *de Off.* II. 13. 14. *ad Fam.* IX. 21. Val. Max. III. 7. ex. 10. conf. *de Orat.* I. 10. 34.

(5) VI. 5. ex. 6. (6) Cic. *in Brut.* c. 43.

(7) *de Off.* II. 16.

(8) *in Brut.* ibid. Val. Max. VIII. 15. ex. 6. conf. F. Fabric. *Hist. Cic.* ad a. U. C. 658.

Auctores fuerunt hi Cosf., quos Cicero (1) vocat, *omnium*, quos viderit, *fapientisfimos*, legis Liciniae Muciae; cum Crasfo foli fit tribuenda lex Licinia, eodem anno lata (2). Ex confulatu Crasfo obtigit citerior Gallia; qua in adminiſtratione (3), „ fpiculis prope „ fcrutatus est Alpes, ut, ubi hostis non erat, „ ibi triumphi caufam aliquam quaereret". Ibi igitur latrones quosdam confecit (4), fed triumphi, quem postulavit, impediente collega, repulfam tulit (5). Ceterum vero eam provinciam quam integerrime rexit: nam C. Carbonem, (cuius patrem actione fua in exilium pepulerat) qui eum ad acta ipfius fpeculanda eo fecutus erat, in tribunal recepit, cumque eo de omnibus rebus communicavit: nec potuit Carbo ullam criminandi Crasfi caufam reperire (6). Cenfor (7), quod munus gesfit a. U. C. 660 cum Cn. Domitio Ahenobarbo, fus-

(1) Fragm. *Orat. pro Cornel.* I. *de Off.* III.

(2) Vid. Bachius, *Hiſt. Iurispr. Rom.* L. III. c. II. Sect. I. § 67. edit. VI. et qui ibi laudd. Auct.

(3) Ut Cic. ait. *in Pifon.* c. 26.

(4) Cic. *de Invent.* II. 37.

(5) *In Pifon.* c. 26.

(6) Vid. Val. Max. III. 7. ex. 10. fed conf. L. III. *Act. in Verr.* c. 1.

(7) *de Orat.* II. 89.

ſustulit edicto latinos dicendi magistros (1). Iurgia inter Crasſum et collegam in cenſura, memorant Plinius (2), Valerius Maximus (3), Macrobius (4), imo orationem contra collegam cenſorem habitam Antonius (5). Homo enim fuit L. Crasſus lauto et opiparo vitae cultu (6): et univerſe elegantisſimus, hilaris, „ praeſens ingenio ſemper, et faceto lepore ſolers" (7). Lateris dolore periit a. U. C. 662, postquam aliquot dies ante, auctoritatem Senatus fortisſime et vehementisſime contra impugnantem Coſ. Philippum vindicasſet; quod Cicero magnifice et Oratorio plane modo deſcribit (8). Hominem *clarisſimum* atque *eloquen-*

(1) ut ipſe refert *de Orat.* III. 24. conf. Suet. *de cl. Rhet.* c. 1. Gell. XV. 11. *Auct. Dial. de Orat.* c. 35.

(2) H. N. XVII. 1. (3) IX. 12. ex. 4.

(4) *Saturn.* II. 11.

(5) *de Orat.* II. 11. conf. *in Brut.* c. 44.

(6) Conf. Plin. H. N. IX. 52. XXXI. 2. XXXIII. 11. XXXIV. 3. XXXVI. 3.

(7) Plin. XVII. 1. conf. Cic. *in Brut.* c. 40. 38. *de Off.* I. 30. 37. *de Orat.* II. 54 ſqq.

(8) *de Orat.* III. 1. 2. 3. 4. conf. I. 7. Quinct. I. O. XI. 1. p. 615. Val. Max. VI. 2. ex. 2. F. Fabric. *in Hist. Cic.* ad a. U. C. 662.

quentissimum eum appellat Cicero (1), *sapientissimum Romanae civitatis* (2); *Oratorem inprimis nominis Romani* Plinius (3); *summae dignitatis et eloquentiae virum* Valerius Maximus (4), quem dicit (5) iudicum suffragia robustissimis et felicissimis eloquentiae stipendiis rexisse, forique fuisse principem, ut Aem. Scaurus curiae (6); et quae aliae laudes continentur ll. citt. (7) Crassi variae memorantur caussae et orationes (8). Notatur a Cicerone (9) Crassi inconstantia, ex habita temporum ratione profecta, cum in oratione legis Serviliae summis

(1) L. III. *Act. in Verr.* c. 1.
(2) *In Pison.* c. 26. conf. *pro Cluent.* c. 51.
(3) H. N. XVII. 1. conf. Vellei. Pat. II. 9. § 1.
(4) VI. 2. ex. 2. (5) Idem VIII. 5. ex. 3.
(6) Conf. Cic. *pro L. Corn. Balbo*, c. 1. 21.
(7) Conf. etiam *in Brut.* c. 36 seqq. c. 87. *de Orat.* II. 1. 2. I. 52. et passim. Quinct. I. O. XI. 3. p. 637. 353. Quodnam dicendi genus secutus fuerit, diiudicat Quinct. XII. 10. p. 703.
(8) *de Orat.* I. 56. II. 6. 32. 40. 54. 55. 56. 67. *de Off.* II. 18. III. 16. *pro Domo* c. 19. *in Brut.* ll. citt. Val. Max. IX. 1. ex 1. Testimonium vehementissimum adv. *Marcellum* Val. Max. VIII. 5. ex. 3. Cic. *pro Fontei.* c. 7. 8.
(9) *pro Cluent.* c. 51.

mis ornasſet ſenatum laudibus (1); at eius rurſus auctoritati, quantum posſet, detraxisſet, L. Plancium, quem accuſabat M. Brutus, defendens (2).

Secundum in libris *de Oratore* locum occupat M. Antonius, natus a. U. C. 610. ſiquidem triennio integro, ſive quadriennio minus pleno (3), maior fuit Crasſo, cuius annum natalem diximus esſe 614. U. C. Avus fuit Triumviri (4), cuius pater Cretici nomen adeptus est (5). Quaeſtor in Aſiam proficiscens, incesti postulatus, ſed abſolutus est; qua in re ſingularem fidem et conſtantiam ſervi ſui est expertus (6). Conſul fuit a. U. C. 654. cum A.

(1) *in Brut.* c. 43. 44.

(2) *de Orat.* II. 55.

(3) Qua ratione diverſam computationem locorum *in Brut.* c. 43. et *de Orat.* II. 87. recte conciliavit Corradus ad l. *Brut.* cit.

(4) Plutarch. *in Antonio* init.

(5) Plutarch. ibid. vid. porro Florus III. 7. et quos ibi laudant. V. V. D. D. Hunc etiam memoravit Cicero L. II. *Act. in Verr.* c. 3. et L. III. c. 91. conf. Vell. II. 3. § 3. 4. et quae ibi notarunt V. V. D. D. – Stemma gentis *Antoniae* dedit C. A. Rupert. *in lib. cit.* p. 25.

(6) Vid. Val. Max. L. III. c. 7. ex. 9. L. VI. c. 8. ex. 1.

A. Postumio Albino (1): et Cenſor a. U. C. 656. cum L. Valerio Flacco (2), in quo munere ambitus rêus factus est (3). Proconſul autem Ciliciam administravit (4). Interfectus est, cum Marius a Cinna Romam revocatus, totam urbem caede et ſanguine repleret (5) a. U. C. 666, ſive iusſu Marii (6), ſive Cinnae (7), ſive utriusque (8). „ Misſi autem (9) a ſaevisſimis ducibus milites ad M. „ Antonium obtruncandum, ſermone eius obstupefacti, deſtrictos iam et vibrantes gladios „ cruore vacuos, vaginis reddiderunt. Quibus „ digresſis, P. Annius (is enim ſolus in ambitu expers Antonianae vocis ſteterat) crudele „ im-

(1) Cic. *post red. ad Quir.* c. 5. conf. F. Fabric. *Hiſt. Cic.* ad a. U. C. 654.

(2) *de Orat.* II. 89. III. 3. Val. Max. II. 9. ex. 5.

(3) *de Orat.* II. 68.

(4) *de Orat.* I. 18. II. 1. *Brut.* c. 45. quamvis aliter locum primum interpretetur F. Fabric. *Hiſt. Cic.* ad a. U. C. 651.

(5) Vid. Livius *Epit.* LXXX.

(6) Ut asſeverat Plutarch. *in Mario*, p. 431. ed. Francof. l. D. *in Antonio* init.

(7) quae est ſententia Ciceronis *Tusc. Q.* V. 29.

(8) quod tradit Vellei. Pat. II. 22. § 3.

(9) verba ſunt Valerii Max. VIII. 9. § 2.

„ imperium truculento ministerio peregit. „ Quam disertum igitur eum fuisse putemus, „ quem ne hostium quidem quisquam occidere „ sustinuit, qui modo vocem eius ad aures „ suas voluit admittere!" ita ut facile fidem habeamus Plutarcho (1), qui in eo commendat *λόγων Σειρῆνα καὶ χάριν*. Ceterum cum Valerii narratione consentiunt Velleius (2), et Plutarchus (3). Illo autem gaudio C. Marius caesum Antonium accepit, ut caput eius abscissum laetis manibus inter epulas per summam animi ac verborum insolentiam aliquamdiu teneret: „ clarissimi et civis et Oratoris sanguine con„ taminari mensae sacra passus. Atque etiam „ P. Annium, qui id attulerat, in sinum suum, „ recentis caedis vestigiis asperfum, rece„ pit" (4); quibus convenit Florus (5), scribens, Antonii consularis caput in Marii mensis expositum esse (6). Cicero (7) „ M. Anto„ nii

(1) *in Mario*, p. 431. l. E.

(2) II. 22. § 3. (3) *in Mario* p. 431. l. E.

(4) auctore Valerio Max. IX. 2. § 2.

(5) III. 21. § 14.

(6) Conf. Lucan. *Pharsal.* L. II. vs. 121 sqq. Plutarch. l. c. D. E. F. Fabric. *Hist. Cic.* ad a. U. C. 666.

(7) *de Orat.* III. 3.

„ nii, inquit, in his ipsis rostris, in quibus ille „ remp. constantissime Consul defenderat, quae- „ que Censor imperatoriis manubiis ornarat, „ positum caput illud fuit, a quo erant multo- „ rum civium capita servata". Mala vero Reip. impendentia Antonium praevidisse, auctor est idem Cicero (1), et significat Lucanus (2).

Unum modo libellum conscripsit de ratione dicendi (3): orationem vero nullam unquam scripsit, ut si quid aliquando, quod non opus esset, ab se esset dictum, posset se negare dixisse (4); sed refellit Cicero (5) falsam opinionem, quasi Antonius tabulas nunquam confecisset. Iudicium de eius eloquentia Tullius variis locis (6) exponit, eum dicens (7), *omnium*, quos audierit, *eloquentissimum*, quem vocat Velleius (8), *principem civitatis atque elo-*

(1) *ad Fam.* VI. 2.

(2) Lucan. *Pharf.* L. II. vs. 121.

(3) Vid. *in Brut.* c. 51. *de Orat.* I. 21. *Orat.* c. 5. Quinct. I. O. III. 1. p. 149.

(4) Cic. *pro Cluent.* c. 50.

(5) *Act. in Verr.* L. I. 23.

(6) Vid. *in Brut.* c. 36. 37. 38. 39. 44. *Orat.* c. 5. *Tusc. Q.* V. 19.

(7) *Tusc. Q.* l. c.

(8) II. 22. § 3. conf. ibid. c. 9. § 1.

eloquentiae. Optime ceterum Antonium exprimit ipsa eius in libris *de Oratore* oratio (1).

Adolescens iam accusationem suscepit (2): et caussas praeter suam, de qua diximus, defendit M' Aquilii, repetundarum postulati (3); et Norbani (4): denique pro se etiam omni contentione dixit lege Varia (5).

Sequitur Q. Mucius Scaevola, collega Crassi in omnibus honoribus, praeterquam in tribunatu et censura (6); filius P. Mucii Scaevolae (7), Ciceronem in iuris civilis disciplinam recepit, mortuo Q. Mucio Scaevola Augure (8). Pontifex M. fuit (9) et Proconsul Asiam rexit, per novem modo menses (10), inno-

(1) Vid. imprimis *de Orat.* II. 1. 2. III. 9. et conf. Quinct. I. O. II. 15. p. 124. c. 17. princip. XI. 3. p. 637. 667. XII. 11. init.

(2) Vid. Cic. *de Off.* II. 14.

(3) *de Orat.* II. 47. *Epit. Liv.* LXX.

(4) *de Orat.* l. c.

(5) *Tusc. Q.* II. 24.

(6) Vid. Cic. *in Brut.* c. 43.

(7) Stemma gentis *Muciae* exhibuit Ruperti *in lib. laud.* p. 145 sqq. de Q. *Mucio Scaevola* P. M. vid. p. 146. 147.

(8) Cic. *de Amic.* c. 1. *in Brut.* c. 89.

(9) Cic. *de Amic.* ibid.

(10) *ad Att.* V. 17.

nocentisſime (1), ita ut dies festus, *Mucia* dictus, in eius honorem inſtitutus ſit (2): et ſenatus deinceps in eam provinciam ituris magiſtratibus, exemplum atque formam officii Scaevolam decreto ſuo proponeret (3). *Hominem omnium moderatisſimum* (4); et *temperantiae, prudentiaeque ſpecimen* (5), eum Cicero dixit: *divini, humanique iuris auctorem celeberrimum*, Velleius (6). Vir fuit ſummae gravitatis, quem et Crasſus, cuius ſocer fuit (7), omni veneratione proſequebatur (8). Fuit non tantum, hereditaria familiae ſuae laude, iuris peritisſimus (9); ſed etiam eloquentisſimus (10): qua

(1) *Act. in Verrem* L. II. 10. conf. *in Caecil.* c. 17.

(2) *Act. in Verr.* L. II. 21.

(3) Val. Max. VIII. 15. ex. 6.

(4) *de Off.* II. 16.

(5) *de Nat. D.* III. 32. conf. Val. Max. IV. 1. ex. 11.

(6) II. 26. § 3.

(7) *de Orat.* I. 7. 9. II. 6.

(8) Vid. *de Orat.* I. 24. et conf. Val. Max. IV. 5. ex. 4. *de Orat.* I. 36. *ad Att.* IV. 15.

(9) Vid. *de Off.* I. 32. Vellei. Pat. II. 9. § 2. conf. Bachius, *Hiſt. Iurisp. Rom.* L. II. c. II. Sect. IV. § 39.

(10) Vid. *in Brut.* c. 39. ſeqq.

qua ratione in disputationem de summo Oratore recte inducitur. Orationes etiam reliquit, ex quibus dicendi eius elegantiam satis perspici iudicat Brutus (1). Trucidatus fuit in Mariano tumultu ante simulacrum Vestae a. U. C. 671 (2).

Post Scaevolam memorandus est Q. Lutatius Catulus pater, de cuius sermone iudicium fert Cic. in Brut. c. 35. cum aliis locis filii mentio fiat (3); eiusdem, qui inducitur in Libr. II. Academicarum Quaestionum, Patrem C. Marius IV. Cos. collegam habuit a. U. C. 651 (4): et cum eo Cimbricae victoriae gloriam communicavit (5), de

(1) *in Brut.* c. 44.

(2) Cic. *de Nat. D.* III. 32. *de Orat.* III. 3. *Epit. Liv.* LXXXVI. Lucan. *Pharsal.* II. vs. 126. seqq. Vell. Pat. II. 26. § 3. Florus III. 21. § 21. conf. F. Fabricius, *Hist. Cic.* ad a. U. C. 671.

(3) *de Off.* I. 30. *in Brut.* c. 35. 62. et aliis, quos laudat Io. Aug. Ernesti, *in Cl. Cic. parte Hist.* Stemma gentis *Lutatiae* vid. apud Ruperti, l. c. p. 126.

(4) Cic. *Tusc. Q.* V. 19. *pro Archia*, c. 3. Plutarch. *in Mario* p. 431. l. E et p. 413. *in Sylla* p. 453. l. A. conf. F. Fabric. *Hist. Cic.* ad d. a.

(5) Cic. *Tusc. Q.* l. c. Plutarch. *in Mario* p. 431. Vellei. Pat. II. 12. § 5. c. 22. § 4. Val. Max. IX. 12. ex. 4.

de cuius manubiis Q. Catulus porticum in area Flacci fecit (1). Revocatus Marius exul coëgit Catulum, ut vita se privaret (2). Q. Catulum Cicero (3) ita similem ducit Laelio, ut pene alter fuerit Laelius: praecipue laudatur in eo sermonis Latini puritas et integritas (4): „ multae literae, summa non vitae solum, atque naturae, sed orationis etiam comitas"; magna eruditio (5). Laudat vero Cicero (6) cum eius orationes, tum illum librum, quem de consulatu, et de rebus gestis suis, conscriptum molli et Xenophonteo genere, miserat ad A. Furium Poëtam. Minus aptus erat ad caussas (7); sed in rep. magnus et summae dignita-

(1) Cic. *pro domo* c. 38. Val. Max. VI. 3. ex. 1.

(2) Vid. Cic. *de Orat.* III. 3. *Tusc. Q.* I. c. *de Nat. D.* III. 32. Plutarch. *in Mario* l. c. l. E. Vellei. II. 22. § 4. Florus III. 21. § 16. Val. Max. IX. 12. ex. 4. Lucan. *Pharsal.* II. 173. sq. conf. F. Fabric. *Hist. Cic.* ad a. U. C. 666.

(3) *Tusc. Q.* V. 19.

(4) Vid. *in Brut.* c. 35. *de Orat.* III. 8.

(5) *in Brut.* ibid. conf. *de Off.* I. 30. et praecipue c. 37.

(6) *in Brut.* ibid.

(7) *in Brut.* c. 35.

tatis; *vir*, iudice Cicerone (1), *omni laude praestans.*

Q. Catulum excipiat frater (2) C. Iulius Caesar (3), qui item fratrem habuit L. Iulium (4), consulem a. U. C. 663, cum P. Rutilio Lupo (5). Rogantibus Sardis, M. Albucium accusavit (6). Reliquit aliquot orationes (7), ex quarum una pro Sardis habita, multa ad verbum transtulit C. Iulius Caesar Dictator in divinationem suam (8). Reliquit etiam quasdam tragoedias (9), ex quibus Adrastum laudat Festus in *Prophetae*, Tecmessam M. Victorinus. Iudice Cicerone (10), cum ex orationibus, tum ex tragoediis, lenitas eius

(1) *de Orat.* III. 3.

(2) *de Orat.* II. 3. *de Off.* I. 37. *ad Att.* XIII. 19.

(3) C. Caesar Strabo vocatus a Vellei. II. 9. § 2. Caesar Strabo a Suet. *Caes.* c. 55.

(4) *de Orat.* III. 3.

(5) Vid. F. Fabricii *Hist. Cic.* ad d. a. — Stemma gentis *Iuliae*, vid. a Ruperti confectum *in* lib. saepius laud. p. 95. sqq. de C. Iulio Caesare Strabone p. 96.

(6) Cic. *in Caecil.* c. 19. *de Off.* II. 14. Suet. *in Caes.* c. 55.

(7) *in Brut.* c. 48.

(8) Suet. *Caes.* l. c.

(9) *in Brut.* l. c. (10) *in Brut.* ibid.

eius ſine nervis perſpici poteſt. Ædilis Curulis fuit a. U. C. 665 (1), a. ante Marii tumultum, in quo periit: petenti autem hoc anno Conſulatum, omisſa praetura, contra leges, petitione extraordinaria (2), reſtitit P. Sulpicius Tribunus pl. (3). Igitur C. Caeſarem quotidie fere accuratas conciones habentem Cicero audivit (4); et P. Sulpicii, in Tribunatu eadem ratione quotidie concionantis, totum genus dicendi penitus cognovit (5). Denique interfectus est a. U. C. 666, in illa communi ſenatus caede, hoſpitis Etruſci, nomine Sextilii, quem gravisſimi criminis reum defenderat (6), ſcelere proditus (7). „ Festivitate et face-
„ tiis C. Iulius L. F. ſuperioribus et aequa,
„ „ li-

(1) *in Brut.* c. 89. (2) *in Brut.* c. 63.
(3) *in Harusp. reſp.* c. 20.
(4) *in Brut.* c. 89.
(5) *in Brut.* ibid. ac laudat Priſcian. l. V. orationem *C. Iulii*, qua *Sulpicio* reſpondit. conf. Diod. Sic. *Exc.* ex L. XXXVII. et F. Fabric. *Hiſt. Cic.* ad a. U. C. 665.
(6) Val. Max. V. 3. ex. 3.
(7) Cic. *de Orat.* III. 3. *Tusc. Q.* V. 19. *in Brut.* c. 89. Florus III. 21. § 14. et ibi Freinshem. *Epit. Liv.* LXXX. conf. F. Fabric. l. c. ad a. 666.

„ „ libus ſuis omnibus praeſtitit; Oratorque „ „ fuit, minime ille quidem vehemens, ſed „ „ nemo unquam urbanitate, nemo lepore, „ „ nemo ſuavitate conditior (1): in quo mi- „ hi videtur fuisſe ſpecimen humanitatis, ſalis, „ ſuavitatis, leporis" (2).

Praeter has quinque perſonas, quibus diſputatio *de Oratore* concluditur, audiendi et diſcendi cauſa adſunt P. Sulpicius, et C. Cotta.

P. Sulpicius Rufus, 10 annos maior Hortenſio (3), qui natus est a. U. C. 639 (4); Tribunus pl. fuit a. U. C. 665 (5): in historia turbarum reip. Romanae notisſimus. Qui „ diſer- „ tus, acer, opibus, gratia, amicitiis, vigo- „ re ingenii atque animi, celeberrimus; cum „ antea rectisſima voluntate apud Populum ma- „ ximam quaeſisſet dignitatem" (6): postea eo pro-

(1) *in Brut.* c. 48.

(2) *Tusc. Q.* V. 9. conf. *de Orat.* II. 54. 56. 57. III. 8. *de Off* I. 30. 37. exempla vid. ap. Cic. *in Brut.* c. 60. Quinct. *I. O.* VI. 3. p. 358.

(3) Vid. *Brut.* c. 88.

(4) Vid. L. C. Luzac, Disſertat. *de Hortenſio Sect.* I. § 1.

(5) Cic. *in Brut.* c. 89. *de Amic.* c. 1. conf. *de Orat.* I. 7. Nepos *in Attico* c. 2. Vellei. II. 18. § 5. conf. F. Fabric. *Hiſt. Cic.* ad d. a.

(6) Vellei. II. 18. § 5. vid. et § 6.

prolapſus est, ut Plutarchus (1) vere eum vocet ἄνθρωπον οὐδένος δεύτερον ἐν ταῖς ἄκραις κακίαις. Sed postquam omnia ſeditionibus, et turbis agitasſet, et miſcuisſet (2), tandem huius temeritatis poena, interfecto Sulpicio, non ſine magno reip. malo (3), a Sylla conſtituta est (4): a. U. C. 665. Multum utebatur Pomponio Attico, cui affinis erat (5). Eloquentiam eius illuſtravit accuſatio, cum, aliquot annos ante tribunatum (6), ſeditioſum et inutilem civem, C. Norbanum, in iudicium vocaret (7), quem defendit M. Antonius (8). Univerſe elo-

(1) *in Sylla.*

(2) quarum historia legitur l. l. citt. quibus add. Florus III. 21. § 6.

(3) iudice Cicerone *de Orat.* III. 3.

(4) Vellei. l. c. et 19. § 1. Florus III. 21. § 7. Cic. *de Orat.* III. 3. *de Harusp. reſp.* c. 20. *in Catilin.* III. 10. *in Brut.* c. 63. 89. Val. Max. VI. 5. ex. 7. *Epit. Liv.* LXXVII. conf. F. Fabric. *Hiſt. Cic.* ad a. 665. et Ruperti, *in lib. laud.* p. 223. et *Auct. ibi citat.*

(5) *de Amic.* c. 1. Nepos *in Attico* c. 2.

(6) Vid. *de Orat.* I. 7. II. 47. ſeqq.

(7) *de Off.* II. 14. *de Orat.* II. 47. ſeqq. conf. Quinct. *I. O.* XII. 7.

(8) *de Orat.* ibid.

eloquentia valuit plurimum (1); et cum Crassum vellet imitari (2), „ eius tanta in dicen„ do gravitas, tanta iucunditas, tanta brevitas „ fuit, ut posset, vel ut prudentes errarent, „ vel ut boni minus bene sentirent, perficere „ dicendo" (3). Orationem nunquam scripsit, neque potuit (4).

C. Aurelius Cotta (5), aequalis Sulpicii (6), petebat tribunatum (7) eo anno, quo mortuus est Crassus (8): sed eo, paucis diebus post, per invidiam est depulsus (9): quod ita intellexit Io. Aug. Ernesti, quasi (10) C. Cotta eo tempore fuisset Tribu-

(1) Vid. iudicium Ciceronis *in Brut.* c. 55.

(2) *in Brut.* l. c.

(3) *de Harusp. resp.* c. 19. conf. Vellei. II. 9. § 2. c. 36. § 2. *de Orat.* I. 8. 29. III. 8.

(4) Cic. *in Brut.* c. 56.

(5) non confundendus cum *L. Cotta* Tribuno pl. a. U. C. 659. de quo Cic. *de Orat.* II. 47. Val. Max. VI. 5. ex. 4. — Stemma gentis *Aureliae* dedit Ruperti, lib. *cit.* p. 32. sqq.

(6) *in Brut.* c. 49. 88.

(7) Vid. *de Orat.* I. 7.

(8) *de Orat.* III. 1.

(9) *de Orat.* ibid. c. 3.

(10) in Cl. *Cic. Parte Hist.*

bunus pl.; ſed ipſa temporis ratio docet, Ciceronem (1) potius ſignificare, Cottam de petitione tribunatus depulſum fuisſe. Quo facto non multo post eiectus est e civitate (2); a. U. C. 662 (3), reus lege Varia factus (4). Rediit tamen, victo Carbone, cum Sylla, a. U. C. 671, quo Q. Scaevola P. M. est occiſus (5). Conſul fuit a. 678. collega L. Octavio, cum Cicero quaeſtura fungebatur (6). Tulit eo anno leges Aurelias (7): de quibus tamen rurſus abrogandis ipſe ad ſenatum retulit (8). Proconſul in Galliam profectus (9), triumphi cupiditate, nullo certo hoste, flagravit,

(1) *de Orat.* l. c.

(2) *de Orat.* III. 3. *in Brut.* c. 88. 89.

(3) Conf. Fabric. l. c. ad d. a.

(4) *in Brut.* c. 89. qua occaſione habuit pro ſe orationem, *lege Varia* inſcriptam, quam ſcripſit eius rogatu *L. Aelius*, vid. *in Brut.* c. 56.

(5) Vid. *in Brut.* c. 90. conf. F. Fabric. l. c. ad d. a.

(6) Cic. *Act. in Verrem.* L. III. c. 7. conf. *in Brut.* c. 92. et Fabricius l. c. ad d. a.

(7) de quibus vid. Bachius, *Hiſt. Iurisp. Rom.* L. II. c. II. Sect. I. § 76.

(8) Cic. *in fragm. Orat. pro Corn.* I.

(9) *in Brut.* c. 92.

vit, quem tamen ei honorem mors ademit (1). Familiaris fuit Ciceronis, qui eum vocat (2) *hominem summa prudentia clarum* (3); et idem est, cui Academiam secuto, hae disputationis partes deferuntur in Libris *de Natura Deorum* (4): quemque cupiebat Atticus, ut Cicero in Academicis cum Varrone, veteris Academiae defensore, disputantem fecisset; sed maluit Cicero suam ipsius personam Varroni opponere (5). Longe aliud atque Sulpicius, dicendi genus secutus est (6): sed cum vellet imitari Antonium, a cuius vi longe aberat (7), id effecit, ut iudices „ idem facerent a se commoti, quod „ a Sulpicio concitati" (8): et cum Hortensio primas in foro partes tenebat, cum Cicero ex Asia rediisset (9): a. U. C. 676. Causas egit pro M. Canuleio, et Cn. Dolabella consulari

(1) Cic. *in Pison.* c. 26.

(2) *in Fragm. Orat. pro Corn.* I.

(3) Conf. *in Pison.* c. 26.

(4) Vid. *de Nat. D.* I. 6.

(5) Vid. *ad Att.* XIII. 19.

(6) de quo vid. Cic. *in Brut.* c. 55.

(7) *in Brut.* l. c.

(8) *in Brut.* ibid. conf. et c. 56. 59. 92. *de Orat.* III. 8.

(9) *in Brut.* c. 92.

ri (1), quem repetundarum postulaverat C. Caesar, ille qui postea Dictator factus est (2), 21° aetatis anno (3): sed causam optimam sibi extortam esse C. Cottae patrocinio, fateri debuit (4).

Apparet igitur, quasnam personas in Dialogum *de Oratore* Cicero induxerit: quas ipse dixit (5), *eloquentissimos*, et *omni dignitate principes*, quibus summa dicendi laus a civibus concessa erat; auctoritate in rep. iam praestantes, aut deinceps praestituros.

Ex iis, quae diximus, facile efficitur, in quaenam tempora Cicero hanc *de Oratore* disputationem reiecerit. Habita enim est a. U. C. 662. Cosf. L. Marcio Philippo, Sext. Iulio Caesare (6), cum Cicero se adhuc puerum fuisse testatur (7), ludorum Romanorum diebus apud L. Crassum in Tusculano (8): qui vix

(1) *in Brut.* ibid.

(2) Suet. *in Caes.* c. 4. 55.

(3) *Auct. Dial. de Orat.* c. 34. sed conf. Casaub. ad Suet. *Caes.* c. 4.

(4) Val. Max. VIII. 9. ex. 3. Alia eius causa memoratur *in Bruto.* c. 60.

(5) *de Orat.* I. 6.

(6) *de Orat.* I. 7.

(7) *ad Att.* XIII. 19.

(8) *de Orat.* I. c.

vix decem diebus post finitum illum sermonem morte extinctus est (1). Si accuratius etiam velis, colligitur ultimus disputationis dies fuisse d. 5. Id. Septemb. quia ipsis Idibus in Senatu Crassus eum morbum contraxit (2), quo septimo die est consumtus (3).

§ VI.

De argumento.

Ingentis illius imaginis, quam Cicero uno Oratoris nomine comprehendit, cum plures sint, variaeque partes, earum alias aliis operibus Rhetoricis singulas Tullius tractavit. Sic e. g. praecepta artis Rhetoricae complexus est Libris II. *de Inventione:* in *Bruto* historiam Criticam quasi eloquentiae et Oratorum dedit, agens de claris Oratoribus Graecis et Romanis ad sua usque tempora: formam externam summi Oratoris, sive perfectae eloquentiae, vel rationem qua Oratori dicendum sit, persequitur in

(1) *de Orat.* III. 1. conf. F. Fabric. l. c. ad a. 662.

(2) *de Orat.* l. c. et c. 2.

(3) ibid. c. 2.

in *Oratore*, libro ſingulari (1): deinde cum in inventione Rhetorica vel maximum ſit cognoscere locos ſeu ſedes, unde argumenta petantur, haec doctrina eiusque accommodatio ad quaestiones traditur in *Topicis*: quod genus dicendi ſummi Oratoris ſit, paucis exponit in ſcriptione *de optimo genere Oratorum:* denique in *Partitionibus Oratoriis*, in filii inſtitutionem, omnem dicendi artem quaestionibus et reſponſis ita deſcripſit, ut, quae aliis locis uberius dixerat, hic contracta, disponantur ordine.

At omnes omnino has partes, et plures etiam, continet opus *de Oratore*; quod cum caetera fere ſcripta eloquentiam, anguſtiori ſenſu dictam, ſive dicendi disciplinam complectantur, coniungit etiam intelligendi ſcientiam, ſive ſapientiam univerſam, et civilem imprimis, quae eloquentiae ſubiecta esſe debet. Itaque tribus his *de Oratore* libris tota Oratoris imago abſolvitur: et fatetur ipſe Auctor (2), nihil ſibi quidem videri „ in Crasſi et Antonii ſermone „ esſe praeteritum, quod quisquam ſummis in„ geniis, acerrimis ſtudiis, optima doctrina, „ maximo uſu, cognosci, ac percipi potuisſe „ arbitraretur". Quod autem dici posſit librum

(1) Conf. Quinctil. *I. O.* XII. prooëm.
(2) *de Orat.* II. 3.

brum inſcriptum *Brutum*, ſeu *de claris Oratoribus*, in eo argumento verſari, quod a tribus *de Oratore* libris plane ſit alienum, nec adeo in iis tractetur; animadvertendum est, historiam eloquentiae ad Oratorem perficiendum proprie quidem non facere; itaque Ciceronem eam dedita opera in libris *de Oratore* non explicuisſe; quamquam praecipua eius capita pasſim inſeruit (1): ſed voluit Tullius, ut libris *de Oratore*, ſibi vehementer probatis (2), nihil deesſet ex eo genere, quod de eloquentiâ dici aut expromi posſet, hanc disciplinae historiam, tamquam librum IV, reliquis *de Oratore* libris adiungere (3).

Quandoquidem igitur, ut diximus, omnes Oratoris partes hoc uno *de Oratore* opere complexus est, hi libri in duplici imprimis argumento verſantur: uno, de doctrina et ſcientia rerum, quibus

(1) ad quod genus pertinent l. l. *de Oratore* I. 4. 6. 13. 36. 37. II. 2. 3. 12. 13. 14. 22. 23. 37. 84. III. 7. 8. 9. 11. 12. 15. 16. 19. 28. 32. 33. 34. 35.

(2) *ad. Att.* XIII. 19.

(3) Vid. A. Manuccius *in Argument. Brut.* p. 170. Cic. *Opp. Rhet.* Vol. II. Venet. 1583. et Middlet. *leven van* Cic. D. II. p. 364.

bus Orator debet esse instructus: altero, de dicendi instrumento, seu arte ipsa ornatius explicanda.

At vero hoc tamen quodammodo est circumscribendum: cum enim, iudice (1) Cicerone, „ vis Oratoris, professioque ipsa bene dicendi „ hoc suscipere ac polliceri videatur, ut *omni* „ *de re*, quaecumque sit proposita, ab eo or„ nate, copioseque dicatur": cumque adeo variae sint partes dicendi, sive in re civili, sive in historia conscribenda, sive in disserendo de philosophia, seu in aliis quibusvis rebus verseris; Graeci, auctore Tullio (2), partitionem quamdam artium fecerunt, neque in universo genere singuli elaboraverunt, sed seposuerunt a caeteris dictionibus eam partem dicendi, quae in forensibus disceptationibus iudiciorum, aut deliberationum versaretur, et id unum genus Oratori reliquerunt (3). Igitur „ non com„ plectar, inquit (4), in his libris amplius, „ quam quod huic generi, re quaesita, et mul„ tum disputata, summorum hominum prope „ consensu est tributum": praesertim quia non dubitabat, quin si omnia complecti voluisset, hoc

(1) *de Orat.* I. 6.
(2) *de Orat.* l. c.
(3) Conf. omnino *de Orat.* III. 6.
(4) *de Orat.* I. 6.

hoc plerisque immensum, infinitumque videretur (1). Itaque in his libris *Oratorem* imprimis considerat *virum civilem:* cuius et doctrinae apparatum et instrumentum dicendi persequatur. Eadem ratione Oratoris descriptionem, pro arctiori tractationis consilio, arctioribus limitibus includit in Oratore c. 21. (2).

Cicero ipse ad Lentulum (3), horum librorum argumentum his verbis tradit: „ abhorrent — a communibus praeceptis (4): ac „ omnem antiquorum, et Aristotelicam, et Isocrateam rationem oratoriam complectuntur".

Aristoteles vero in libris *exotericis*, qui dicebantur, ea prodidit, „ quae (5) ad rhetoricas meditationes, facultatem argutiarum, civiliumque rerum notitiam conducebant".

Nam Aristoteles arti dicendi „ plurima adiumenta atque ornamenta subministravit (6): „ et

(1) l. cit.

(2) quem l. respexit Quinctil. *I. O.* XII. Prooëm. et in animo habuit *de Orat.* III. 36. conf. etiam *Orat.* c. 29.

(3) *ad Fam.* I. 9.

(4) non enim repetii „ ab incunabulis nostrae veteris puerilisque doctrinae quemdam ordinem praeceptorum". *de Orat.* I. 6.

(5) verba sunt A. Gellii XX. 5.

(6) Cic. *de Invent.* I. 5.

„ et veteres ſcriptores artis dicendi unum in „ locum conduxit, et nominatim cuiusque „ praecepta, magna conquiſita cura, perſpicue „ conſcripſit, atque enodata diligenter expo- „ ſuit: at tantum inventoribus ipſis ſuavitate et „ brevitate dicendi praeſtitit, ut nemo illorum „ praecepta ex ipſorum libris cognoſcat; ſed „ omnes, qui, quid illi praecipiant, velint intel- „ ligere, ad hunc, quaſi ad quemdam commo- „ diorem explicatorem, revertantur" (1). Sed praeterea etiam prudentiam et ſapientiam civilem, rerump. rectiones, ſtatus, mutationes, ita tractavit, ut nihil ab eo, perfecto Oratori, non ſuppeditatum esſe posſit existimari (2).

Iſocratis autem, cuius item rationem oratoriam ſe complexum esſe libris *de Oratore* profitetur (3), „ domus (4) cunctae Graeciae „ quaſi ludus quidam patuit, atque officina di- „ cen-

(1) *de Invent.* II. 2. conf. *de Orat.* II. 10. 36. 38. III. 35. 47. 49. *Orat.* c. 14. 32. 36. 51. 64. *de Invent.* I. 35. II. 2. 3. *Top.* c. 1. Quinctil. *I. O.* I. 4. p. 30. II. 15. p. 103. c. 17. p. 134. c. 21. p. 145. III. 1. p. 148. 149. X. 1. p. 574. Dionyſ. Hal. *de Colloc. verb.* § 89.

(2) Conf. Cic. *de Fin.* V. 4.

(3) *ad Fam.* I. 9.

(4) verba ſunt Ciceronis *in Brut.* c. 8.

„ cendi, magnus Orator, et perfectus magister",
qui „ et ipſe ſcripſit multa praeclare, et do-
„ cuit alios": pater eloquentiae (1): „ cuius
„ e ludo tamquam ex equo Troiano meri prin-
„ cipes extiterunt" (2).

Talia igitur tantaque cum Aristoteles et Iſocrates ſubministrarint eloquentiae, ea omnia complexum ſe esſe libris *de Oratore* declaravit Cicero (3). Ex quibus profecto argumenti gravitatem et amplitudinem intelligimus; quippe quod omnia, quae cum perfecto Oratore coniuncta ſunt, contineat.

Hoc denique argumentum ita distinxit, ut in L. I. magis tractaret eam ſcientiam, quae dicendi facultati ſubesſe debet, ut Orator exiſtat: in reliquis potius ipſam artem exponeret; ita ut „ primi libri ſermo (4) non alienus a Scaevolae ſtudiis" ſit: „ reliqui τεχνολογίαν habeant".

§ V.

(1) *de Orat.* II. 3.

(2) *de Orat.* II. 22. conf. III. 29. et omnino *Orat.* c. 13. *de opt. gen. Orat.* c. 6. conf. etiam Quinctil. *I. O.* III. 1. p. 148. Dionyſii Hal. iudicium de *Iſocrate* § 2. 7.

(3) *ad Fam.* I. 9.

(1) quemadmodum *ad Att.* ſcribit IV. 15.

§ V.

De constitutione Librorum de Oratore.

Postquam in § antecedenti vidimus, quid Cicero in libris *de Oratore* sibi tractandum proposuerit, iam hoc § videtur explicanda ratio huius argumenti tractandi, et constituenda capita et momenta totius disputationis, ut inde, quotuplex sit sententiarum varietas, cognitum habeamus.

Eloquentiae alia quodammodo ratio est, atque artium ceterarum: in his enim, si quaeritur, quid singulis sit proprium, ut inde, quid sit, intelligatur, non alio modo responderi potest, quam definienda materia, quae huic arti sive scientiae subiecta est: sic e. g. *philosophi* est descriptio, ut is, qui studeat omnium rerum, divinarum atque humanarum, vim, naturam, causasque nosse, et omnem bene vivendi rationem tenere et persequi, nomine hoc appelletur (1): *iurisconsulti* proprium est, legum et consuetudinis eius, qua privati in civitate utuntur, et ad scribendum, et ad respondendum, et ad cavendum, peritum esse (2): si quaere-

re-

(1) auctore Antonio *de Orat.* I. 49.
(2) ibid. c. 48.

retur, quis ſit *imperator*, definiremus cum Antonio (1), administratorem quemdam belli gerendi: atque ita in aliis: ex quibus videmus, in ceteris artibus atque doctrinis, ipſius artis, aut eius, quod huic arti proprium ſit, definitionem unice verſari in deſcriptione materiae, quae huic arti est ſubiecta; nec in his, ſi materies non indicetur, intelligi potest, quid ſit; ſecerni enim materia non potest ab artis definitione: nec ultra eiusmodi definitionem amplius quidquam potest quaeri. At *Eloquentiae*, ſi quaeritur, quid ſit proprium, ſeu quid ſit Eloquentia: nemo ibit inficias, quin reſpondeatur, eloquentiae proprium est, apte et ornate, et ad perſuadendum accommodate dicere. Qua deſcriptione unusquisque videt, non contineri materiem eloquentiae: nam quaeri amplius potest: de quibus igitur rebus eloquentiae est, apte et ornate, et ad perſuaſionem accommodate poſſe dicere?

Itaque de eloquentia duplex oritur quaestio: una quid ſit, altera quamnam materiem, et quaſi ditionem ei ſubiici oporteat?

Quod ad prius, omnes facile concedunt, unius eloquentiae eſſe eloquendi facultatem, i. e. apte, et ornate, et ad perſuaſionem appoſite

(1) l. c.

ſite poſſe dicere; et ſi qui aliarum artium hoc faciant, id non conſequi artis ſuae beneficio, ſed eloquentiae.

Ad alteram autem quaestionem ſi accedatur, in diverſas ſtatim docti abeunt partes: deque ea est inter eos gravisſima lis, atque omnis disſenſio „ Neque enim Oratoris vis et facultas, „ ſicut ceterarum rerum angustis et brevibus „ terminis cluditur" (1); et praeclare obſervat Aristoteles (2), alias quidem artes et ſcientias docendi et perſuadendi vim habere in eo tantum genere, in quo verſentur ſingulae: ſic e.g. Medicinam tantummodo in eo, quod ad ſanitatem aut morbos attinet; Geometriam in iis, quae magnitudinibus contingunt, Arithmeticam in numeris; atque ſimiliter ceterae omnes: Eloquentiam autem unam, auctoritatem posſidere perſuadendi in omni re quacunque. Quoniam igitur non certi, ſed infiniti pene et immenſi ponuntur eloquentiae termini, de his copioſisſima est ad disputandum materies.

In libris vero *de Oratore* tres inprimis de materia, cui quaſi regno, praeficitur Orator, ſententiae diverſae explicantur, et ſuis ſingulae ratio-

(1) *Auct. Dial. de Orat.* c. 30.

(2) *Rhet.* L. I. c. II. § 1—5. quem locum postea etiam adſcribemus.

tionibus probantur; prout amplisſimis, angustioribus, et angustisſimis terminis Eloquentiae ditio circumſcribitur. Unde de tota etiam Eloquentia trifariam judicatur, ſive tres eius formae variae effinguntur.

Eloquentiae, quam latisſimo et amplisſimo ſenſu intelligimus, quaeque igitur *de omni quacunque re* apte, ornate, et ad perſuaſionem accommodate posſit dicere, ex iis quae diximus, in duas imprimis partes poteſt distingui: alteram, ſcientiam rerum omnium, de quibus aliquando dicendum ſit; alteram, ipſam dicendi facultatem. Hanc ſpeciem Oratoris in animo habuit, et expresſit Cicero *de Oratore* I. 6. Crasſus ibidem c. 8. conf. c. 9. et c. 16. vid. et c. 49. Quinctil. I. O. II. 21. (1).

Po-

(1) Ab hac ratione non longe discesſit G. I. Vosſius, *de Nat. Rhet.* c. IV. p. 323. T. III. *Opp. Voſſ.* edit. Amſt. 1697, qui distinguendum esſe docet inter duas officii Oratorii partes, pro quibus ſubiecti, quod vocat, ratio diverſa ſit. Priorem partem ponit θεωρητικὴν, qua ſecum cogitat Orator, quae argumenta ac disponendi ratio, cuiusmodi ornatus, aut actio, maxime videatur conducere ad animos impellendos: alteram autem πρακτικὴν, quatenus orationis inſtrumento ſtudeat hominibus perſuadere. Θεωρίας autem cum Aristotele ſtatuit Vos-

ſi-

Potest autem haec rerum omnium doctrina accommodari Viro civili: atque ita *Eloquentiae civilis*, angustioribus quodammodo, quam illa omnia complectens, ſed latis tamen etiam finibus conſcriptae, rurſus eodem modo duae fiunt partes; quarum una est *ſcientia* illa *civilis*, quae dicitur Plutarcho (1) ἡ πολιτικὴ δύναμις; altera artificioſa Eloquentia, quae vocatur *Rhetorica*, quam partem rationis civilis facit Cicero (2). Quam diviſionem ſi teneamus, *ſcientia civilis* complectitur omnem materiam Oratori ſive Eloquentiae ſubiectam; *Rhetorica* magis formam hanc ſcientiam efferendi, explicandi, cum aliis communicandi; quippe cuius finis ſit, *perſuadere dictione* (3): quam partem proinde recte *inſtrumentum Oratoris* appellat Sulpicius (4). „ Inſtrumentum autem voco, ſine „ quo

ſius obiectum, quod dicitur, quamlibet rem: πράξιος obiectum, animum eorum, apud quos cauſa dicitur. Nos autem eam rationem teneamus, quae Ciceronianae maxime videatur conſentanea.

(1) *in vit. Cicer.* c. 4.

(2) *de Invent.* I. 5.

(3) *de Invent.* ibidem.

(4) *de Orat.* II. 90. Ad Ciceronis autem locum, quem laudavimus (*de Invent.* I. 5.), reſpexit Quinctil. *I. O.* II. 15. *Rhetoricen* „ Cicero," in-

„ quo conformari materia, et in id quod veli-
„ mus effici opus, non possit" (1).

Di-

inquit, „ *scientiae civilis* partem vocat, *civilis* autem „ *scientia* idem quod *sapientia* est". De quibus Vossius (*de Nat. Rhet.* c, VII. ad fin.) adsentitur Robortellio (*Praefat. ad Cic. libros Rhet.*) Quinctilianum Ciceronis mentem non assecutum fuisse; cum Cicero non universe *sapientiam*, sed *sapientiam* πολιτικὴν intellexerit: quamquam eidem Vossio non displiceat, et Quinctilianum *sapientiam* dixisse haud aliud, atque *prudentiam civilem*. Videtur autem Quinctilianus vocem *sapientiam* usurpare eo sensu, quo veteres Graecos eam adhibuisse exponit Crassus *de Orat.* III. 15, et de quo uberius dicetur postea. Obscuriorem quodammodo, quam Cicero rationem init Aristoteles *Rhet.* L. I. c. II. § 14. seqq. Ἐπεὶ δ' αἱ πίστεις διὰ τούτων εἰσὶ, φανέρον ὅτι ταῦτα τρία ἔστι λαβεῖν, τοῦ συλλογίσασθαι δυναμένου, καὶ τοῦ θεωρῆσαι περὶ τὰ ἤθη, καὶ τὰς ἀρετὰς, καὶ τρίτον τοῦ περὶ τὰ πάθη, τί τε ἕκαστον ἐστι τῶν παθῶν, καὶ ποῖον τι, καὶ ἐκ τίνων ἐγγίνεται, καὶ πῶς· ὥστε συμβαίνει τὴν ῥητορικὴν, οἷον παραφυές τι τῆς διαλεκτικῆς εἶναι, καὶ τῆς περὶ τὰ ἤθη πραγματείας, ἣν δίκαιον ἐστι προσαγορεύειν πολιτικήν. Διὸ καὶ ὑποδύεται ὑπὸ τὸ σχῆμα τὸ τῆς πολιτικῆς, ἡ ῥητορική. Cuius loci talis sensus mihi videatur constituendus: eius est persuadere, qui et dialecticae usum in argumentationibus perceperit; et moralem doctrinam acquisiverit; et animos et affectus tractandi ac permovendi rationes tenuerit: quod postremum eximie Oratoris est proprium. Igitur cum

Rhe-

Distingui autem inter formam Oratoris priorem, latisſime patentem illam omniaque com- [illegible] ple-

Rhetorica, latiori ſenſu intellecta, perſpicere debeat omnia, quae ad perſuaſionem faciant, (ex definitione, quam dedit init. huius cap. § 1.): pars ipſi asſumenda est ex Dialectica, pars ex Philoſophia morali, ſive potius politica, cum animorum incitandorum ratio ad Rhetoricam pertineat omnis: quibus tribus rebus ſcientia perſuadendi continetur. Quoniam autem parte quadam ſua, Rhetorica incurrit in Philoſophiam politicam, ideo huius ſcientiae civilis formam induit totam, καὶ (ibid. § 16.) οἱ ἀντιποιούμενοι ταύτης, τὰ μὲν δι' ἀπαιδευσίαν, τὰ δὲ δι' ἀλαζονείαν, τὰ δὲ καὶ ἄλλας αἰτίας ἀνθρωπικάς. Ridiculum enim est, cum ex magna et ampla doctrina civili, pars modo quaedam contineatur Rhetorica, magiſtros artis Rhetorices ſibi ab hac particula totius ſcientiae nomen et gloriam arrogare. Fortasſe reſpicit Aristoteles eos, qui inter dicendi magiſtros et ſophiſtas πολιτικοὶ vocabantur, de quibus videbimus infra. Sequentia vero (§ 17.), ἔστι γὰρ μόριόν τι τῆς διαλεκτικῆς, καὶ ὁμοίωμα, καθάπερ καὶ ἀρχόμενοι εἴπομεν· eodem modo, quo antecedentia videntur intelligenda esſe; Dialecticam aliquam partem cum Rhetorica habere communem; ſive partem Rhetorices quamdam, esſe partem etiam Dialectices (conf. Vosſius *de Nat. Rhet.* c. XVIII.), in quo conſiſtit igitur etiam illa ſimilitudo: ex quibus ſatis explicatur locus (*Rhet.* L. I. § 1), quem laudat, Ἡ ῥητορική ἐστιν ἀντίστροφος τῇ διαλεκτικῇ: cuius rei ratio redditur in ſequen-

plexam, et virum civilem, efficitur imprimis, ex loco *de Oratore* I. 11. ubi Crasſus „ nam ſi „ quis," inquit, „ hunc ſtatuit esſe Orato„ rem, qui *tantummodo* in iure aut in iudiciis „ posſit, aut apud populum aut in ſenatu, co„ pioſe loqui, tamen *huic ipſi* multa tribuat et „ concedat necesſe est". Igitur Crasſus deſcribens, ut apparebit postea, virum civilem, il-

quentibus ea, quia quamdam materiem habeant communem (conf. explicatio Ciceronis *in Orat.* c. 32. *Acad. Q.* I. 9. *Sext. Emp.* adv. Math. VII. § 6. et omnino *Fabric.* in not. K.) Recte Vosſius (*de Nat. Rhet.* c. VII. ad fin.) comparat locum Ciceronis *de Orat.* I. 28. ubi Antonius in *Oratore* requirit „ acumen *Dialecticorum*, ſententias *Philoſophorum*". Denique conferatur de explicandis l. l. Aristotelis laudd. G. J. Vosſius *de Nat. Rhet.* c. IV. p. 323. c. VII. p. 329 et 330. Locum Aristotelis *Rhet.* Lib. I. c. II. § 14 et ſeqq. laudatum vid. a Quinctiliano *I. O.* II. 17. p. 134.

(1) Quinctil. *I. O.* II. 21. extr. — Praeclare autem hoc diſcrimen obſervatum videmus a Plutarcho (*in vit. Cic.* c. 4.), ubi de Cicerone loquens ὥσπερ ἔργανον. Inquit, ἐξήρτυε τὸν ῥητορικὸν λόγον, καὶ ἀνεκίνει τὴν πολιτικὴν δύναμιν, αὐτόν τε ταῖς μελέταις διαπονῶν, καὶ τούς ἐπαινουμένους μετιὼν ῥητόρας.. Conf. omnino ibidem c. 32. ubi eadem ratione φιλοσοφίαν tamquam ἔργον, et ῥητορικὴν velut ὄργανον, ſibi invicem opponit.

illum, quanquam et huic multa ſint tribuenda, diverſum tamen esſe ſignificat ab imagine, quam ipſe informaverat, cuique plura etiam conveniunt. Idem magis etiam colligitur ex l. l. *de Oratore* I. 6. 15. dignis, quae omnino conferantur (1). Ad hanc illustrisſimam formam est etiam referendus ille, quem a ſe nondum viſum Antonius vocabat *eloquentem*; „ ego," inquit (2), „ ſcripſi etiam illud quodam in li- „ bello, diſertos me cognosſe nonnullos, *elo-* „ *quentem* adhuc neminem: quod eum ſtatue- „ bam *diſertum*, qui posſet ſatis acute, atque „ dilucide apud mediocres homines, ex com- „ muni quadam opinione, dicere; *eloquentem* „ vero, qui mirabilius, et magnificentius au- „ gere posſet, atque ornare quae vellet, om- „ nesque omnium rerum, quae ad dicendum „ pertinerent, fontes animo ac memoria conti- „ neret. Id ſi est difficile nobis, qui ante quam „ ad dicendum ingresſi ſumus, obruimur ambi- „ tione et foro; ſit tamen in re poſitum, atque „ natura". Ter-

(1) Refert etiam Quinct. *I. O.* II. 15. p. 125. quosdam circa res omnes, quosdam circa res modo civiles verſari Rhetoricen putavisſe: atque hoc ſententiarum discrimen cap. laud. et pasſim alias apud eum obſervatur.

(2) *de Orat.* I. 21.

Tertio vero tota eloquentia potest arctioribus etiam includi terminis: ita ut Orator intelligatur is, qui forenſibus cauſis ſufficiat: tum prior pars lata et ampla civilis rationis fere tollitur omnis: et relinquitur modo pars altera, quae comprehendit dicendi facultatem cauſis accommodatam; eam vero quam cum Craſſo (1) recte quis dixerit: „ inſtrumentum forenſe, litigioſum, acre, tractum ex vulgi opinionibus, „ exiguum ſane atque mendicum: quo quod „ tradunt iſti, qui profitentur ſe dicendi magiſtros, non multum eſt maius".

Atque hac triplici imprimis ratione in libris *de Oratore* eloquentia et Orator conſiderantur. Prima et altera ratione praeſertim Craſſus variis l. l. Libro I. et III. Oratorem informat et explicat, ita tamen ut plerumque ad virum civilem ſermo convertatur et applicetur, eique eloquentia illa omnia complexa accommodetur. Nimirum hoc cohaeret cum argumenti, quod in § praecedenti explicuimus, limitibus, quos ſibi Cicero propoſuerat. Vidimus enim auctorem his libris praecipue tractare voluiſſe eam partem dicendi, quae viro civili, ſummorum hominum prope conſenſu, tributa est (2). Cui con-

(1) *de Orat.* III. 21.

(2) cuius anguſtioris circumſcriptionis rationes erunt reddendae in cap. III.

consilio consentaneum est, si Crasſus ad hanc eloquentiam semper fere revertitur, Oratorem autem universe, tamquam omnibus in artibus et scientiis orationis ministrum, complectitur in disputatione sua adversus Scaevolam, *de Orat.* I. 11 — 17. (1) et III. 6. Hoc sensu Orator est „ primus eius artis antistes, cuius cum ipsa na„ tura magnam homini facultatem daret, tamen „ esse Deus putabatur, ut et ipsum, quod „ erat hominis proprium, non partum per nos, „ sed divinitus ad nos delatum videretur" (2). At rursus Oratorem virum civilem considerat I. 25. 26. 31. et seqq. et praecipue c. 34. 36—47. conferatur etiam c. 62. et in toto libro III. oratio instituta est de viro civili (3).

Hanc

(1) ad hanc enim rationem ineundam cogebat eum Scaevolae sermo.

(2) *de Orat.* I. 46.

(3) Quod vero ipse Cicero facit *in Orat.* c. 19. et 30. sevocans genus dicendi viri civilis a ceteris dictionibus et dicendi generibus omnibus, id minime est comparandum cum ratione Crassi, sed coniunctum est cum peculiari consilio *Oratoris* Libri singularis, quo explicare maxime Cicero voluit illud genus dicendi, quod Oratori tamquam viro civili convenit, separatum ac discretum a ceteris omnibus. Crassus autem, ut accuratius explicandum erit in

cap.

Hanc igitur perſonam viri civilis Craſſus tuetur, variasque eius partes et munera explicat Libro I. ad cap 47: Libro autem III. hunc Oratorem inſtruit et ornat, cum quod ad ſcientiam ei ſubiectam attinet, rerum copia et doctrina, tum quod ad illius viri inſtrumentum, orationem, ſententiarum et verborum luminibus atque ornamentis; elocutionis deinde et pronuntiationis, quas reliquerat Antonius (1), tractatione: ea autem ratione, ut ex ornamentis, quali, quantaeque formae inſerviant, facile perſpiciatur.

Antonius e contra, longisſime a Craſſi ſententia recedens Libr. I. c. 47. ad fin. libri, anguſtisſimis, de quibus diximus, Oratorem deſcribit limitibus. Eloquentiam a ceteris ſcientiis et artibus omnibus ſevocatam, in artificio dicendi conſidere iubet, atque operarium quaſi Oratorem facit, et ad forenſes cauſas et orationes, orationis auxilio non aucto, non exornato vix ſufficientem.

Sed paulo illustriorem ſpeciem eiusdem Oratoris fingit Antonius Libro II. et propius accedit ad Craſſi de viro civili ſententiam. De ſcientia attamen et doctrinae copia Oratoris pau-

ca

cap. III, ditionem eloquentiae non ita coarctat, quam omnem ad virum civilem convertit.

(1) Vid. *de Orat.* II. 85. 90. III. 5. 6.

ca affert; quippe qui ipse doctrina ornatus sit, multo minore quam Crassus: de dicendi ratione unice ferme praeceptis exponit. Tractat adeo ex quinque Rhetorices partibus tres priores; *inventionem*, *dispositionem*, *memoriam*; et ni postrema, *elocutionem*, et *pronuntiationem* reliquisset Crasso (1), totam Rhetoricam absolvisset. De quibus tamen ipsi relictis, longe magnificentius, quam Antonius de prioribus, Crassus disserit libro III. Ita ut etiam inde appareat, illum multo illustriorem et ampliorem Oratoris imaginem animo complexum fuisse. Cum autem, *quae* dici ab Oratore oporteret, sibi sumsisset Antonius, et Crasso, *quemadmodum* illa ornari deberent permisisset (2), censet Cicero (3), quandoquidem, „ tria videnda sunt „ Oratori, quid dicat, et quo quidque loco, „ et quomodo": prima duo non tam insignia esse ad maximam laudem, quam necessaria, atque esse in his partibus minus artis, quam laboris: at „ illud longe maximum, videre, quo„ nam modo (4). Quomodo autem dicatur, „ est in duobus, in *agendo* et in *eloquendo*" (5).
Haec

(1) Vid. *de Orat.* II. 28. 29.
(2) *de Orat.* III. 5.
(3) *Orat.* c. 14.
(4) *Orat.* c. 16.
(5) ibid. c. 17.

Haec ſufficiant univerſe, ex quibus ſumma et capita diſputationis *de Oratore* intelligantur: quae de una aut altera parte inter diſputantes ſaepius oriuntur lites, aut argumenta, quibus ſingulae ſententiae firmantur, de iis omnibus deinceps accuratius exponetur, cum locus etiam erit, ipſas ſententiarum varietates diligentius et copioſius explicandi.

CAPUT SECUNDUM.

DE FONTIBUS ET RATIONIBUS EFFICIENDAE CICERONIS DE SUMMO ORATORE SENTENTIAE.

Triplex fons indicari posse videtur, ex quo fluant rationes, efficiendae Ciceronis de summo Oratore sententiae.

I^us^ Et is quam proxime cum verbis positae Quaestionis coniunctus, ducitur *ex rationibus desumtis a disputantium personis, argumentandi modo, sententiarum denique probatarum aut refutatarum pondere.*

II^us^ *Ex iis, quae ipse* Cicero *sibi addiscenda et comparanda putavit, ut Oratoris summi vim et nomen merito teneret.* Quibus enim copiis instructus Cicero, Oratorem demum se

professus est, iis certe optime suam *de Oratore* sententiam expressit, atque exemplo suo et imagine confirmavit.

III^us *Ex locorum et sententiarum, a* Cicerone, *ex sua ipsius persona, pronuntiatorum, convenientia, cum huius aut alterius personae in libris de Oratore sermone.*

Ex duobus prioribus fontibus liceat haurire, quantum quidem nostrae sinent vires, hoc capite: rationes ex tertio petitas, quibus ultima confirmatio continetur, commodius adiiciemus capite tertio.

§ I.

De rationibus desumtis a disputantium personis, argumentandi modo, sententiarum denique probatarum aut refutatarum pondere.

Disputationi, quae libro I. continetur, adfuerunt L. Crassus, socer eius, Q. Mucius Scaevola, M. Antonius, C. Cotta, et P. Sulpicius (1). Memorantur Libro II. praeter Scaevolam qui profectus erat (2), iidem, accedente insuper Q. Catulo, cum C. Iulio fratre

(1) Vid. *de Orat.* I. 7.
(2) Vid. I. 62. II. 3.

tre (1), Libro denique tertio Crasſo adſunt iidem, qui ſecundo libro (2).

Ut vero facillime diiudicemus, quamnam, ex horum varia multiplicique diſputatione, ſententiam Cicero fuerit amplexus, quaestio antea redigenda est ad formam, quam fieri potest, ſimplicisſimam. Segegrandae igitur ante omnia perſonae illae, quarum ſententiae in cenſum venire non posſunt, ex quibus Ciceronis ſententia conſtituatur.

Ad hanc clasſem referendi ſunt primo loco C. Cotta, et P. Sulpicius, adolescentes, in quos magnam ſpem maiores natu ponebant (3); magnam dicendi laudem iam adeptos (4): ſed qui adſunt tantum discendi cauſa (5). Audiunt igitur, et interrogant, ſi quid ipſis videatur, diſputantes, ipſi vero nec refellunt poſitam ab alio ſententiam, nec novam aut ſuam proferunt (6).

Maioris quodammodo momenti perſonam ſustinet Q. Mucius Scaevola, cum tamen ad-

(1) Vid. II. 3.
(2) III. 5.
(3) *de Orat.* I. 7.
(4) I. 8. III. 8.
(5) Conf. I. 8. 21. 22.
(6) Vid. I. 21. 22. 29. 30. 32. 35. 47. 62. II. 23. 50. 57. 90. III. 12. 36. 55.

adſit, ut diximus, non niſi primi libri diſputationibus. Contra Crasſum enim disſerit (1), concedendum illi non esſe arbitratus, unum, quod ab Oratoribus civitates et initio conſtitutas, et ſaepe conſervatas esſe dixisſet (2); alterum, quod omnem omnino doctrinam Oratori esſe comprehendendam ſtatuisſet (3).

Posterior autem pars, cum refellitur a Crasſo (4), tum uberius multo postea ab Antonio tractatur, et gravioribus argumentis confirmatur (5), quam ob cauſam illa magis ad Antonii, quam ad Scaevolae ſermonem pertinet: praeſertim cum ipſe Mucius post Crasſi refutationem, ſe cum illo non amplius luctaturum ſignificet (6); victoriam ei quaſi concedens, ut accipit Antonius (7). Ad priorem autem obiectionis partem, qua prudentia potius, quam eloquentia, conſtitutas esſe civitates, ipſam adeo eloquentiam reip. ſaepius nocuisſe, diſputavit Mucius, ita Crasſus reſpondit, animadvertendo, eloquentiam a rerum cognitione et prudentia non es-

(1) I. 9—11.
(2) I. 8.
(3) ibidem.
(4) I. 11—17.
(5) I. 48. ſeqq.
(6) I. 17.
(7) I. 49.

esse seiungendam: ut de illa obiectione non amplius cogitare videatur Scaevola: praecipue autem deinceps (1), explicanda tota ratione et disciplina summi Oratoris, iis ipsis, quae de summo Oratore praedicat, Crassus satis superque Scaevolam refellit: qui igitur (2) laudans Crassi orationem, eum omnes aperuisse censet fontes bene dicendi; et (3) formam Oratoris, cum opinione maiorem, melioremque Crassus instruxisset, et ornasset, eam vehementer se probare fatetur. Inferius, cum magis ad sententiarum ipsarum pondus, quam ad personas attendemus, plura addendi locus erit.

Nec igitur ea, quae una vice paucis disputat Scaevola, nec urget, aut confirmat, sed statim cedendo (4) amittit, adhiberi possunt, unde Ciceronis de summo Oratore sententia constituatur. Videtur namque Scaevola hoc loco inductus esse a Cicerone, non ita ut sententiam quamdam suam, a caeteris diversam, exponat et tueatur; sed magis, ut in contrarium disputando, tamquam auctor sermonis et moderator, commoveat et excitet ingenium Crassi: quo huic oc-

(1) I. 36 — 47. imprimis c. 47.
(2) c. 47.
(3) I. 35.
(4) quod etiam Antonius miratur I. 49.

occaſio detur latius et copioſius de univerſa Oratoris facultate explicandi et disſerendi; cuius rei anſam ſatis aptam nondum praebebat Crasſi exordium (1); continens de praeſtantia ſtudii dicendi quaedam monita ad Cottam et Sulpicium. Dimovendae citius Scaevolae perſonae rationes reddit Cicero, *ad Atticum* IV. 15. conf. *de Orat.* I. 36.

Vacuum Scaevolae locum Lib. II. occupant Q. Catulus, et C. Iulius Caeſar (2): de quorum altero, qua ratione cum diſputatione de ſummo Oratore coniunctus ſit, prius videamus.

Q Catuli perſona expresſa et oratio confirmat iudicium Ciceronis, quod ſupra attulimus (3). Inſtructum et ornatum ſe ostendit literis, etiam Graecis (4). Variat autem nonnumquam, et interrumpit orationis curſum diſputantium, eam exemplis aut asſenſu ſuo comprobans, interdum quaerendo et negando uberiorem explicationem expetens (5).

Cae-

(4) I. 8.

(2) *de Orat.* II. 3. 4.

(3) Vid. *in Brut.* c. 35. *de Orat.* II. 18. III. 8.

(4) Vid. *de Orat.* II. 5. 12. 13. 14. 18. 36. 37. III. 32.

(5) Vid. II. 10, 12. 13, 17. 36. 37. 42. 89. III. 22. 24. 32. 49.

Caeterum suam sententiam, aut exponendo, aut defendendo, in medium affert nullam, sed alius semper sententiae tandem assentitur; qua assensione imprimis illud saepius confirmat, „ neminem sapientiae laudem et eloquentiae sine „ summo studio et labore et doctrina consequi „ posse" (1). Igitur neque in partibus, quae Catulo assignatae sunt, ullus potest esse fons, efficiendae sententiae Ciceronis. Iam de C. Iulio Caesare videndum, quemnam in duobus postremis *de Oratore* libris obtineat locum.

Caesar antea quidem multo minus quam Catulus, Antonii et Crassi sermoni se immiscuerat; sed quod, ut constitit antea, festivitate et facetiis omnibus praestabat, ideo ipsi deferuntur partes, de toto iocandi genere, de lepore, de sale Orationis, quatenus haec omnia ad Oratorem pertineant, disputandi; quas adeo peragit *de Orator.* II. 54 – 56. 58 – 72. Postea rursus ceterorum sermonem non interpellat, nisi perraro quaerendi gratia (2). Patet igitur in reliquis quidem C. Iulium cum capite disputationis non cohaerere; sed quod attinet ad unum illum locum de iocorum et facetiarum usu in Oratione, animadvertatur, eius tractandi rationem a ce-

(1) Vid. II. 14. 89 et III. 22.
(2) Vid. II. 73. III. 36. 60.

ceteris neque improbari, neque refelli, sed omnium assensu confirmari: itaque quae ex persona Caesaris disputat Cicero, ea ex sua sententia disseruisse existimandus est: praesertim cum haec pars eam potissimum ob causam Iulio tractanda imponitur, quia ut vidimus, ille hoc in genere unus omnium maxime excellebat. Quod autem praestantem in suo genere et ceteros facile superantem de eodem hoc genere potissimum disputasse finxit, illud certe ipse Cicero secutus est (1).

Hoc loco mentio etiam facienda videtur loci Ciceronis (2), qui repugnat quodammodo rationi, quae hodie in libro II. *de Oratore* obtinet. Scilicet ita scribit (3) Cicero ad *Volumnium:* „ ais — ut ego discesserim, omnia omnium dicta, in his etiam *Sextiana*, in me „ conferri? quid? tu id pateris? non defen„ dis? non resistis? Equidem sperabam, ita „ notata me reliquisse genera dictorum meorum, „ ut

(1) Videmus igitur Quinctilianum *I. O.* VI. 3. ubi de ridiculis disputat, semper verba Caesaris Ciceroni tribuentem: videatur e. g. p. 345. et conf. *de Oratore* II. 58. vid. p. 347. et conf. *de Orat.* II. 67. et Quinctil. p. 351.

(2) *ad Famil.* VII. 32.

(3) l. c.

„ ut cognosci sua sponte possent, sed quando „ tanta faex sit in urbe, ut nihil tam sit ἀκύθη„ ρον, quod non alicui venustum esse videatur: „ pugna, si me amas, nisi acuta ἀμφιβολία, „ nisi elegans ὑπερβολὴ, nisi παράγραμμα bel„ lum, nisi ridiculum παρὰ προσδοκίαν, nisi ce„ tera, *quae sunt a me in secundo libro de Ora*„ *tore per* Antonii *personam disputata de re*„ *diculis*, ἔντεχνα et arguta apparebunt, ut sa„ cramento contendas, mea non esse". At in libro II. *de Oratore* nihil de iocis et ridiculis disputat Antonius; sed simulac ad eum locum pervenit, transfert has partes in Caesarem (1): et sermone Caesaris ad finem perducto, ipse pergit de aliis partibus muneris Oratorii exponere (2).

Duplici ratione nobis haec difficultas tolli posse videtur. Scilicet statuendo, Ciceronem errore μνημονικῷ putasse, se de iocorum genere et facetiarum disputationem etiam assignasse Antonio, ut reliqua, quae libro II. continentur, fere omnia: quo fit, ut facilius errare Cicero potuerit, cum Antonius totum fere librum II. occupet.

Ex altera vero ratione dicendum esset, consti-

(1) Vid. II. 54.
(2) Vid. II. 72.

ſtitutionem Libri II. *de Oratore*, antea quidem eam fuisſe, ut et ille de facetiis locus ad partes pertineret Antonii, quam deinceps ita Cicero immutarit, ut nunc habemus. Loquitur itaque (1) de *priore* partium distributione. Nec talis posterior immutatio exemplis confirmari non posſit, vid. Cic. *ad Att.* XIII. 12. 19. 16. conf. *Epiſt.* 22. 13. 14. Ex quibus patet, iam antea edita fuisſe *Academica* ut videtur, Libris II, quae deinde in IV. distribuit: quam duplicem Academicorum editionem Interpretes iam ab A. Talaeo (2) inde, animadverterunt, quamvis de ratione immutationis in diverſas abierint ſententias (3). Sed quod ad rem nostram attinet, illud ex locis allatis conſtat, Ciceronem ſaepius operum iam abſolutorum aut editorum aliam perſonarum et partium diviſionem fecisſe, aut

(1) *in Epiſt. laud.*

(2) *in Epiſt. dedicat:* ad eius Praelectt. in Cic. *Academ.*

(3) Vid. Victor. *ad Acad.* II. 1. I. A. Fabricius, *Bibl. Lat.* T. I. L. I. c. 8. § 6. princ. Daviſ. *ad Acad.* l. c. not. 1. F. Fabricius *in Hiſt. Cic.* ad a. U. C. 708. Middleton, *leven van Cic.* D. II. p. 433. 434. et alios, quos laudat, ipſe hac de re copioſe disſerens. Io. Aug. Goerenzius, *in Introd. ad Cic. Acad.* praefixa eius editioni *Acad. Cic.* Lipſ. 1810. p. XIV. ſeqq.

aut aliam quamdam iis mutationem induxisſe; ut e. g. cum forte animadvertisſet, ſe librum quemdam ſuum de gloria eodem prooëmio inſtruxisſe, quo iam antea librum Acad. III, ſtatim novum prooëmium exaravit, quod ut, altero deſecato, libro agglutinet, ab *Attico* petit (1). Igitur, quid impedit, ut ſtatuamus, Ciceronem in dialogo *de Oratore*, denuo forte edito, mutavisſe aliquid in partium distributione? Praeſertim cum in eodem genere alius Ciceronis error notandus ſit. Scripſit enim *ad Atticum* (2); „ ſunt *de Oratore* nostri tres, „ mihi vehementer probati: in iis quoque per- „ ſonae ſunt, ut mihi tacendum fuerit: Cras- „ ſus enim loquitur, Antonius, Catulus ſenex, „ C. Iulius frater Catuli, Cotta, Sulpicius". In qua enumeratione ſtatim videmus praetermisſum esſe Scaevolam, qui ratione coniunctionis cum diſputationis capite, certe aeque minus praetermittendus erat, quam Catulus, Cotta, aut Sulpicius.

Per-

(1) *ad Att.* XVI. 6. Sic etiam ſcribit *ad Att.* XIII. 21. ſe quaedam mutasſe in libro *de Fin.* V. iam deſcripto: et Libris Catulo et Lucullo nova prooëmia esſe addita, in quibus uterque laudetur: *ad Att.* XIII. 32. conf. Quinctil. *I. O.* III. 6. p. 171.

(2) XIII. 19.

Personae igitur, quas recensuimus, non coniunctae sunt, ut vidimus, cum quaestione, quamnam de summo Oratore sententiam Cicero habuerit: reliquae sunt Antonius et Crassus, quos Cicero tamquam capita et fontes totius disputationis constituit, cum censeat (1); nihil sibi quidem videri „ in Crassi et Antonii sermo„ ne esse praeteritum, quod quisquam summis „ ingeniis, acerrimis studiis, optima doctrina, „ maximo usu, cognosci ac percipi potuisse „ arbitraretur". Itaque inter eos sub iudice lis erit. Videamus priore loco de Antonio.

Ut illum vero, quem statuimus, ordinem servemus, consideremus primum, quid *ex persona* Antonii ad sententiam Ciceronis possit effici.

Antonius, quamquam egregius Orator, tamen, iudice Cicerone, inferior erat Crasso. Quod cum ex ceteris testimoniis in cap. I. laudd. constat, tum imprimis ex *Bruti* cap. 37. seqq.: ibi enim, etiamsi Antonio multa tribuat, tamen Crasso statuit nihil fieri potuisse perfectius (2), et universe facile perspicias, maiores ibi laudes Crasso quam Antonio deferri: Antonium inter alia tradit, diligenter loquendi laude ca-

(1) *de Orat.* II, 3.
(2) Vid. *in Brut.* c. 38.

caruisſe (1), quae Craſſo fuit propria maxime (2). Reprehendens in Curione, quod nullum poëtam noverat, nullum Oratorem legerat, nullam memoriam antiquitatis collegerat; non publicum ius, non privatum, et civile cognoverat (3), illud tamen ei commune fuisse dicit (4) cum Antonio, qui parum his artibus fuisſet inſtructus: ſed hunc tamen unum illud habuisſe dicendi opus elaboratum: contra ſummum ſtudium et ſumma doctrina erat in Craſſo: quod imprimis manifestum est ex loco *de Oratore* II. 2. ubi ea ratione Craſſum comparat cum Antonio, ut dicat, tollendam esſe opinionem hominum, alterum non *doctisſimum*, alterum *plane indoctum* fuisſe (5). Craſſum vero vocat Scaevola (6), *hominem omnium ſapientisſimum atque eloquentisſimum, qui non in libellis, ſed in maximis cauſis, et in hoc domicilio im-*

(1) ibidem c. 37.

(2) l. c. c. 39.

(3) conf. *de Orat.* I. 34.

(4) *in Brut.* c. 59.

(5) conf. *de Orat.* III. 1. I. 49. 50. de Craſſi iuris civilis ſcientia existimari potest ex loco *de Oratore* II. 33. conf. I. 42.

(6) *de Orat.* I. 23.

imperii et gloriae ſit conſilio, linguaque princeps; quem in dicendo ſemper putaverit Deum, cui, ex ſententia Antonii (1), *par nemo unquam fuit: clarisſimo viro, et amplisſimo principi civitatis* (2). Univerſe Crasſus ubique primum Oratoriae laudis occupat locum (3). Igitur ſummi et fere perfecti Oratoris de eloquentia ſententiae, ipſe de ſummo et perfecto Oratore quaerens, quomodo non asſentiret Cicero? Hoc certe minime veroſimile videbitur, Tullium praetulisſe minoris Oratoris de perfecto Oratore iudicium ad eiusdem mediocritatem comparatum, maximi Oratoris auctoritati, qui maiorem ſententiae ſuae praeſtantiam, ſui ipſius exempli ſplendore probaret et commendaret.

Dein, quod iam attigimus (4), conſignavit Cicero in Libris *de Oratore* diſputationem quaſi ſe inter et fratrem: ſcribit ſcilicet Marcus ad Quintum (5): „ ſoles nonnunquam hac de re „ a me in diſputationibus noſtris disſentire, „ quod *ego* prudentisſimorum hominum arti- „ bus

(1) ibid. c. 27.
(2) ibid. c. 52.
(3) Vid. *de Orat.* I. 9. 10. 17. 20. 21. 22. II. 89. III. 1. ſeqq. conf. quae diximus in fine Cap. II.
(4) c. I. § 1. 2.
(5) *de Orat.* I. 2.

„ bus eloquentiam contineri ſtatuam: *tu* au-
„ tem illam ab elegantia doctrinae ſegregandam
„ putes, et in quodam ingenii, atque exerci-
„ tationis genere ponendam": quibus verbis momenta et capita controverſiae de ſummo Oratore, ut apparuit antea, comprehenduntur. Igitur Cicero Craſſi et Antonii perſonis utitur, quibus repreſentetur diſputatio ſe inter et fratrem: praeſertim, quoniam Antonius exemplo ſuo egregie tuebatur ſententiam Quinti, eique velut inſerviebat; quippe qui parum doctrina inſtructus, ſed dicendi opus habens elaboratum (1), incredibili quadam valebat vi *ingenii* (2), omniaque in *exercitatione* ponenda eſſe cenſebat (3).

Hae rationes petitae ab Antonii perſona nobis evincere iam videntur, Ciceronem non Antonii, ſed quae una ſuperest, ſententiam Craſſi amplexum fuiſſe. Videamus porro, quid efficiatur ex Antonii argumentandi modo, et ſententiarum eius defenſarum aut refutatarum pondere.

Igitur primum univerſe duplicem Antonii ſententiam exponamus, ut de locis et momentis diſputationis melius poſſit iudicium ferri.

An-

(1) *in Brut.* c. 49.
(2) *de Orat.* I. 38.
(3) *de Orat.* I. 61.

Antonius contra Crasſum diſputans L. I. c. 48 – 62. tertiam Oratoris formam arctisſimis illam incluſam terminis et ſane exiguam depingit: „ Oratorem, inquit (1), equidem non „ facio eumdem, quem Crasſus, qui mihi vi„ ſus est; omnem omnium rerum atque artium „ ſcientiam comprehendere uno Oratoris officio „ ac nomine: atque eum puto esſe, qui verbis „ ad audiendum iucundis, et ſententiis ad pro„ bandum accommodatis uti posſit in cauſis fo„ renſibus atque communibus. Hunc ego ap„ pello *Oratorem*, eumque esſe praeterea in„ ſtructum voce, et actione, et lepore quo„ dam volo". Seiunctum eum putat a civitatum rectoribus, et conſilii publici auctoribus; a philoſophia, a iuris civilis ſcientia, historia, prudentia iuris publici, antiquitatis itinere, exemplorum copia: quae, ſi quando opus est, mutuari, et quaſi ut aliena libare Orator posſit. Omnia igitur, quae Orator praeter dicendi facultatem ſibi asſumet, Antonius existimat quaſi in alienum ſolum excurſus, qui ad Oratorem, tamquam Oratorem, non pertineant; omnem eius vim et ditionem nuda dicendi facultate contineri cenſet, eloquentiae materiem et rerum copiam, dicendi facultati fere ſubſternit nul-

(1) I. 49.

nullam; Oratoremque facit causſidicum et operarium quemdam: quem ad altiora quaeque et ampliora vetat accedere. „ Ergo" (ipſius verba audiamus) „ ſit Orator nobis is, qui — accom-
„ modate ad perſuadendum poſſit dicere. Is
„ autem concludatur in ea, quae ſunt in uſu
„ civitatum vulgari ac forenſi, remotisque ce-
„ teris ſtudiis, quamvis ea ſint ampla atque
„ praeclara, in hoc uno opere, ut ita dicam,
„ noctes et dies urgeatur" (1): quae congruunt plane cum definitione *diſerti*, quam antea dederat (2): „ eum ſtatuebam *diſertum*, qui
„ posſet ſatis acute, atque dilucide apud medio-
„ cres homines ex communi quadam opinione
„ dicere". Hinc, quoniam tam exiguis finibus totum Oratoris munus circumdederat, ut illud in linguae volubilitate, et orationis uſu, eloquentiae velut inſtrumento, fere unice confidere iuberet, Crasſus partes officia artis et praecepta *Rhetorica* explicandi, illi potisſimum mandat, quippe haec facilius expoſituro, quibus omne Oratoris regnum concluderat (3); praeſertim cum Antonius, iudice Cicerone (4), parum

(1) *de Orat.* I. 61.
(2) ibid. I. 21.
(3) *de Orat.* I. 62.
(4) *in Brut.* c. 59.

rum quidem artibus esſet inſtructus; ſed tamen unum illud haberet, dicendi opus elaboratum.

Ab illustrioribus et ſplendidioribus initiis exorſus, L. II. c. 8 ſeqq., iam non refellendi ſtudio ductus, ſed ſuam ſententiam dicens (1), latius patenti muneri Oratorem praeficit. At ne vel ſic tamen Crasſiani Oratoris magnitudinem asſequitur. Nam etiamſi eodem, quo Crasſus (2), utatur principio, nimirum quodcunque bene, et graviter, et ornate dicendum ſit, id esſe unius Oratoris proprium, et ſi qui aliarum artium bene loquantur, hos adſumto aliunde uti bono, non proprio, nec ſuo (3); tamen hoc principium muneri Oratoris non ita accommodat, ut omnia quae ornate debeant dici, cum ſine rerum ſcientia verborum volubilitas inanis et irridenda ſit, Oratori tradat; ſed quamvis longe lateque pateat ipſa ars bene dicendi, tamen negotium Oratoris multo arctioribus terminis deſcribit.

Etſi enim Historia, nulla alia niſi Oratoris voce, immortalitati posſit commendari (4), tamen, quod ſaepisſime dicitur, Oratoris esſe, de

(1) *de Orat.* II. 10.
(2) ibidem I. 11 ſeqq.
(3) ibid. II. 9.
(4) *de Orat.* II. 12 ſeqq

de infiniti generis quaestione dicere, id modicis includendum est regionibus (1); at „ omnia, inquit (2), „ quae pertinent ad usum civium, „ morem hominum; quae versantur in consue„ tudine vitae, in ratione reip., in hac societate „ civili, in sensu hominum communi, in na„ tura, in moribus, comprehendenda esse Ora„ tori puto: si minus, ut separatim de his re„ bus philosophorum more respondeat; at cer„ te, ut in causa prudenter possit intexere: „ hisce autem ipsis de rebus, ut ita loquatur, „ ut ii, qui iura, qui leges, qui civitates con„ stituerunt, locuti sunt, simpliciter et splen„ dide, sine ulla serie disputationum, et sine „ ieiuna concertatione verborum": et universe censet, praeter hominum lites, omnium ceterarum rerum orationem ludum esse homini non hebeti, neque inexercitato, neque communium literarum et politioris humanitatis experti: „ in „ causarum, inquit, „ contentionibus, mag„ num est quoddam opus, atque haud sciam, „ an de humanis operibus longe maximum" (3). Igitur Antonius, non egrediens suam ipse in doctrina mediocritatem, ita instituit Oratorem, ut

(1) ibid. c. 15, 16.
(2) l. c. c. 16.
(3) l. l. c. 17.

ut ſit tinctus literis; audierit aliquid, legerit, praecepta rhetorica acceperit: cetera omnia magis ingenii cuidam, et exercitationis generi committenda esſe iudicat (1): quam ſententiam ſuam complectitur his tribus Oratori tribuendis (2): „ ſit — doctrina liberaliter inſtitutus, „ et imbutus uſu, et ſatis acri ingenio".

Antonii igitur Orator non eo tantum nomine differt a Crasſiano, ut maxima illa rerum omnium ditio ei non ſubiiciatur; ſed ne tamquam virum civilem quidem eum tam magnifice ornat, atque tot tantisque copiis inſtruit Antonius, quot et quantis Crasſus; ſed eum metitur ex uſu communi civium et Reip.; cum Crasſus primum univerſe, quod „ vis *Oratoris* profesſioque ipſa bene dicendi — ſuscipere ac polliceri videtur" (3), quodcunque in quavis disciplina aut arte ornate posſit dici, aut debeat, id ab hac arte detrahat, et cum ipſa disciplina aut arte Oratori tradat; de quo eum melius iubeat dicere, quam ipſe disciplinae doctor: et deinde *civilem* illum *Oratorem* ita fingat, ut hanc omnium rerum ſcientiam ad uſum civilem, qui imprimis conſpicitur in civitatibus fundandis, ſta-

(1) Vid. *de Orat.* l. c. c. 20. 23.
(2) l. l. c. 39.
(3) *de Orat.* I. 6.

ſtabiliendis, regendis, omnem convertat. Ceterum usque ad finem Libri II. Antonius Oratorem, tanquam qui in cauſis verſetur, in deliberationibus (1), et laudationibus (2), praeceptis inſtituit de ratione dicendi ex ſuo plerumque uſu derivatis. Attamen ex quinque partibus, quibus ars dicendi conſtat, ſumit ſibi tractandas tantum tres priores, inventionem, diſpoſitionem, denique memoriam (3); ornatum vero orationis, id est elocutionem et actionem, Craſſo relinquit, de quibus hic exponat Lib. III.

Singula quaedam paulo accuratius inviſemus. Ceterarum doctrinarum et artium apparatum ab Oratore ſeiungens, fatetur tamen Antonius, Oratorem „ callidum quemdam — et nulla in „ re tironem ac rudem, nec peregrinum atque „ hospitem in agendo esſe debere" (4). Deinde ad ſingula, quae ad Oratorem Crasſus dixerat pertinere, transit. Igitur primum Philoſophiam necesſariam non esſe, quia ab ea demum Orator minime diſcat iudicem inflammare, ſed nec utilem, quia philoſophi alienisſima ſaepe do-

(1) II. c. 81 ſeqq.
(2) ibid. c. 84 ſeqq.
(3) l. l. c. 86 ſeqq.
(4) l. l. c. 50.

doceant ab Oratoris ratione et disciplina (1). Altero loco (2) tollere conatur necesſitatem ſcientiae iuris civilis, unde ducta argumenta, eius iudicio, minus proficiant, quam vis dicendi, ornamentis Oratoriis, et venustati coniuncta. De quibus autem cauſis nullum est dubium, eae in indicium non vocantur: maximam igitur partem iuris civilis Oratori ignorare licet (3). De illa vero iuris parte, de qua ambigitur, ſi quae incidat quaestio, non est difficile Oratori, aut auctorem conſulere, aut cum viro docto communicare (4). Quibus ipſis dicendis, cum iam ſentiat Antonius eo esſe perventum, ut utilitatem iuris civilis magis probaret, quam refelleret, concedere cogitur, ſe negare non posſe, prodesſe ullam ſcientiam, „ ei praeſertim, cuius eloquentia copia rerum „ debeat esſe ornata;" ſed obſtare dicit, „ multa et magna et difficilia esſe ea, quae ſunt „ Oratori necesſaria, ut eius industriam in plura ſtudia distrahere nolit" (5). Et reliqua, quae adiuvare non negat, historiam, et pruden-

(1) ibid. c. 51—55.
(2) c. 55—61.
(3) l. l. c. 57.
(4) ibid. c. 57. 58.
(5) ibid. c. 59.

dentiam iuris publici, et antiquitatis iter, et exemplorum copiam, si quando opus sit, mutuari se posse dicit a viro, istis rebus instructo (1). Concludit „ sit Orator nobis is, qui „ ut Crassus descripsit, accommodate ad persua- „ dendum possit dicere. Is autem concludatur „ in ea, quae sunt in usu civitatum vulgari ac „ forensi: remotisque ceteris studiis, quamvis „ ea sunt ampla atque praeclara, in hoc uno „ opere, ut ita dicam, noctes et dies urgea- „ tur".

Crassus vero causa sua fisus, nec quae ipse antea dixisset, Antonii argumentis ullo modo esse debilitata conscius, satis habet respondisse (3); „ operarium nobis quemdam, Antoni, „ Oratorem facis, atque haud scio, an aliter „ sentias, et utare tua illa mirifica ad refellen- „ dum consuetudine, qua tibi nemo unquam „ praestitit. Verum ego non solum arbitrabar, „ his praesertim audientibus, a me informari „ oportere, qualis esse posset is, qui habitaret „ in subselliis, neque quidquam amplius adfer- „ ret, quam quod causarum necessitas postula- „ ret; sed maius quidquam videbam, cum cen- „ se-

(1) c. 60.
(2) c. 61.
(3) c. 62.

„ ſebam, Oratorem, praeſertim in nostra rep.,
„ nullius ornamenti expertem esſe oportere".

Et vero, quamvis ſententiam ſuam non declarasſet Tullius, quod fecit, facile nihilominus ex utriusque adductis rationibus et refutatis, effici posſet, quibusnam partibus ſeſe adiungat.

Nam quae in medium Antonius argumenta attulit, ea cadunt ex iis, quae Crasſus iam antea diſputaverat, aut aliis locis ab ipſo Cicerone refelluntur et exploduntur. Nec aliter fere ac Plato, qui in Oratoribus irridendis, ipſe ſummus Orator esſe videbatur (1), Antonius probando, ius civile, philoſophiam, historiam, literas, ad Oratorem non pertinere, omnium earum rerum ſe non mediocriter esſe peritum ostendit (2): cum omnia, quae cum Oratore ſunt coniuncta, minus neſciret, quam neſcire vellet videri. Memorat enim Cicero (3), illum vel Athenis, vel Rhodi, ſe doctisſimorum hominum

(1) Vid. *de Orat.* I. 11.

(2) Ideo et Catulus, ad finem Antonii diſputatione perducta, „ gaudeo", inquit, „ iudicium „ animi mei comprobari, quod ſemper ſtatui, nemi„ nem ſapientiae laudem et eloquentiae ſine ſummo „ ſtudio, et labore, et doctrina, conſequi posſe". *de Orat.* II. 89.

(3) *de Orat.* II. 1.

rum sermonibus dedisse (1): neque sibi adolescenti, multa ex eo saepe quaerenti, nullius rei, quae quidem esset in his artibus, de quibus ipse Tullius tum temporis aliquid existimare posset, rudem aut ignarum esse visum (2): sed „ probabiliorem hoc populo orationem fore „ censebat suam, si omnino didicisse nunquam „ putaretur" (3).

Prae-

(1) Conf. *de Orat.* I. 18 seqq.

(2) Quae Ciceroni etiam causa inter alias extitit, conscribendi dialogi *de Oratore*, ut opinio tolleretur, Antonium plane indoctum fuisse; conf. omnino *de Orat.* II. 2. et quae antea dicta sunt.

(3) Conf. omnino *de Orat.* II. 36. 37. Nec sine ratione adeo Antonius nihil a Graecis assumsisse volebat videri: quippe Graecae literae primitus Romae contemnebantur, et aditu fere intercludebantur. Vid. Krug *Gesch. der Philos. alt. Zeit.* § 149. *β.* p. 367. et ll. laud. in not. *b.* imo Ciceronis temporibus nondum melius multo res se habuit: vid. ibidem § 152, p. 372. et in nota *b.* p. 373. *Acad.* II. 2. conf. Garve *Anmerk. zu Cic. Pflichten*, B. II. p. 4 seqq. ed. 5ta 1801. Ex quo Graecorum devictorum contemtu derivandum M. Ciceronis senis dictum, quod affert Caesar *de Orat.* II. 66. „ Romanos homines similes „ esse Syrorum venalium: ut quisque optime Graece „ sciret, ita esse nequissimum". Fatetur ipse Cicero (*ad Fam.* XV. 4.) Philosophiam illam veram et antiquam, quibusdam *otii* ac *desidiae* videri. Et dicitur Plutar-

Praeterea autem tota fere Antonii contra Crasſum diſputatio refutatur eo, quod ei in memoriam revocat Crasſus (1), ſe ſignificare noluisſe, qualis esſe *posſet* Orator, qui tantum cauſis ſufficeret; ſed Oratorem ſe informasſe, perfectum illum, et plenum, detractis omnibus vitiis, atque omni laude cumulandum (2). Quod non ſemper tenet Antonius. Verum prius Crasſum probare ſibi, quae dicit, testatur, „ nec dubito", inquit (3), „ quin multo lo„ cupletior in dicendo futurus ſit, ſi quis om„ nium rerum atque artium rationem, naturam„ que comprehenderet;" et distinguit inter *di-ſertum* et *eloquentem: diſertum* ſtatuens eum, „ qui posſet ſatis acute atque dilucide apud „ mediocres homines ex communi quadam ho-
„ mi-

tarcho (*in Vit. Cic.* c. 5.) Tullius ταῦτα δὴ τὰ Ρωμαιων τοῖς βαναυστοτάτοις πρόχειρα καὶ συνήθη ῥήματα, Γραικὸς καὶ σχολαστικὸς, ἀκούων. Ceterum disſimulandae ſcientiae cauſa eadem fuit Antonio et Apro, de quo vid. *Auct. Dial. de Orat.* c. 2. De Antonio conf. Quinctil. *I. O.* XII. 9. quo pertinet Cic. *de Orat.* c. 42. conf. etiam Quinctil. II. 17. princ.

(1) *de Orat.* I. 62.

(2) quod ſaepius iam monuerat antea, vid. *de Orat.* I. 16. 17. 26. 28. 44. 46.

(3) I. 18.

„ minum opinione dicere (1): *eloquentem* vero
„ qui mirabilius et magnificentius augere pos-
„ ſet, atque ornare quae vellet, omnesque om-
„ nium rerum, quae ad dicendum pertinerent,
„ fontes animo ac memoria contineret. Id ſi
„ est difficile, (ita pergit) nobis, qui ante,
„ quam ad discendum ingresſi ſumus, obrui-
„ mur ambitione et foro, ſit tamen in re poſi-
„ tum atque natura (2). Ego enim, quantum
„ auguror coniectura, quantaque ingenia in nos-
„ tras hominibus esſe video, non deſpero, fo-
„ re aliquem aliquando, qui et ſtudio acriore,
„ quam nos ſumus, atque fuimus, et otio ac
„ facultate discendi maiore, ac maturiore, et
„ labore atque industria ſuperiore, cum ſe ad
„ audiendum, legendum, ſcribendumque dedi-
„ derit, existat talis Orator, qualem quaerimus,
„ qui iure non ſolum *diſertus*, ſed etiam *elo-
„ quens* dici posſit" (3).

At vero deinceps, quaſi non quaereretur Orator ille ſummus et *eloquens*, ſed quibus, quam minimis quis copiis inſtructus, tamquam mediocris Orator, et *diſertus*, cauſis posſet ſufficere; que-

(1) cuius generis Oratorem deſcripſit *de Orat.* I. 61.

(2) cum contraria plane et oppoſita affirmet *de Oratore* I. 49. 50.

(3) *de Orat.* I. 21.

queritur primum, tot tantaque complecti, difficile esse factu „ praesertim", inquit, „ in „ hac nostra vita, nostrisque occupationibus; „ deinde illud etiam verendum est, ne abstra„ hamur ab hac exercitatione et consuetudine „ dicendi populari et forensi" (1). Atque cum hoc esset consecutus Roscius, ut in quo quisque artificio excelleret, is in suo genere *Roscius* diceretur (2), Antonius illud esse horribile dicit, Crassum voluisse Oratorem quasi in suo genere esse quemdam Roscium (3); dum Crassus summum Oratorem quaerens, insuper modeste adiecerat (4); „ hanc ego absolutionem, „ perfectionemque in Oratore desiderans, a qua „ ipse longe absum, facio impudenter: mihi „ enim volo ignosci; ceteris ipse non ignosco".

In iis vero, quae dicit Antonius (5), de philosophia, aut perverse philosophiae usum ostendit, aut utitur placitis Stoicorum, Platonis, aliorum, ab Oratore abhorrentibus: et eodem tempore ab Oratore exigit, quae non nisi a Philosophia petat (6): de Academica philoso-

(1) I. 18. conf. c. 59. 60. 61.
(2) Vid. *de Orat.* I: 28.
(3) ibidem I. 61.
(4) I. 28.
(5) I. 55.
(6) l. c. c. 51.

ſophandi ratione, Oratori imprimis adaptata, mentionem non facit.

In iuris civilis ſcientia eo fere redit omnis diſputatio, ut, quo ab ineunte aetate illud ſtudium evitet Orator, in tempore, ſi quando opus ſit, auxilium aut ab auctoribus, aut a viris peritis mutuetur (1). Neque alia ratione ex historia, antiquitate, prudentia iuris publici, literis, expedire ſe potest (2); ita ut appareat ex ipſa Antonii argumentatione, Oratorem, qui vel minime cauſis ſufficiat, non plane his artibus posſe carere; et fatetur (3), „ cal„ lidum quemdam hunc et nulla in re tironem „ ac rudem, nec peregrinum, atque hoſpitem „ in agendo esſe debere": ſed (4) „ aliud est — „ esſe artificem cuiusdam generis atque artis, „ aliud in communi vita et vulgari hominum „ conſuetudine nec hebetem nec rudem". Orator igitur ille vulgaris, non perfectus et plenus, qualem deſiderabat Crasſus, ſed talis, qualis ipſi ſibi videbatur Antonius (qui univerſe Oratorem ex ſe, non ex ſummi illius imagine expresſit (5),) omnium rerum non omnino de-

(1) l. c. c. 55—61.

(2) l. c. c. 60.

(3) c. 56.

(4) ibid. c. 58.

(5) In quo igitur Crasſum immerito incuſat, quem

debet esse rudis: unde sequitur, si perfectiorem quemdam informes, illum magis iam in scientiarum et artium copia debere versari: denique perfectissimum, cui nihil potest deesse, ea ratione his rebus omnibus esse auctum et ornatum, qua voluit Crassus. Atque ita Antonius, si ab iisdem, quibus Crassus, initiis et consilio profectus fuisset, ad eumdem exitum et finem pervenisset: iam vero tenuiorem quamdam, et exiliorem formam sectatus, de se, non de summo Oratore exemplum capiens (1), eius imago Oratoris multo minus aucta, et ornata prodire debebat; cui adeo multa facile poterant deesse, quae in *eloquente* suo ipse desiderasset et requisivisset.

Et antea quidem, quam ipse in disputationem vocetur, assentitur Crasso, non tantum in eo, quod hic de quaestione utrum ars sit eloquentia, statuerat (2), sed multo magnificentius

eti-

quem sibi videri dicit, Oratoris facultatem, non illius artis, sed ingenii sui finibus, immensis pene, describere (*de Orat.* I. 49.), in eodem revera peccat Antonius, Oratoris munus doctrinae et copiae *suae* terminis, sane non amplissimis, coarctando.

(1) Dum contra Crassus saepius in memoriam revocat, se *non de sua*, sed *de Oratoris* facultate dixisse, *de Orat.* I. 16. et II. antea laudd.

(2) Vid. *de Orat.* I. 23. 24. conf. c. 28.

etiam, quam postea *de Oratore* sentit: in quo „ acumen", inquit (1), „ dialecticorum, sen„ tentiae philosophorum, verba prope poëta„ rum, memoria iurisconsultorum, vox tragoe„ dorum, gestus pene summorum actorum est „ requirendus. Quamobrem nihil in hominum „ genere rarius perfecto Oratore inveniri po„ test: quae enim singularum rerum artifices „ singula si mediocriter adepti sunt, probantur, „ ea, nisi omnia summa sunt, in Oratore proba„ ri non possunt". Itaque Crassus postquam Antonius, ab hac sententia deinde longissime discedens, exiguis sane finibus Oratorem circumscripserat; „ operarium," ait (2), „ nobis „ quemdam, Antoni, Oratorem facis, atque „ haud scio, an aliter sentias, et utare tua illa „ mirifica ad refellendum consuetudine, qua tibi „ nemo unquam praestitit". Quod egregie Antonius confirmat: scilicet, postquam initio Lib. II. copiosius multo, et amplius, et illustrius de Oratore praedicaverat, „ Crassus (3), nox „ te, inquit, nobis, Antoni, expolivit, homi„ nemque reddidit. Nam hesterno sermone, „ unius cuiusdam operis, ut ait Caecilius, re„ mi-

(1) *de Orat.* I. 28.
(2) *de Orat.* I. 62.
(3) *de Orat.* II. 10.

„ migem aliquem aut baiulum, nobis Orato-
„ rem descripseras, inopem quendam humani-
„ tatis, atque inurbanum. Tum Antonius, he-
„ ri enim, inquit, hoc mihi proposueram, ut
„ si te refellissem, hos a te discipulos abdu-
„ cerem: nunc, Catulo audiente et Caesare,
„ videor debere non tam pugnare tecum, quam
„ quid ipse sentiam, dicere".

Ultimo loco res nobis erit cum Crasso, cuius de summo Oratore sententia iam una superest, quam Ciceronis esse dicamus; postquam probare sumus conati, reliquarum personarum iudicium in Ciceronem cadere non potuisse. Quae igitur de Crasso afferemus, potissimum inservient maiori confirmationi eorum, quae antea dicta sunt: quamvis inde per se etiam intelligetur, quae ex Crassi persona Tullius de Oratore disseruit, ea ex sua mente disseruisse. Si quis vero post ea, quae iam diximus, maiorem etiam probationem requirat, nec alteram illam Antonii sententiam, quam proposuit Libr. II., Ciceroni convenire, (cum tamen pleraeque rationes, ex quibus priorem a Ciceronis iudicio dimovimus, etiam in illam posteriorem valeant) iam nullam difficultatem reliquam esse confitebitur, quando etiam hanc, quam aggredimur, probationis partem absolverimus.

Ita-

Itaque iis, quae praecedentibus intexuimus, primum addamus illa, quae ex *perſona* Crasſi efficiantur, ut eius ſententia conſtituatur, esſe Tullii: dein ex argumentandi ratione et ſententiarum pondere colligamus, cuius victrix ſit ſermo, et ſuo ſe robore facile tueatur adverſus omnes impugnationes, ab eius partibus ſtare ipſum auctorem.

Uti diximus, Crasſus erat talis Orator, quo perſectius Cicero fere nihil deſiderabat: ſed praeterea ipſe Tullius inſtitutus fuit et formatus, Crasſo auctore et moderatore; quod certe maxime valet ad demonſtrandum, Ciceronem Crasſi potisſimum perſonam elegisſe, ſub qua lateat ipſius de perfecto Oratore ſententia.

Tradit autem Cicero (1), ſe et fratrem Quintum ea didicisſe, quae Crasſo placerent, et ab his doctoribus, quibus ille uteretur, eruditos fuisſe: at conſtat, et inferius de hac re plura dicentur, Tullium inſtitutione uſum fuisſe doctisſima, et ea, quam postea ipſe maxime laudavit, quâque optime via ſternebatur ad illum Oratorem, quem Crasſus depingit, a nulla arte aut ſcientia alienum. Igitur Crasſus, questus (2), ſe ante ad agendum, quam ad cog-

(1) *de Orat.* II. 1.
(1) *de Orat.* I. 17.

cognoscendum venisſe, ſibique, ſi minus ingenium, certe doctrinam et otium et ſtudium illud discendi acerrimum, defuisſe, experiri in Cicerone discipulo potuit, „ ſi ad alicuius in„ genium vel maius, illa, quae ipſe non atti„ gisſet, acceſſisſent, qualis ille et quantus „ Orator futurus esſet" (1). Itaque auctori illius disciplinae, cui debebat, quod doctus in forum venisſet (2), ex qua (3) repetebat, quicquid in ſe esſet, aut ingenii, aut facultatis, illi igitur non asſentiret de ſummo Oratore, a quo illud ſibi tributum esſe intelligebat, ut ſuum nomen dein non hominis, ſed ipſius eloquentiae esſe videretur?

Igitur L. Crasſus Ciceroni princeps extitit, et ad ſuſcipiendam et ad ingrediendam horum ſtudiorum rationem, cuius auctoritati et conſilio forte etiam recte tribuas, quod Cicero ad M. Titinnium retulit (4); „ equidem memoria „ teneo, pueris nobis primum latine docere „ coepisſe L. Plotium quemdam: ad quem cum „ fieret concurſus, quod ſtudioſisſimus quisque „ apud

(1) ibidem.

(2) *in Brut.* c. 90.

(3) Praeſertim *in Orat.* pro *Archia.* Vid. c. 1. 6. 7.

(4) ſervato loco a Suet. *de cl. Rhet.* c. 2.

„ apud eum exerceretur, dolebam mihi idem „ non licere. Continebar autem doctisſimo- „ rum hominum auctoritate; qui existimabant, „ *Graecis exercitationibus ali melius ingenia* „ *posſe*": quod egregie convenit cum effatis Crasſi (1), qui cenſor latinos Rhetoras ſustu- lerat: et contra, Archiam, cui Tullius tanta debuit, quanta pro illo orationem habens, de- claravit, praeceptorem Ciceroni esſe commen- datum et adiunctum, imprimis auctore L. Cras- ſo, a quo Archias colebatur (2), vere ſuſpi- cemur.

Porro non tantum Crasſi in legem Caepionis orationem, ſibi a pueritia quaſi *magistram* fuis- ſe, Cicero fatetur (3), ſed eum etiam (4) per Crasſi perſonam deſcripſisſe exercitia ſua Orato- ria, non immerito colligere videntur, F. Fa- bricius (5), et Middletonus (6). Certe eo modo de iis disſeritur, ut Cicero aliter ſentire, eaque non ſequi, vix potuerit, neque abhor- rent ab iis exercitationibus, quibus ſe uſum fu- is-

(1) *de Orat.* III. 24.
(2) *pro Archia* c. 3.
(3) *in Brut.* c. 44.
(4) *de Orat.* I. 34.
(5) *in Hiſt. Cic.* ad a. U. C. 663.
(6) *leven van* Cicero Tom. I. p. 20.

isſe ex ſua perſona asſeverat (1), quamquam non necesſarium duxerit, eadem, quae iam aliquando (2) dixerat, alio rurſus loco repetere. Imprimis conſtat, Tullium ad Crasſi exemplum praecepta (3) et ſe compoſuisſe, inſtituta exercitatione vertendi et explicandi Graeca Latine: de qua Quinctilianus (4) „ vertere graeca in „ latinum veteres nostri Oratores optimum iu„ dicabant. Id ſe L. Crasſus in illis Ciceronis „ *de Oratore* libris dicit factitasſe. Id Cicero „ ſua ipſe perſona frequentisſime praecipit: „ quin etiam libros Platonis atque Xenophon„ tis edidit hoc genere translatos" (5). Rationem adeo, quam Crasſus commendat, ipſe ſecutus (6), huius exercitationis, explicandi ſcilicet magis ad ſenſum, et ſtili imitationem, quam vertendi; eamdem ſibi praeſcripſit Cicero (7).

Quam deinde ſimilitudinem Ciceroni esſe

cum

(1) *in Brut.* c. 89.

(2) in loco *de Orat.* laud.

(3) Vid. *de Orat.* l. c.

(4) *I. O.* X. 5. princip.

(5) de Platone ſatis notum. *Oeconomicum* Xenophontis ſe vertisſe adoleſcentem, auctor est *de Offic.* II. 24.

(6) *de Orat.* I. 34.

(7) Vid. *de opt. gen. Orat.* c. 5. conf. Suet. *de cl. Rhet.* c. 1. Plin. *Epiſt.* VIII. 9.

cum Crasſo iudicat Brutus (1), eam revera inter hos viros magnam intercesſisſe, reperimus. Doctus et omnibus ingenuis artibus inſtructus, Crasſus ad dicendum accesſit: in quo Cicero eum ſecutus, longe ſuperavit: ut postea apparebit. Magnopere Crasſus verſatus erat in iuris civilis ſcientia (2), et publici, ipſe vir civilis praeſtantisſimae dignitatis; quae laudes, ut videbimus, Ciceroni quam maximae tribuendae ſunt. Ornatus erat Crasſus magna graecarum copia litterarum (3), quas Cicero, cum exhauſisſet, effecit, ut ab iis postea Romanis hominibus non multum petendum esſet. Historiae et exemplorum cognitione bene munitus erat Crasſus (4): abundabat Tullius. Nihil ſane ipſis philoſophis Crasſus in diſputatione concedebat (5): Cicero in ipſis philoſophiae penetralibus habitabat. Catulus (6) ſatis mirari non potest, quomodo Crasſus „ occupatisſima „ in civitate, vel privatorum negotiis pene „ omnibus, vel orbis terrae procuratione, ac „ ſum-

(1) *in Brut.* c. 40.

(2) Vid. *de Orat.* II. 33. conf. I. 42.

(3) Vid. *de Orat.* III. 5 ſeqq. qua caruit fere A n t o n i u s, vid. ibid. I. 14.

(4) Vid. *in Brut.* c. 38. 39.

(5) Vid. *de Orat.* III. 20. 21.

(6) *de Orat.* III. 32.

„ summi imperii gubernatione districtus, tan„ tam vim rerum, cognitionemque comprehen„ derit, eamque omnem cum eius, qui consi„ lio et oratione in civitate valeat, scientia „ atque exercitatione sociarit": quid autem dicendum censuisset idem Catulus, si non tam Crassi quam M. Tullii Ciceronis aequalis fuisset?

Patet adeo, in omnis doctrinae possessione et Crassum versatum fuisse, et simili ratione Ciceronem: Crassum autem pro suis temporibus excelluisse, et praestitisse omnibus: at Ciceronem a philosophia, a iure civili, ab historia, ab omnibus bonis magnisque rebus instructiorem, ea addidisse, quae unice fere addi adhuc poterant (1).

Ex his, quae aliis pluribus possent augeri, similitudinis notis, inter Crassum et Ciceronem, rursus alia ducitur ratio, utriusque sententiae confirmandi consensus. Scilicet sine dubio Tullius stetit ab eius partibus, cuius, in se Oratore perficiendo, ipse vestigia legit, quamvis maioribus auctus copiis et auxiliis longius progressus sit.

Ita *persona* L. Crassi facit, ut cum Quinctilia-

(1) Conf. *in Brut.* c. 44.
(2) *I. O.* X. 3. init.

liano (2) dicamus; Ciceronem ſententiae ſuae perſonam L. Crasſi, in diſputationibus, quae ſunt *de Oratore* adſignando, iudicium ſuum cum illius auctoritate coniunxisſe.

Quod attinet ad argumentandi vim et ſententiarum pondus, animadverſum est antea, contra obiectiones Antonii, Crasſi ſententiam facile tutam esſe, tum ſua ipſius firmitudine et auctoritate, tum ex debili et vacillante Antonii refellendi ratione. Quae ibi diximus, ſatis ſufficere arbitramur, ut hoc loco nihil addendum ſit.

Nec necesſe videtur, hoc loco exponere de ſententia Crasſi, ut fecimus de Antonii iudicio; cum ea uberius et copioſius cognoscenda ſit ex Cap. III.

At hoc loco minime negligendae ſunt Q. Mucii Scaevolae, qui tamquam auctor diſputationis initium facit, contra Crasſi ſententiam, obiectiones: hae enim ipſum caput controverſiae de ſummo Oratore tangunt. Nam quae antea de hac re diximus, ea magis pertinebant ad perſonam Scaevolae, quam ſententiarum eius et orationis indolem, et vim ad refutandum Crasſum.

Crasſus (1), ſermonem quemdam de ſtudio dicendi inferens, formam illam Oratoris comprehendit inſignem, longe lateque patentem et con-

(1) *de Orat.* I. 8.

conſpicuam. Oratorem omnis ſapientiae, omnis conſilii in Rep. quaſi fontem, civitatum adeo condendarum, conſervandarumque et regendarum auctorem; et praeterea remoto foro, concione, iudiciis, ſenatu, in omni genere ſermonis et humanitatis perfectum. Huic de Oratore ſententiae adverſatur Scaevola, duplici ratione; et ſapientiâ, et doctrinâ a dicendi facultate ſegregandâ. Igitur (1) civitates arbitratur non conſtitutas diſertorum oratione, ſed prudentum conſiliis; reſp. a viris ſapientibus, eloquentiae expertibus, conſervatas, ab hominibus eloquentisſimis plerumque disſipatas et perditas. Hinc (2) ad ipſos huius et antiqui temporis Oratores provocans, illos omnes ſignificat ignaros legum, morum maiorum, auſpiciorum, religionum, iuris civilis, ſuo exemplo probare, illos omnia haec eruditionis genera ad Oratorem non pertinere existimare. Porro transit ad alteram rationem Crasſi oppugnandam; ſtatuens (3), Oratoris non esſe in omnis ſermonis diſputatione copioſisſime verſari, ſed ſingula doctrinae genera ad ſingulos ſuos posſesſores et doctores referenda esſe; qui ſinguli iure ſibi vindicent,

(1) l. c. c. 9.
(2) l. l. c. 10.
(3) l. c. c. 16.

cent, quodcunque Orator temere in suam ditionem transferre conetur. Igitur nec omnis doctrina, quod asseveraverat Crassus, Oratoris propria est.

Ad haec Crassus refutanda (1), uno utitur argumento, sed eo gravi, et copiose et fuse exposito. A Graecis dici illa, quae Scaevola attulerat, monens, haerere illos homines contendit in verbi controversia (2): tribuentes Oratori tamquam viro civili, ut in iudiciis, aut apud populum, aut in senatu, copiose loquatur, at quae cum hac ipsa eloquentia, quam ei concedunt, sint coniuncta, non videntes; „ neque enim sine multa pertractatione „ omnium rerum publicarum, neque sine le- „ gum, morum, iuris scientia, neque natura „ hominum incognita, ac moribus, in his ip- „ sis rebus satis callide versari, et perite po- „ test. Qui autem haec cognoverit, sine qui- „ bus ne illa quidem minima in causis quisquam „ recte tueri potest, quid huic abesse poterit „ de maximarum rerum scientia" (3)? et „ dicendi — virtus, nisi ei, qui dicit, ea de „ quibus dicit, percepta sint, exstare non po- „ test" (4). Igitur Orator, auctore Crasso, non

(1) l. l. c. 11—17.
(2) c. 11.
(3) ibid.
(4) l. l.

non repugnabit, quasdam doctrinas et artes proprias esse eorum, qui in his cognoscendis atque tractandis studium suum omne posuerunt, sed tractationem orationis gravis et ornatae sibi surret (1), quam Oratoris esse omnes concedunt. Nec si aliarum scientiarum periti, de suis artibus diserte disserunt, hoc vi et artificio suarum artium consequuntur, sed eloquentiae. Contra cum eloquentia sine rerum ipsarum scientia nulla sit, omnium rerum cognitio fere Oratoris propria est, quippe sine quâ Orator perfectus esse non possit. Huc itaque tendit sermo Crassi, ut minus suam sententiam dicat, quam ostendat, etiamsi concedatur Scaevolae, tamen ex hac ipsa sententia necessario sequi, rerum cognitionem Oratori esse tradendam. Quam argumentandi vim perspiciens Scaevola (2); „ non
„ luctabor", inquit, „ tecum, Crasse, ampli-
„ us, id enim ipsum, quod contra me locutus
„ es, artificio quodam es consecutus; ut et
„ mihi, quae ego vellem, non esse Oratoris,
„ concederes: et ea ipsa, nescio quomodo,
„ rursus detorqueres, atque oratori propria
„ traderes. Tua enim oratio fuit eiusmodi,
„ non ut ullam artem, doctrinamve contemne-
„ res,

(1) ibid. c. 51.
(2) c. 17.

„ res, ſed ut omnes comites ac ministras Ora-
„ toris esſe diceres". Ita quaſi ſuscipiendo et amplectendo Scaevolae ſententiam, ſuam Crasſus confirmat. Quod illustrent verba eius ſequentia (1): „ ſi quis *univerſam* et *propriam*
„ *Oratoris vim* definire, complectique vult, is
„ Orator erit, *mea ſententia*, hoc tam gravi
„ dignus nomine, qui quaecunque res inciderit, quae ſit dictione explicanda, prudenter
„ et compoſite et ornate et memoriter dicat,
„ cum quadam etiam actionis dignitate. Sin
„ cuipiam nimis infinitum videtur, quod ita
„ poſui, *quacunque de re*, licet hinc, quantum cuique videbitur, circumcidat, atque
„ amputet: tamen illud tenebo, ſi quae ceteris
„ in artibus aut ſtudiis ſita ſunt, Orator ignoret, tantumque ea teneat, quae ſunt in disceptationibus, atque in uſu forenſi, tamen
„ his de rebus ipſis, ſi ſit ei dicendum,
„ cum cognoverit ab iis, qui tenent, quae ſint
„ in quaque re, multo Oratorem melius, quam
„ ipſos illos, quorum eae ſunt artes, esſe dicturum".

Praeterquam autem, quod Crasſus hac ratione, confitente ipſo Scaevola, et iudice Antonio, et nostro iudicio, ſententiam ſuam contra Scaevo-

(1) l. c. c. 15.

volae impugnationis partem imprimis alteram, recte vindicavit (1): Cicero ex ſua ipſe perſona alio loco, priori etiam obiectioni occurrendo, et ſententiam Crasſi firmavit, et ſuam quam apertisſime declaravit.

Neque enim nobis cum Quinctiliano (2), exinde, quod Cicero hos *de Inventione* libros postea improbavit, ſequi videtur, Ciceronem ſententias etiam, his libris contentas, postea abiecisſe omnes, quia tractationem, tamquam rudem et inchoatam et maturiore aetate indignam, condemnavit.

Igitur Cicero (3) ſaepe et multum hoc ſecum ſe cogitasſe tradit, bonine an mali plus attulerit hominibus et civitatibus copia dicendi, ac ſummum eloquentiae ſtudium (4). Sed tandem rationem in eam ipſum duxisſe ſententiam, ut existimaret, eloquentiam ſine ſapientia nimium obesſe plerumque, prodesſe nunquam; atque adeo detrimenta rebuspublicis ab hominibus eloquentisſimis illata, inde originem traxerunt, quod hi ſtudium ſapientiae cum dicendi ratione non

(1) *de Invent.* I. 1 ſeqq.

(2) *I. O.* II. 15. p. 124.

(3) *de Invent.* I. 1.

(4) quibus, ut diximus, conſtat prior pars diſputationis Mucii.

non coniunxerant: tum demum ab eloquentia ad rempublicam plurima commoda veniunt, si moderatrix omnium rerum praesto est sapientia (1); quae ipsa tamen sine eloquentia parum prodest civitatibus (2). Rationes porro, ex quibus caput efferre potuit audax illa dicendi malitia, praeclare Tullius exponit (3).

Ita Cicero Crassi sententiam ab omni parte stabilivit, et ea ratione instruxit, ac tuitus est, ipsarum etiam sententiarum, quas Crassus pronuntiat, pondere et auctoritate, ut suum Tullius iudicium melius confirmare non potuerit; et dubitandi locus sit nullus, quin eam sententiam fuerit amplexus, quam eâ argumentorum munivit gravitate et copiâ, quae caeteras sententias omnes infirment et labefactent, rem vero suam quam firmissimo praesidio cingant.

§ II.

(1) *de Invent.* I. 4. conf. quae in eamdem sententiam Socratem cum Phaedro disserentem fecit Plato in dialog. *Phaedro*, T. III. p. 259 seqq. et praecipue p. 273.

(2) l. c. c. 1.

(3) ibidem et seqq.

§ II.

De iis, quae ipſe Cicero addiscenda ſibi et comparanda putavit, ut ſummi Oratoris vim et nomen merito teneret.

Videamus iam, quamnam Oratoris perſonam ſibi putaverit tuendam Cicero; et quibus copiis inſtructus ille ad dicendi opus accesſerit, qui (1) „ non immerito ab hominibus aetatis „ ſuae regnare in iudiciis dictus est: apud pos„ teros vero id conſecutus, ut Cicero iam non „ hominis nomen, ſed eloquentiae habeatur: „ quo (2) uno nihil natura melius, nihil un„ quam perfectius, conſummatiusque produxit. „ Ille eum, quem quaerimus, invenire non po„ tuit: nos in illo inveniemus, et nec ſibi, „ nec Antonio viſum, in illo ipſo videbimus: — „ quem qui intelligit, veram eloquentiae, et „ perfecti Oratoris ideam, animo comprehen„ dit" (3). Illam igitur imaginem eloquentiae Ci-

(1) Iudice Quinctiliano *I. O.* X. 1.

(2) verba ſunt P. Francii *de perfect. et conſummat. Orat. Orat.* XV. p. 159. Edit. Amſtel. 1692.

(3) Conf. Vellei. Paterc. I. 17. § 3. Plin. *Hiſt. Nat.* VII. 30. et testimonia collecta in Io. Alb. Fa-

Ciceronianae investigemus, et oculis ab omni parte lustremus: quibus initiis, et quasi lineamentis, orta sit, indagemus: qua ratione magis magisque deinceps progressa et exornata sit, quaeramus: absolutam denique, et omni apparatu auctam et cumulatam, ita contemplemur, ut continuo inde appareat, quaenam Ciceronis fuerit ex illis sententiis, quae in Lib. *de Oratore* exponuntur. Neque enim veluti Phidias, qui praestantissimae humanae formae simulacrum effingere potuit, animam simulacro indere non potuit, Cicero non modo describendo aut praeceptis, sed suo ipse exemplo, illustrem istam imaginem primus et informavit et ostendit.

Recte autem censuit P. Francius (1), cognitionem eloquentiae Oratoris antiqui, ex cognitione morum, institutorum, rerum publicarum veterum, esse hauriendam: quas res si ignoremus, profecto, quid sit Orator, intelligi nequeat. Inde scilicet docebimur, quemadmodum alio dicendi genere Demosthenes et Cicero, hic Romae, ille Athenis, usi sint, pro alia harum civitatum constitutione, sic universe omnem rationem Oratoris, aut Graeci aut Roma-

Fabricii *Bibl. Lat.* a Io. Aug. Ernesti auctius edita T. I. L. I. c. 8. § 2.

(1) *in Orat.* laud. p. 158. 159.

mani, toto coelo discrepare ab hodierno Oratoris munere.

Quae antiqui Oratoris ratio, praesertim quae spectat remp. Romanam, antea videtur exponenda.

„ Duae (1) sunt artes, quae possunt locare
„ homines in amplissimo gradu dignitatis: una
„ Imperatoris, altera Oratoris boni: ab hoc
„ pacis ornamenta retinentur, ab illo belli pe-
„ ricula repelluntur" (2). Igitur

etsi bella quierunt
Non periit virtus: licet exercere togatae
Munera militiae, licet et sine sanguinis haustu
Mitia legitimo sub iudice bella movere.
Hinc quoque servati contingit gloria civis,
Altaque victrices intexunt limina palmae.
Sic etiam magno iam tum Cicerone vigente,
Laurea facundis cesserunt arma togatis (3).

Ac-

(1) Cic. pro *Muraena* c. 14.

(2) Conf. laudes dignitatis militaris l. c. c. 9. 10.

(3) *Auctor Panegyr.* in Calp. Pison. vers. 26 seqq. vers. 35 seqq. qui versu postremo respicere videtur ad notos versus Ciceronianos:

Cedant arma togae, concedat laurea linguae:
O fortunatam natam me consule Romam!

Conf. *de Off.* I. 22. *in Pison.* c. 29 seqq. Quinctil. *I. O.* XII. 1. p. 613.

Accuratius autem rem inſpicienti facile apparebit, his duabus perſonis, laude militari aut Oratoria ad ſummos honores adſcendentibus, adiungendam esſe tertiam *Iurisconſulti:* quam igitur reliquis recte addidit E. Otto (1). Quae triplex distinctio, ſi temporibus antiquioribus ante Ciceronem minus adhuc convenit (2), ut deinceps conſtabit, eius certe aetate iam invaluit. Quod imprimis patebit ex eadem pro Muraena Oratione (3): quamvis ibi in rei ſui gratiam rem militarem unice fere extollit, Iurisconſulti dignitatem ob accuſatorem Serv. Sulpicium nimis quodammodo deprimit, cum (4) utriusque ſit ſumma honestas, quam, ſi ſibi per Servium liceret, pari atque eadem in laude poneret (5). Nimirum Iurisconſultus proprie is fuit,

(1) in disſert. *de vit. Serv. Sulpicii* c. III. § 1. quem laudat et ſequitur V. Doct. L. C. Luzac in disſ. *de Hortenſio* Sect. II. c. I. § 1.

(2) quamvis iam ante Ciceronis aetatem Iuris conſulti proprie ſic dicti fuerunt: praeter exemplum, quod affert Cicero *in Brut.* c. 30, *Mucios* nominasſe ſufficiat.

(3) c. 9 ſeqq.

(4) ut fatetur Orator c. 9.

(5) „ Duae enim ſunt artes *civiles* ac *forenſes*, „ quae plurimum et laudis habent et gratiae", iudice eodem Cicerone *in Orat.* c. 42.

fuit, qui se ad cavendum et respondendum de iure, consulentibus dederat, legum et consuetudinum, quibus privati in civitate utuntur, peritus (1).

Quae tamen Oratoris et Iurisconsulti partes non ita separatae intelligantur, ut optimi quique Oratores et Iurisconsulti, iuris civilis peritiam et eloquentiam non tamquam commune quoddam bonum possederint. Ergo Crassus eloquentium iuris peritissimus, ex iure civili tantum assumebat, quantum esset Oratori satis. Iuris peritorum eloquentissimus Scaevola, ex eloquentia illa hausit, quibus ius civile facile posset tueri (2): quod eadem ratione in Ciceronem et Serv. Sulpicium transferendum esse Brutus censet (3). Et honorum et reip. administratione perfuncti (quae maxime antiquiorum temporum fuit ratio) saepe senectutis celebrandae et ornandae perfugium et decus quaerebant in iuris interpretatione: quod sibi proposuit Crassus (4), testatus (5), esse „ domum

„ Iu-

(1) Vid. *de Orat.* I. 48. conf. *de Invent.* I. 11. II. 21.

(2) *in Brut.* c. 38 - 40. *de Orat.* I. 36 seqq.

(3) *in Brut.* c. 40.

(4) *de Orat.* I. 45.

(5) ibidem. Conf. Quinctil. *I. O.* XII. 11.

„ Iurisconſulti totius oraculum civitatis". At multo latius patet Oratoris, quam Iurisconſulti officium; qui ab hoc eo tantum differt, ut conſuli ſe de iure civili non patiatur (1).

Quae autem omnium rerumpublicarum est ratio, ab ea nec Romana Reſp. discrepavit, ut ſcilicet pacis praeſertim temporibus, nihil certius ad ſumma honoris fastigia evehat, quam eloquentia, animis populi quaſi imperans, „ rerumque domina (2), flexanima atque omnium regina rerum" (3): quae „ una res in „ omni libero populo, maximeque in pacatis, „ tranquillisque civitatibus praecipue ſemper „ floruit, ſemperque dominata est" (4).

Nec mirum profecto hoc cuiquam videbitur, qui intimam Oratoris coniunctionem cum tota civitatis conſtitutione perſpectam habuerit.

„ Ve-

(1) Ceterum quam diligenter et a Cicerone et a Poëtis etiam, hoc discrimen Iurisconſulti et Oratoris notatum et ſervatum fuerit, ex locis apparet cit: ab eodem Luzac l. l. § 2. p. 104. nota 3. et p. 105. 106. quibus tamen addatur Cicero in *Top.* c. 17.

(2) ut eam vocat Balbus *de Nat. D.* II. 59.

(3) quemadmodum Poëtae dicitur apud Cic. *de Orat.* II. 44.

(4) *de Orat.* I. 8.

„ Vetus (1) illa doctrina eadem videtur et „ recte faciendi et bene dicendi magistra, ne- „ que disiuncti doctores, sed iidem erant viven- „ di praeceptores atque dicendi: ut ille apud „ Homerum Phoenix, qui se a Peleo patre „ Achilli iuveni comitem esse datum dicit ad „ bellum, ut illum efficeret *Oratorem verborum* „ *actoremque rerum.* Hanc (2) cogitandi, „ pronuntiandique' rationem, vimque dicendi, „ veteres Graeci *sapientiam* nominabant. Hinc „ illi Lycurgi, hinc Pittaci, hinc Solones, at- „ que ab hac similitudine Coruncanii nostri, „ Fabricii, Catones, Scipiones (3), fuerunt, „ non tam fortasse docti, sed impetu mentis „ simili et voluntate. Equidem, inquit Cras- „ sus (4), saepe hoc audivi de patre et de so- „ cero meo, nostros quoque homines, qui ex- „ cellere sapientiae gloria vellent, omnia, quae „ quidem tum haec civitas posset, solitos esse „ complecti. Meminerant illi Sext. Aelium, „ M' vero Manilium nos etiam vidimus trans- „ verso ambulantem foro; quod erat insigne, „ eum, qui id faceret, facere civibus omnibus „ con-

(1) *de Orat.* III. 14.
(2) ibidem.
(3) conf. *in Brut.* c. 21. 22.
(4) *de Orat.* III. 33.

„ consilii sui copiam: ad quos olim et ita am-
„ bulantes, et in solio sedentes domi, sic adi-
„ batur, non solum, ut de iure civili ad eos,
„ verum etiam de filia collocanda, de fundo
„ emendo, de agro colendo, de omni denique
„ aut officio aut negotio referretur (1). Haec
„ fuit P. Crassi illius veteris, haec Ti. Corun-
„ canii, haec proavi generi mei, Scipionis, pru-
„ dentissimi hominis, sapientia: qui omnes
„ Pontifices Maximi fuerunt, ut ad eos de om-
„ nibus divinis, atque humanis rebus referre-
„ tur: iidemque et in *senatu*, et apud *populum*,
„ et in *caussis* amicorum, et domi et militiae,
„ consilium suum fidemque praestabant. Quid
„ enim M. Catoni (2), praeter hanc politissi-
„ mam doctrinam transmarinam atque adventi-
„ tiam, defuit? num quia ius civile didicerat,
„ caussas non dicebat? aut, quia poterat dicere,
„ iuris scientiam negligebat? at utroque in ge-
„ nere et laboravit et praestitit. Num propter
„ hanc ex privatorum negotiis collectam grati-
„ am, tardior in Rep. capessenda fuit? nemo
„ apud populum fortior, nemo melior sena-
„ tor: idem facile optimus imperator: denique
„ nihil in hac civitate, temporibus illis, sciri
„ dis-

(1) Conf. *de Off.* II. 19.
(2) Conf. *in Brut.* c. 17. seq.

„ discive potuit, quod ille non cum investiga„ rit, et ſcierit, tum etiam conſcripſerit".

Haec igitur antiqua forma erat virorum civilium, qui nullam partem Reip. aut communis civium utilitatis a ſe alienam existimarunt, quos tamen rectius cum Craſſo *ſapientes* appelles, quam aut philoſophos, aut *Oratores*, quibus nec ſubtilior illa doctrina, tota rerum cognitioni dedita, neque cultior ille orationis ornatus aderat (1); quosque verius cum ſeptem ſapientibus, qui vocantur, compares (2).

Illa igitur ratio, postquam adventitiae ex Graecia ſcientiae ad Romanos etiam deferri coeptae erant, magis forma, quam re immutata est. Cum enim a Graecis diviſio quaedam artium inducta esſet, apparebat, unam illam antea, eamdemque dicendi et faciendi ſapientiam ex pluribus revera disciplinis collectam et conflatam esſe. Orator itaque, ſeu potius vir ille πολιτικὸς, cui antea non niſi una doctrina, ſed ea ampla, et magna, et pluribus conſtans partibus, comprehendenda erat, iam multas artes, et discipli-

(1) Conf. omnino Cic. *in Brut.* c. 14. 36.

(2) Conf. *de Orat.* III. 34. et iudicium de L. Torquato *in Brut.* c. 45. Diutius autem hoc loco huic rei immoraremur, niſi propoſitum esſet, in c. III. imprimis, fuſius de ea exponere.

plinas ſibi habebat ſubiectas, quaſi partes antiquae illius ſapientiae.

Manebat tamen illud, officium viri civilis, qui iam verius dici poterat *Orator*, propter ornatiorem, quae acceſſerat, et magis inſtructam facultatem dicendi, omnes omnino Reip. partes continere: qua ratione tribus praeſertim cernebatur partibus maioribus; defendendo aut accuſando in *iudiciis:* explicanda ſententia in *curia:* ſuadendo vel disſuadendo in *concione*. His enim tribus, quaſi arctisſimis vinculis, Orator cum fontibus et capite administrandae Reip. coniungebatur.

Inde Quinctilianus haec a ſe invicem discernens (1), Catonem, „ eloquentem ſenatorem" vocat. Scaurus dicitur habuisſe dicendi genus ad patrocinia mediocriter aptum, — ad ſenatoriam „ vero ſententiam, cuius erat ille prin„ ceps, vel maxime (2). Q. Metellus Numi„ dicus et eius collega M. Silanus, dicebant de „ rep., quod esſet illis viris et conſulari digni„ tati ſatis" (3). In Crasſo „ fuit — et po„ pularis dictio excellens: Antonii genus di„ cendi multo aptius iudiciis, quam concioni„ bus"

(1) *I. O.* II. 1.
(2) *in Brut.* c. 29.
(3) ibidem c. 35.

„ bus" (1). Contra „ Aphilia aptior concio- „ nibus, quam iudiciis" (2). P. Lentulum iudicat Cicero (3), ad remp. duntaxat, „ quod „ opus esſet, ſatis habuiſſe eloquentiae". In Cn. Domitio „ porro, ſatis — fuiſſe orationis „ atque ingenii, quo et magiſtratus perſonam „ et conſularem dignitatem tueretur": quod idem de „ C. Coelio dixerim, induſtriam in eo „ ſummam fuiſſe, ſummasque virtutes, eloquen- „ tiae tantum, quod esſet in rebus privatis ami- „ cis eius, in repub. ipſius dignitati ſatis" (4). L. Torquatum „ non tam cito Rhetorem dixiſ- „ ſes, (etſi non deerat oratio), quam ut Grae- „ ci dicunt, πολιτικὸν (5)"; quem igitur magis ad antiquam illam virorum civilium formam, de qua dicebamus, referres.

Sed etiamſi non omnes ad cunctas muneris Oratorii partes aeque ſufficerent ac valerent, ſummo Oratori omnes erant coniungendae, ut eas coniungit Craſſus (6), iudicans, nihil esſe „ tam potens, tamque magnificum, quam *popu-*

„ *li*

(1) l. l. c. 44.
(2) l. l. c. 48.
(3) ibid. c. 28.
(4) ibid. c. 45. conf. c. 42. 48. 62. 70.
(5) l. l. c. 45.
(6) *de Orat.* I. 8.

„ *li* motus, *iudicum* religiones, *ſenatus* gravi-
„ tatem, unius oratione poſſe converti": et ſtatui poſſe Oratorem illum, „ qui in iure „ aut in *iudiciis* poſſit, aut apud *populum*, aut „ in *ſenatu* copioſe loqui" (1). Eadem illa tria coniunctim memorans Craſſus loquitur (2) de „ orationibus hisce ipſis *iudiciorum*, *concio-* „ *num*, *Senatus*": et philoſophia, inquit (3), Epicuri „ nos avocat a *roſtris*, a *iudiciis*, a „ *curia*"; locutus alio loco (4) de eo, qui „ *forum*, qui *curiam*, qui *cauſas*, qui *remp.* „ ſpectet". Cicero (5) eloquentiam, proprie ſic dictam, verſari dixit, „ in disceptationi- „ bus — *iudiciorum*, *concionum*, *ſenatus*". Quinctilianus (6) Oratoris ditioni ſubiecit *iudicia*, *conſilia*, *conciones*, *ſenatum*, omne denique officium boni civis: cum praeſertim „ maxima „ quaſi Oratori ſcena videatur *concionis*" (7). Atque rep. unius iam imperio ſubacta, adeoque ſublata hac tertia, duo reliqua adhuc memorat Au-

(1) ibid. c. 11.
(2) ibid. c. 16.
(3) l. l. III. 17.
(4) ibid. III. 23.
(5) *de Off.* I. 37.
(6) *I. O.* XII. 11. princip.
(7) *de Orat.* II. 83. conf. III. 55. I. 8. 9. 10.

Auctor Panegyr. in Calp. Pison. (1). Alia ratione iisdem temporibus Auctor dial. de Orat. (2) hunc tertium locum implet, eloquentiae vocans, „ praesidium simul et telum, quo pro„ pugnare pariter et incessere, vel in *iudiciis*, „ sive in *senatu*, sive apud *Principem* possis".

Singulas partes accuratius inspiciamus.

Quod attinet ad primam officii Oratoris partem, accusandi aut defendendi in iudiciis, ortam iam et constitutam et stabilitam imprimis Romuli instituto, coniunctionis patronorum et clientium, apparet, eam quasi primum gradum fuisse capessendae Reip., cum laudis et honorum cupidi adolescentes nulla magis ratione amorem populi et favorem sibi conciliare possent, quam si innocentibus atque oppressis vindicandis, eorumque causis in iudicio magno animo tuendis, noxiis atque opum, aut amicorum auctoritate insolentioribus, fortiter accusandis, operam navarent: „ quid enim tam regium, tam liberale, „ tam munificum, quam opem ferre supplici„ bus, excitare afflictos, dare salutem, libera„ re periculis, retinere homines in civita„ te" (3)?

Igi-

(1) vers. 86 seq.

(2) c. 5. conf. c. 8.

(3) *de Orat.* I. 8. conf. c. 40. 46. *de Off.* II. 4. et de

Igitur Poëtae illius laudes libenter celebrarunt, si quis dici posset *praesidium fori*, quo nomine Cottam ornavit Ovidius (1): aut qui esset

Insigne moestis praesidium reis,

ut Asinius Pollio Horatio (2): aut cuius

„ *Defensura reos vocem moestos facundia mittit.*

ut Calpurnii Pisonis (3): cuius adeo magna erat virtus,

„ *Exonerare pios modo, modo onerare nocentes* (4).

sive denique, cuius eloquentiae memoria servabatur, ut

„ *Unica sollicitis quondam tutela salusque.*

tamquam Ciceronis a Corn. Severo (5).

Igitur ut

„ *Conveniens homini est, hominem servare, voluptas*,

ita

„ *Et*

de hac muneris Oratorii parte omnino etiam Quinctil. *I. O.* XII. 7.

(1) *Epist. ex Pont. IV.* epist. 16. vers. 46.

(2) *Carm.* Lib. II. Od. 1. 13.

(3) Auct. *Panegyr. in Calpurn. Pison.* vers. 39. 40.

(4) Idem ibid. vs. 87.

(5) in fragm. apud Senec. *Rhet.* Suas. VII.

„ *Et melius nulla quaeritur arte favor :* (1)
nam praeterquam, quod nihil, „ tam necesſa„ rium, quam tenere ſemper arma, quibus vel „ tectus esſe posſis, vel provocare integros, „ vel te ulcisci lacesſitus (2): praeterea

„ *Melius nulla quaeritur arte favor*,"

quia illa ars viam ad remp. capesſendam optime ſternebat: populus enim, in quem operam et laborem impendebant, qui dignitate caeteris praeſtare cupiebant, eos in remunerationem honoribus donabat et magistratibus: in quibus digne et cum ſalute civium tuendis, omnis ſita erat optimi cuiusque patricii ambitio, gloria, ac vitae dignitas. Ad illud igitur honoris fastigium evecti, viri fiebant *civiles*, quos Graeci *πολιτικοὺς* dixerunt (3), in quorum officiis rite exſequendis, duae reliquae, quas enumeravimus, eloquentiae partes cernuntur, quibus partibus conſtat eloquentia, quam eximie vocabant

(1) Ovid. *Epiſt. ex Pont.* Lib. II. Epiſt. 9. vs. 39.

(2) *de Orat.* I. 8. conf. c. 45.

(3) Paulo alia ratione atque apud Athenienſes, ubi exorſi a iudiciis et cauſis privatis, procedendo ad cauſas publicas, eo ipſo Oratores cum Reip. adminiſtratione copulabantur, et viri civiles fiebant. Conf. Heeren *Ideen*, Th. III. Abth. I. Abſchn. XIII. p. 408 ſeqq.

bant *civilem*, quae distinguebatur a *forenſi;* cuius prioris generis curasſe ſe ut orationes ſuae conſulares, exempla referrent, ipſe testatur Cicero (1): ad quem tamen locum *eloquentiae* illius *civilis*, tamquam generis cuiusdam dicendi, origo paulo altius repetenda videtur.

Qui antiquitus inter cives ſuos eminebant, quales, praeter Thaletem, ſeptem ſapientes, Lycurgus, alii, florebant, quae dicebatur, *ſapientia* (2), i. e. rerum civilium ſcientia, cum et rebus agendis, et vi dicendi animis perſuadendo, ceteris praecellerent. Vis illa dicendi ſufficiebat quidem ad rudes illorum hominum mentes, quippe locuti ſunt hi „ ſimpliciter et „ ſplen-

(1) *ad Att.* II. 1.

(2) Plutarch. *in Themistocle* initio p. 112. D. Edit. Francof. 1599. loquitur de *Mneſiphilo*, οὔτε ῥητόρος ὄντος, οὔτε τῶν φυσικῶν κληθέντων φιλοσόφων, ἀλλὰ τὴν καλουμένην σοφίαν, οὖσαν δὲ δεινότητα πολιτικὴν, καὶ δραστήριον συνέσιν, ἐπιτηδεύμα πεποιημένου καὶ διασώζοντος, ὥσπερ αἵρεσιν ἐκ διαδοχῆς ἀπὸ Σόλωνος: ubi diſerte auctor a ſe invicem distinxit *Rhetoras*, *Philoſophos*, qui tum temporis non niſi naturalium rerum investigationi dediti erant, et *viros civiles*, ſcientia et vi illa politica inſtructos, quae proprie *ſapientia* vocabatur: quamvis Craſſus (*de Orat.* III. 6.) in hac re minus proprie uſurpet nomen *Philoſophiae:* accuratius Seneca, *Epiſt.* XC., „ opus esſe coepit „ legibus, quas et ipſas inter initia tulere *ſapientes*".

„ splendide" (1); sed ipsa tamen rudis erat, et ornatu carens. Spectabantur magis res, quam verba (2): et sapientiae, quamvis dicendi facultate parum copiosa adiutae, auctoritas satis valebat. Nam ad animos, parum etiamnum excultos, etiam ornatioris eloquentiae vis frustra adhiberetur, quae, ut caeterae artes, non nisi politioris humanitatis comes est, atque socia. Subsequentibus autem temporibus, cum varietas multarum artium, et doctrinarum, iam inter Graecos coli coepta esset, eo ipso facultas dicendi virorum civilium magis polita est et instructa: ad quam aetatem pertinent Pericles, Alcibiades, Critias, Theramenes: „ quibus „ temporibus, quod dicendi genus viguerit, „ ex Thucydidi scriptis, qui ipse tum fuit, in„ telligi maxime potest; grandes erant verbis, „ crebri sententiis, compressione rerum breves; „ et ob eam ipsam caussam interdum subobscu„ ri" (3). Hanc δεινότητα πολιτικὴν, ut refert Plutarchus (4), praeclare etiam tenuit Mnesiphilus, qui eam est tuitus, et servavit, ve-

(1) censente Antonio *de Orat.* II. 16.

(2) Conf. omnino *de Orat.* II. 22.

(3) Cic. *in Brut.* c. 7. in quem locum, et modo laud. *de Orat.* II. 22. 23. quasi commentarius vid. Runhken. *Hist. Crit. Orat. Graec.*

(4) *in Themistocl.* p. 112.

velut sectam, ex successione Solonis, ἣν οἱ μετὰ ταῦτα δικανικαῖς μίξαντες τέχναις, καὶ μεταγαγόντες ἀπὸ τῶν πράξεων τὴν ἄσκησιν ἐπὶ τοὺς λόγους, σοφισαὶ προσηγορεύθησαν. In quibus primam originem magistrorum dicendi notatam videmus. quam eleganter more suo exponit Cicero (1): ex auctoritate virorum illorum civilium, de quorum genere dicendi modo eius iudicium adscripsimus, „ ut intellectum „ est, quantam vim haberet accurata et facta „ quodammodo oratio; tum etiam magistri di- „ cendi subito extiterunt: tum Leontinus Gor- „ gias, Thrasymachus Chalcedonius, Protago- „ ras Abderites, Prodicus Ceius, Hippias Ele- „ us, in honore magno fuit, aliique multi, „ temporibus iisdem, docere se profitebantur, „ arrogantibus sane verbis, quemadmodum cau- „ sa inferior, (ita enim loquebantur) dicendo „ fieri superior posset (2). Iis opposuit sese „ So-

(1) *in Brut.* c. 8.

(2) Ab his (auctore Dionys. Hal. *de ant. Orat. in iud. de Isocrate* § 2.) confusam dicendi exercitationem Isocrates accepit; et primus hic subtilitate disserendi, et naturae obscuritate relicta, ad orationes *civiles* se contulit, et in ea facultate constanter elaboravit. De Sophistis conf. porro Krug *Gesch. der Phil. alt. Zeit.* § 15. p. 114 sq. et Auct. ibi laud.

„ Socrates, qui, ſubtilitate quadam diſputan„ di, refellere eorum inſtituta ſolebat verbis. „ Hinc (1) discidium illud extitit quaſi linguae „ atque cordis, ut alii nos ſapere, alii dicere „ docerent". Sophistae igitur, qui iam fere ſoli ad ſe dicendi artem traxerant, induxerunt ſubtilius quoddam et politius, et elegantius, et tenuius dicendi genus, quod a civili illo charactere, gravi et amplo, et preſſo, rebus magis, quam verbis conſpicuo, magnopere abhorruit. Attamen cum Rhetores et Sophistae integram dicendi provinciam ad ſe potisſimum pertinere ſtatuerant, deinceps (2) hanc etiam πολιτικὴν φρασὶν affectarunt, ſeiunctam ab illa ornatiori dicendi ratione. Itaque Iulius Pollux (3) distinguit *Rhetorem* a *Sophista*, ita ut *Rhetorem* eumdem faciat atque πολιτικόν: ῥήτωρ, inquit, ῥητορικὸς ὁ αὐτὸς καὶ πολιτικὸς σοφιστής: et paulo post ῥητορεύειν ait esſe πολιτικὸν εἶναι, et distinguit ab eo σοφιστὴν εἶναι (4). Igitur πολιτικοὶ fuerunt inter dicendi magistros, atque adeo πολιτικὸν dicendi ge-

(1) *de Orat.* III. 16.

(2) Ut recte obſervat L. Creſollius *in Theatr. Rhet.* L. I. c. 3. *in Theſ. Antiq. Graec.* T. X.

(3) Lib. IV. S. I.

(4) Conf. G. I. Vosſius *de Nat. Rhet.* c. I.

genus constitutum fuit, a ceteris diversum (1). Quin et Athenis schola erat πολιτικῶν λόγων, et insequentibus temporibus πολιτικὸς θρόνος ibidem constitutus fuit, cui praeërat istius facundiae magister peculiaris (2). Eam autem formam dicendi praecipue sibi vindicasse, atque in orationibus excoluisse Demosthenes dicitur, ut vel satis intelligitur ex iudicio Ciceronis (3): „ fuit — mihi commodum, quod in iis orationibus, quae Philippicae nominantur, enituerat civis ille tuus Demosthenes, et quod se ab hoc refractariolo iudiciali dicendi genere abiunxerat, ut σεμνότερός τις καὶ πολιτικώτερος videretur, curare, ut meae quoque essent orationes, quae *consulares* nominarentur". Scilicet migraverat paulatim haec πολιτικὴ dicendi forma, quae horridior quodammodo et concisior accepta erat a viris antiquis illis civilibus, in ornatiorem, copiosiorem, orationisque luminibus instructam et distinctam: cuius constans tamen character granditas verborum et sententiarum; dum Sophistarum oratio, delectationi ma-

(1) Conf. l. l. c. c. a L. Cresollio l. c.

(2) de quibus omnibus vid. Cresollius l. c. p. 26. Photius in *Bibliothec. Cod.* c. XLVIII. p. 169. ed. Dav. Hoeschelii laudat Λεξικὸν πολιτικοῦ λόγου.

(3) *ad Att.* II. 1.

magis apta, quam incitationi, in floridiore genere et molliori et limatiori consedit (1). Alia quodammodo ratione respiciens ad civitatis suae antiquam conditionem, Cicero dixit de L. Torquato (2), „ quem non tam cito Rhetorem „ dixisses (etsi non deërat oratio) quam ut Grae„ ci dicunt, πολιτικὸν". Quemadmodum etiam antea iam explicavimus, et recte etiam vidit L. Cresollius (3), hoc refertur ad antiquos in Rep. Romana viros civiles, qui magis usu et rerum civilium scientia, quam ornata oratione valebant; ex quorum genere unus fuit L. Torquatus. Eodem modo rerum experientiam, non dicendi genus, spectavit, cum neminem Coelio πολιτικώτερον testaretur se cognovisse (4), et (5) ἀπολιτικώτατον, in rep. gerenda rudem et fere hospitem.

His expositis de genere dicendi, ad ipsum civilem in Romana civitate virum revertamur.

Igitur „ vir ille vere civilis, et publicarum, „ privatarumque rerum administratationi ac„ commodatus, qui regere consiliis urbes, fun„ dare

(1) quod ἐπιδεικτικὸν vocatum describit Cicero *in Orat.* c. 11, 13.

(2) *in Brut.* c. 45.

(3) l. c.

(4) *ad Fam.* II. 8.

(5) *ad Att.* VIII. 20.

„ dare legibus, emendare iudiciis poſſit, non „ alius eſt profecto, quam Orator" (1): quem proinde (2) recte dixerimus, „ auctorem pu„ blici conſilii, et regendae civitatis ducem, „ et ſententiae atque eloquentiae principem in „ ſenatu, in populo, in cauſis publicis" (3). Audiamus, quam magnifice adhuc de Oratoris munere praedicet Aper (4) iis temporibus, cum non niſi umbra veteris reip. ſupererat, adeoque Oratoris omnis fere illa antiqua ditio, ipſa maxima ſcena, erant ablatae: „ Orator „ eloquentia parare ſimul et tueri amicitias, „ adſciscere nationes, complecti provincias po„ test: quo ſtudio non aliud in civitate noſtra „ vel ad utilitatem fructuoſius, vel ad dignita„ tem amplius, vel ad Urbis famam pulchrius, „ vel ad totius imperii atque omnium gentium „ notitiam illuſtrius excogitari poteſt. Nam „ ſi ad utilitatem vitae omnia conſilia, facta „ nos-

(1) Quinctil. in prooem.

(2) cum Craſſo *de Orat.* III. 17.

(3) conf. omnino Cic. pro *Sextio* c. 45. 46. Eadem ratione Graeci vocabant δημαγωγοὺς, qui Latinis *Oratores*. Gell. N. A. III 13. „ Calliſtratus Athe„ nis *Orator* in rep. fuit: illi δημαγωγοὺς appellant". Conf. Voſſius *de Nat. Rhet.* c. I. et praecipue Valckenaer in *Diatrib.* c. XXIII. p. 251 ſeqq.

(4) *In Dial. de Orat.* c. 5.

„ nostra dirigenda ſunt, quid erit tutius, quam „ eam exercere artem, qua ſemper armatus prae„ ſidium amicis, opem alienis, ſalutem peri„ clitantibus, invidis vero et inimicis metum „ et terrorem ultro feras, ipſe ſecurus, et ve„ lut quadam perpetua potentia ac poteſtate „ munitus? Cuius vis et utilitas, rebus prope „ fluentibus, aliorum praeſidio et tutela intelli„ gitur; ſin proprium periculum increpuit, non „ hercule lorica aut gladius in acie firmius „ munimentum quam reo et periclitanti, elo„ quentiae praeſidium ſimul et telum, quo pro„ pugnare pariter et inceſſere, vel in iudicio, „ ſive in ſenatu, ſive apud principem poſſis". Talia tantaque de Oratore praedicari adhuc poterant, eo reip ſtatu, ut pars eloquentiae *civilis*, ampliſſima ſane illa, et longe illuſtriſſima, et patens latiſſime, plane iam evanuiſſet. Abierat ſcilicet e civium mentibus ille altior ſpiritus, quo ad ſe quisque proxime pertinere totam remp. exiſtimabat, omniaque conſilia et facta, non (1) ad *utilitatem vitae* ſuae potius, quam ad communis utilitatis rationem dirigenda eſſe ſtatuebat. Veteribus propterea etiam, „ niſi ea „ virtus, quae conſtat ex hominibus tuendis, „ i. e. ex ſocietate generis humani, attingat „ cog-

(1) ut *Aper* l. l.

„ cognitionem rerum, ſolivaga cognitio et ie-
„ iuna videbatur". At ſi nihilominus Aper aevi ſui Oratorem, in exiguum ſane gyrum compulſum, tanto ardore laudare et celebrare potuerit, quanto ampliori ſenſu et latiori Craſſus de Oratore, in regno ſuo adhuc toto regnante, ſtatuere cenſendus est: „ perfecti Oratoris
„ moderatione et ſapientia, non ſolum ipſius
„ dignitatem, ſed et privatorum plurimorum, et
„ univerſae reip. ſalutem maxime contineri" (2).
Nam h s temporibus „ quanto (3) quisque plus
„ dicendo poterat, tanto facilius honores aſſe-
„ quebatur: tanto magis in ipſis honoribus
„ collegas ſuos anteibat; tanto plus apud prin-
„ cipes gratiae, plus auctoritatis apud patres,
„ plus notitiae ac nominis apud plebem para-
„ bat. Hi clientelis etiam exterarum nationum
„ redundabant; hos ituri in provincias magiſ-
„ tratus reverebantur; hos reverſi colebant; hos
„ et Praeturae et Conſulatus vocare ultro vide-
„ ban-

(1) Cic. *de Off.* I. 44. Inde igitur, niſi ab illa cogitandi ſcientia fluerent commoda in utilitatem communem, niſi agendi ſapientia accederet, nihili erat: hinc coniuncta illa cognoſcendi agendique ſapientia.

(2) *de Orat.* I. 8.

(3) *Auct. Dial. de Orat.* c. 36.

„ bantur; hi ne privati quidem ſine poteſtate „ erant, cum et populum et ſenatum conſilio „ et auctoritate regerent. Quin imo ſibi ipſi „ perſuaſerant, neminem ſine eloquentia aut „ asſequi posſe in civitate, aut tueri conſpicu„ um et eminentem locum. Nec mirum; cum „ etiam inviti ad populum producerentur; cum „ parum esſet in ſenatu breviter cenſere, niſi „ qui ingenio et eloquentia ſententiam ſuam tue„ retur: cum in aliquam invidiam aut crimen „ vocati, ſua voce reſpondendum haberent; „ cum teſtimonia quoque in publicis non ab„ ſentes, nec per tabellam dare, ſed coram et „ praeſentes dicere cogerentur. Ita ad ſumma „ eloquentiae praemia, magna etiam necesſitas „ accedebat, et commoda. Diſertum haberi „ pulchrum et glorioſum, ſed contra, mutum „ et elinguem videri, deforme habebatur". Ergo non minus „ rubore (1), quam praemiis „ ſtimulabantur; ne clientulorum loco potius, „ quam patronorum numerarentur: ne traditae „ a maioribus necesſitudines ad alios transirent: „ ne tamquam inertes, et non ſuffecturi hono„ ribus, aut non impetrarent, aut impetratos „ male tuerentur".

Igitur conſtat „ Cn. Pompeium, et M. Cras- „ ſum

(1) l. l. c. 37.

„ ſum non viribus modo et armis, ſed ingenio „ quoque et oratione valuisſe: Lentulos et Me„ tellos et Lucullos, et Curiones, et ceteram „ procerum manum, multum in his ſtudiis ope„ rae curaeque poſuisſe: nec quemquam illis „ temporibus magnam potentiam ſine eloquentia „ conſecūtum".

Nemini itaque mirum videbitur, quandoquidem is „ uſus dicendi — in omni pa„ cata et libera civitate dominatur" (1), ſi et praeſertim „ in rep. Romana primas elo„ quentia tenuit ſemper, urbanis, pacatisque „ rebus" (2): cui „ est in toga dignitatis prin„ cipatus datus" (3); nam „ magnus erat di„ cendi labor, magna res, magna dignitas, „ ſumma autem gratia" (4). Posteaquam enim, „ imperio omnium gentium conſtituto, „ diuturnitas pacis otium confirmavit, nemo „ fere laudis cupidus adolescens non ſibi ad di„ cendum ſtudio omni enitendum putavit. Ac „ primo quidem totius rationis ignari, qui ne„ que exercitationis ullam viam, neque aliquod „ prae-

(1) *de Orat.* II. 8. conf. I. 8.

(2) *Orat.* c. 41.

(3) *de Off.* II. 19. ita ut *Auctor Dial. de Orat.* c. 7. testetur, nullorum prius, quam Oratorum nomina parentes liberis ſuis ingesſisſe.

(4) *pro Muraena* c. 13.

„ praeceptum artis esse arbitrarentur, tantum, „ quantum ingenio et cogitatione poterant, „ consequebantur. Post autem auditis Orator- „ bus Graecis, cognitisque eorum literis, ad- „ hibitisque doctoribus, incredibili quodam „ Romani homines dicendi studio flagraverunt. „ Excitabat eos magnitudo et varietas, multitu- „ doque in omni genere causarum, ut ad eam „ doctrinam, quam unusquisque studio assecu- „ tus esset, adiungeretur usus frequens, qui „ omnium magistrorum praecepta superaret". Erant autem, (ut vidimus), „ huic studio maxi- „ ma — exposita praemia, vel ad gratiam, vel „ ad opes, vel ad dignitatem (1)".

Hac antiqui Oratoris forma, et cum universa Rep. coniunctione, explicata, iam ad Ciceronem Oratorem nos convertamus. In Cicerone autem omnia ea simul apparent, quae summum Oratorem possunt praeparare, instruere deinde, et ornare, cumulare denique atque perficere; ita ut cum Francio (2) dicendum sit, ad hunc Oratorem formandum conspirasse velut videri naturam ac doctrinam.

Stirpe oriundus fuit Tullius antiquissima et perillustri (3); at maiores ipse (4) coram po-

pu-

(1) *de Orat.* I. 4.

(2) *in Orat.* laud. p. 160.

(3) *de Legib.* II. 1.

(4) *de lege Agrar. contra Rullum Orat.* II. c. 1.

pulo fatetur, laude populari et honorum luce caruisse (1). Patre usus estimprimis docto et literarum amante (2), quique id praesertim videtur egisse, ut cui ipse se imparem sentiebat, filios omnibus praeclaris rebus, laudis et honorum cupiditate incenderet (3). Itaque cum consobrinis suis Aculeonis filiis, et ea discebant, quae L. Crasso placebant, et ab his doctoribus, quibus ille utebatur, erudiebantur (4).

Annos natum quinque, a prima iam pueritia incen-

(1) „ Fit autem interdum, ut nonnulli, omissa „ imitatione maiorum, suum quoddam institutum con- „ sequantur: maximeque in eo plerumque elaborant „ ii, qui magna sibi proponunt, obscuris orti maio- „ ribus": (*de Off.* I. 32.) quo nihil melius in ipsum Ciceronem convenit. Nam et hoc non parum contulit ad eius laudis et gloriae cupiditatem, quod quasi conditor nobilitatis familiae suae haberetur. Igitur cum primum remp. attingeret, „ fertur iuveniliter „ elato animo dixisse, enisurum se, ut illustrius Ci- „ ceronis nomen Scauris et Catulis effici- „ at". (Plutarch. *in Vit. Cic.* c. 1.).

(2) quem, qua erat infirma valetudine, aetatem egisse in literis tradit filius, *de Legibus* II. 1.

(3) Vid. *de Orat.* II. 1.

(4) *de Orat.* l. c.

censum studio dicendi (1), puerum pater Romam perduxit, optimisque magistris et praestantissimis instituendum tradidit. Quo tempore praeceptore imprimis usus est Archia, a quo omnium bonarum literarum et artium amore afficiebatur; studio et scientia imbuebatur: „ quoad, inquit (2), lon-„ gissime potest mens mea respicere spatium „ praeteriti temporis, et pueritiae memoriam „ recordari ultimam, inde usque repetens, hunc „ video mihi principem et ad suscipiendam, et „ ad ingrediendam rationem horum studiorum „ extitisse": ex quibus (3) „ haec quoque cen-„ setur oratio et facultas: quae quantacunque „ in me, nunquam amicorum periculis defuit: „ quae si cui levior videatur; illa quidem cer-„ te, quae summa sunt, ex quo fonte hauri-„ am, sentio".

Praeter hanc optimarum artium institutionem, „ a primo tempore aetatis (4) iuri studere te „ memini — neque unquam mihi visus es, ita „ te ad dicendum dedisse, ut ius civile contem-„ neres": cui Cicero assentitur, fratri, ut se ad respondendum de iure daret, respondens

(1) ut ipse prodidit *de Orat.* l. c.
(2) *pro Archia* c. 1.
(3) ibid. c. 6.
(4) verba sunt Attici ad Ciceronem *de Legib.* I. 4.

dens (1), id quidem „ nullum esse in experi-
„ undo periculum". Studii iuris civilis exemplum habemus in *Epist. ad Fam.* VII 22: ita ut aliquando per iocum Serv. Sulpicio minitaretur, si stomachum ipsi moverint Iurisconsulti, triduo se Iurisconsultum se professurum esse (2). Quinctilianus (3), M. Tullius, inquit, „ non „ modo inter agendum nunquam est destitutus „ scientia iuris, sed etiam componere aliqua de „ eo coeperat: ut appareat, posse Oratorem „ non discendo tantum iuri vacare, sed etiam „ docendo". Orationes denique quam egregium et consummatum Iurisconsultum ubique ostendunt (4)! Quomodo, et a quibus praeceptoribus, iuris disciplinam acceperit, cum satis sit notum, enarrare non opus est (5).

Dicendi suum studium acerrimum exponit *in Brut* c. 89 et seqq. Oratores in foro quotidie audivit; et domi ab exercitationibus Oratoriis nullus

(1) *de Legg.* l. c.

(2) *pro Muraen.* c. 13.

(3) *I. O.* XII. 3.

(4) Conf. Bachius *Hist. Iurispr. Rom.* L. II. c. II. Sect. IV. §. 43. et quae ibi notantur p. 258 seqq. edit. VI. cura A. C. Stockmanni Lips. 1806.

(5) Vid. *de Amic.* c. 1. *in Brut.* c. 89. Plutarch. *Vit. Cic.* c. 3.

lus dies vacuus erat: optimis magistris operam dedit tum imprimis Moloni. Roma dein profectus, Athenas et per Asiam iter faciens, cum summis semper dicendi magistris et Oratoribus se exercuit: quibus nondum contentus, Moloni perficiendum se Rhodi tradidit: reversus non destitit omni genere exercitationis, tum stilo imprimis, et declamitando, facultatem dicendi perpetuo augere: ita ut testetur (1), neminem se diutius causas declamitasse: quin et in praetura scholam Rhetoris frequentavit (2). Latius et fusius de his omnibus ipse Tullius disseruit *in Brut.* l. l. Sed videamus, quomodo ceteras Oratoris partes excoluerit.

„ Eloquentiae, censuit esse Cicero (3), si-„ cut reliquarum rerum, fundamentum sapienti-„ am": seu universe (4) philosophiam „ artium „ omnium laudatarum procreatricem quamdam „ et quasi parentem: matrem (5) omnium be-„ ne factorum beneque dictorum": itque fatetur Catoni (6), philosophia „ nec mihi ca-„ rior

(1) *Tuscul. Quaest.* I. 4.

(2) Vid. Suet. *de ill. Gramm.* c. 7. *de clar. Rhet.* c. 1. Macrob. *Saturn.* III. 5.

(3) *Orat.* c. 21.

(4) *de Orat.* I. 3.

(5) *in Brut.* c 93.

(6) *ad Fam.* XV. 4.

„ rior ulla unquam res in vita fuit, nec homi-
„ num generi maius a Diis munus ullum est da-
„ tum. Haec — mihi tecum communis est,
„ societas studiorum atque artium nostrarum,
„ quibus a pueritia dediti ac devincti, soli pro-
„ pemodum nos philosophiam illam veram et
„ antiquam, quae quibusdam otii esse ac desi-
„ diae videtur, in forum atque in remp. atque
„ in ipsam aciem pene deduximus". Nec iniuria, sed summo iure tantam Oratoris et eloquentiae immutationem, et quasi novam plane formam, sibi tamquam auctori tribuit. Cicero enim sibi vindicavit, et velut rebus repetitis in corpus eloquentiae adduxit (1), quodcunque latissimae Oratoris speciei detractum ab aliarum disciplinarum doctoribus sibi videbatur: nec spem fefellit Antonii (2), aliquem exstiturum aliquando, qui merito *eloquens* dici posset, cum eius nomen in ipsius *eloquentiae* nomen, iudice Quinctiliano (3), abiisse videretur. Primus omnium Romanorum in rep. Romana imaginem ostendit perfecti Oratoris, i.e. moderatoris totius reip., auctoris publici consilii, iuris periti, literarum, antiquitatis, legum, historiae, philosophiae

(1) Conf. Quinctil. XII. 2. p. 682.
(2) *de Orat.* I. 21.
(3) *I. O.* X. 1.

phiae cognitione imbuti: „ neque se tanta in „ eo unquam sudisset ubertas, si ingenium suum „ consepto fori, non ipsius rerum naturae fini- „ bus terminasset" (1) Quid autem Oratori, opera sua, accesserit, non obscure ipse significavit: loquens (2) de Servilia lege, quam Crassus suasit, „ his Coss., inquit, eam legem suasit, quibus nati sumus, cum ipse (Crassus) „ esset Q. Caepione natus, et C. Laelio, tri- „ ennio ipse minor, quam Antonius; quod id- „ circo posui, ut dicendi latine prima maturi- „ tas, in qua aetate extitisset, posset notari; „ et intelligeretur, iam ad summam pene esse „ perductam, ut eo nihil ferme quisquam ad- „ dere posset, nisi qui a philosophia, a iure „ civili, ab historia fuisset instructior. Erit, „ inquit M. Brutus, aut iam est iste, quem ex- „ spectas? nescio, inquam". Quibus verbis Cicero nobis videtur manifesto ad se ipsum alludere, postquam mentionem sui oblique iam iniecerat, memorando Crassum sibi 34 annos aetate praestare, legemque Serviliam suasisse eodem illo anno, quo ipse natus fuerit. Igitur ingenue profitetur (3), se boni aliquid attulisse iu-

(1) ex iudicio Quinct. *I. O.* XII. 2.
(2) *in Brut.* c. 44.
(3) ibid. c. 32.

iuventuti, „ magnificentius, quam fuerat, ge-„ nus dicendi, et ornatius": seque (1) propter exquisitius, et minime vulgare orationis genus, animos hominum ad se, dicendi *novitate*, convertisse; quae novitas, quanam in re posita fuerit, declarat quasi ex contrario et per ἀντίθεσιν seqq. (2): „ nihil de me dicam; dicam de ce-„ teris, quorum nemo erat, qui videretur ex-„ quisitius, quam vulgus hominum, studuisse li-„ teris, *quibus fons perfectae eloquentiae conti-„ netur:* nemo, qui philosophiam complexus „ esset, matrem omnium bene factorum, bene-„ que dictorum: nemo, qui ius civile didicis-„ set, rem ad privatas causas, et ad Oratoris „ prudentiam maxime necessariam: nemo, qui „ memoriam rerum Romanarum teneret; ex „ qua, si quando opus esset, ab inferis locu-„ pletissimos testes excitaret: nemo, qui bre-„ viter arguteque, incluso adversario, laxaret iu-„ dicum animos, atque ab severitate paulisper „ ad hilaritatem risumque traduceret: nemo, „ qui dilatare posset, atque a propria ac defi-„ nita disputatione hominis ac temporis, ad „ communem quaestionem universi generis ora-„ tio-

(1) l. l. c. 93.
(2) l. c.

„ tionem traduceret (1); nemo, qui delectan-
„ di gratia, digredi parumper a cauſa: nemo,
„ qui ad iracundiam magnopere iudicem, ne-
„ mo, qui ad fletum poſſet adducere: nemo,
„ qui animum eius, (quod unum est Oratoris
„ maxime proprium) quocunque res postularet,
„ impelleret. Atque (2) haud ſcio, an plerique
„ nostrorum oratorum ingenio plus valuerint,
„ quam doctrina: itaque illi dicere melius, quam
„ praecipere, nos contra fortaſſe poſſumus".

Sic igitur Tullius, quem (3) „ a prima ae-
„ tate omnis ars et doctrina liberalis, et maxi-
„ me philoſophia delectavit", puerilibus ſtudiis relictis, praeceptoribus doctis et quidem Graecis uſus, philoſophiae operam navavit (4), quod ſtudium (5) „ ſibi nunquam intermiſſum,

„ a

(1) „ Orator enim, non ille vulgaris, ſed hic ex-
„ cellens, a propriis perſonis et temporibus ſemper,
„ ſi potest, avocat controverſiam, (latius enim de ge-
„ nere, quam de parte diſceptare licet) ut, quod in
„ univerſo ſit probatum, id in parte ſit, probari ne-
„ ceſſe". *Orat.* c. 14. conf. c. 36.

(2) *Orat.* c. 42.

(3) affirmante ipſo ad Serv. Sulpicium epistola, *ad Fam.* IV. 3.

(4) auctore Plutarcho *in Vit. Cic.* c. 2.

(5) ipſum denuo audiamus de ſe referentem *in Brut.* c. 91.

„ a primaque adolescentia cultum et ſemper „ auctum", cum Oratore coniunctisſimum ſemper existimavit (1).

Profitetur enim (2), ſe non „ mediocrem a „ primo tempore aetatis in eo ſtudio operam „ curamque conſumſisſe, et cum minime videretur, tum maxime ſe philoſophatum esſe. „ Quod et orationes declarant, refertae philo- „ ſophorum ſententiis, et doctisſimorum homi- „ num familiaritates, quibus ſemper eius domus „ floruit: et principes illi, Diodotus, Philo, „ Antiochus, Poſidonius, quibus inſtitutus erat. „ Et ſi omnia philoſophiae praecepta referun- „ tur ad vitam, et publicis et privatis in rebus „ ea praeſtitit, quae ratio et doctrina praeſcrip- „ ſerat".

Haec, quae brevi omne philoſophiae ſtudium Ciceronis complectuntur, paulo copioſius explicemus.

Puer iam praeceptorem nactus est Phaedrum, Epicureum (3): adolescens (4), „ cum prin- „ ceps Academiae Philo, cum Athenienſium „ op-

(1) Vid. praeter ea, quae diximus, *Orat.* c. 4. 21. 33. 34.

(2) *de Nat. D.* I. 3.

(3) *ad Fam.* XIII. 1.

(4) Ipſius verba adſcribimus ex *Brut.* c. 89.

„ optimatibus Mithridatico bello domo profu-
„ gisset, Romamque venisset, totum ei me
„ tradidi, admirabili quodam ad philosophiam
„ studio concitatus; deinde" triennium fere
Urbs fuit sine armis, „ Hortensio primas in
„ foro agente: at vero ego (1) hoc tempore
„ omni noctes et dies in omnium doctrinarum
„ meditatione versabar. Eram cum Stoïco Dio-
„ doto: qui cum habitavisset apud me mecum-
„ que vixisset, nuper est domi meae mortuus,
„ a quo cum in aliis rebus, tum studiosissime in
„ Dialectica exercebar; quae quasi contracta et
„ adstricta eloquentia putanda est (2). At cum
„ iam (3) essem biennium versatus in causis,
„ et iam in foro celebratum meum nomen es-
„ set, Roma sum profectus. Cum venissem
„ Athenas, sex menses cum Antiocho, veteris
„ Academiae nobilissimo et prudentissimo phi-
„ losopho, fui; studiumque philosophiae, nun-
„ quam intermissum, a primaque adolescentia
„ cultum et semper auctum, hoc rursus summo
„ auctore et doctore renovavi" (4). Athenis
inde profectus, et itinere per Asiam facto,
Rho-

(1) *in Brut.* c. 90.

(2) Conf. l. c. c. 41.

(3) l. l. c. 91.

(4) Conf. Plutarch. *in Cic.* c. 4.

Rhodum adiit, ibique operam dedit Posidonio, nobilissimo scholae Stoicae philosopho (1), quocum (2) 17 fere annis post, epistolarum adhuc commercium egit. In ipso adeo turbulento consulatu (3), consilia communicavit cum P. Nigidio, Philosopho Pythagorico, *quo plurimum utebatur in publicis negotiis* (4).

Cicero vero, cum Philosophiam praesertim sibi addiscendam putasset in usum Oratoris, illa philosophorum genera amplexus est, unde plurima utilitas cum universe in rationem illam civilem, et vitam publicam, tum in ipsam eloquentiam redundaret. Ad utrumque autem omnium plurimum conferebat philosophia *Peripatetica:* posteriori imprimis parti egregie proderat disciplina *Academica.*

Ex his breviter expositis clarius perspicietur coniunctio philosophiae cum eloquentia in Cicerone; atque adeo tota viri civilis ratio.

„ Dico (5) a veteribus Peripateticis, Acade-
„ mi-

(1) Conf. Plutarch. l. l.

(2) uti patet ex Epist. *ad Att.* II. 1.

(3) teste Plutarch. l. c. c. 20.

(4) Plutarch. ibidem. conf. Gell. XV. 11. X. 11. Macrob. *Saturn.* VI. 8. Cic. *de univ.* c. 1. et omnino Epist. *ad Fam.* IV. 13.

(5) *de Finib.* IV. 2.

„ micisque, qui re consentientes, vocabulis
„ differebant, eum locum, quem *civilem* recte
„ appellaturi videmur, graece *πολιτικὸν*, gravi-
„ ter et copiose esse tractatum. Quam multa
„ illi de rep. scripserunt? quam multa de legi-
„ bus? ex quorum (1) scriptis et institutis,
„ cum omnis doctrina liberalis, omnis historia,
„ omnis sermo elegans sumi potest; tum varie-
„ tas est tanta artium, ut nemo sine eo instru-
„ mento ad ullam rem illustriorem satis orna-
„ tus possit accedere: ab his Oratores, ab his
„ imperatores, et rerum publicarum principes
„ extiterunt". — „ Tertia (2) enim pars bene
„ vivendi — est ab iisdem non solum ad pri-
„ vatae vitae rationem, sed etiam ad rerum pu-
„ blicarum rectionem relata. Omnium fere
„ civitatum, non Graeciae solum, sed etiam
„ barbariae, ab Aristotele mores, instituta,
„ disciplinas; ab Theophrasto leges etiam cog-
„ novimus: cumque uterque eorum docuisset,
„ qualem in Rep. principem esse conveniret,
„ pluribus praeterea cum scripsisset, qui esset
„ optimus Reip. status: hoc amplius Theophras-
„ tus, quae essent in Rep. inclinationes rerum
„ et momenta temporum, in quibus esset mo-
„ de-

(1) *de Finib.* V. 3.
(2) ibid. c. 4.

„ derandum, utcunque res postularet". Fingit igitur Cicero contra Catonem Stoïcum disputans, veteres illos Platonicos, si reviviscant, cum Catone ita locuturos (1): quaenam ratio fuit, cur Stoïcos nobis anteferres; „ praesertim cum in Rep. princeps esse velles, ad „ eamque tuendam cum summa tua dignitate „ maxime a nobis ornari atque instrui possis? „ Nobis enim ista quaesita, a nobis descripta, „ notata, praecepta sunt: omnium rerum pu„ blicarum rectiones, genera, status, mutatio„ nes, leges etiam, et instituta ac mores civita„ tum perscripsimus. Eloquentiae vero, quae et „ principibus maximo ornamento est, et qua te „ audivimus valere plurimum, quantum tibi ex „ monumentis nostris addidisses?" (2).

Sed praeterea veterum Academicorum et Peripateticorum disciplina ad ipsum dicendi usum erat aptissima, atque inde eloquentia plurima mutuabatur adiumenta.

Cum enim „ in dicendo vitium vel maximum „ sit,

(1) l. c. IV. 22.

(2) Conf. *de Orat.* I. 10. Quot autem et quanta sapientia civilis debeat *Platoni*, quis est, qui ignoret? conf. imprimis egregia Diss. I. L. G. de Geer, *diatrib. in politices Platon. principia*, Ultrai. 1810.

„ ſit, a vulgari genere orationis, atque a con-
„ ſuetudine communis ſenſus abhorrere" (1);
maxime ea ratio cum eloquentia conſentitur,
„ quae peperit dicendi copiam, et in qua dicun-
„ tur ea, quae non multum discrepant ab opi-
„ nione vulgari" (2).

Mihi, inquit Cicero (3), „ ſemper Peripa-
„ teticorum Academiaeque conſuetudo, de om-
„ nibus rebus in contrarias partes disſerendi,
„ non ob eam cauſam ſolum placuit, quod ali-
„ ter non posſet, quid in quaque re veriſimile
„ esſet, inveniri, ſed etiam, quod esſet ea
„ maxima dicendi exercitatio. Quam (4) mul-
„ ta enim non ſolum praecepta in artibus, ſed
„ etiam exempla in orationibus bene dicendi
„ reliquerunt (5). Primum enim ipſa illa,
„ quae

(1) *de Orat.* I. 3.

(2) *Paradox.* proöem.

(3) *Tuscul. Quaest.* II. 3.

(4) *de Finib.* IV. 2.

(5) „ Quis enim uberior in dicendo Platone?
„ Iovem aiunt Philoſophi, ſi Graece loquatur, ſic
„ loqui? Quis Aristotele nervoſior? Theo-
„ phrasto dulcior? Lectitavisſe Platonem ſtu-
„ dioſe, audivisſe etiam Demosthenes dicitur;
„ idque apparet ex genere et granditate verborum".
„ (*Brut.* c. 31. conf. *Orator* c. 4.) Plato enim
„ non

„ quae subtiliter disserenda erant, polite apte-
„ que dixerunt, cum definientes tum partien-
„ tes" (1): porro in arte inveniendi, „ e qui-
„ bus locis, quasi thesauris, argumenta de-
„ promerentur, — artificio et via tradiderunt,
„ quae quidem res efficit, ne necesse sit, iis-
„ dem de rebus semper quasi dictata decantare,
„ neque a commentariolis suis discedere. Nam
„ qui sciet, ubi quidque positum sit, quaque eo
„ veniat, is, etiamsi quid obrutum erit, po-
„ terit eruere, semperque esse in disputando su-
„ us". Quod Crasso (2) occasionem praebet querendi, facultatem in utramque partem disputandi (3), quae propria sit Oratorum, ad se traxisse Academicos et Peripateticos Philosophos, qui adeo dividant omnem civilem orationem, in

ho-

„ non intelligendi solum, sed etiam dicendi gravissimus „ auctor et magister". (*Orat.* c. 3).

(1) Testatur igitur Cic. *de Invent.* I. 23. se partitionum praecepta ex philosophia hausisse: et (*de part. Orat.* c. 40.) eas e media Academia sua floruisse; neque sine ea aut inveniri, aut intelligi, aut tractari posse.

(2) *de Orat.* III. 27.

(3) Conf. *de Orat.* I. 34. 62. III. 21. *Tusc. Quaest.* II. 3. Aristot. *Rhet.* I. 1. ob quam inventam, ut tradit Plutarch. *in Alexandro*, Aristoteles apud Alexandrum aliquando male audiit.

horum alterutrum genus, aut definitae controversiae certis temporibus ac reis, aut infinite de universo genere quaerentis: atque cetera eiusdem generis tractent (1). Sed maiore etiam affinitate Philo Academiam cum Oratore coniunxit: „ nunc enim (2) apud „ Philonem, quem in Academia maxime vige„ re audio, etiam harum (nimirum alterius illius generis, quod est temporibus, locis, reis, definitum) „ iam caufarum cognitio exer„ citatioque celebratur" (3). Igitur Cotta post Crasfi disputationem de iis, quae ad Oratorem pertinere cenferet, fcilicet, omnem rerum fcientiam; „ me quidem," inquit (4) „ in „ Academiam totum compulisti: — et pro„ fecto nunquam conquiescam, neque defati„ gabor ante, quam illorum ancipites vias ra„ tionesque, et pro omnibus, et contra omnia „ disputandi, percepero". Cicero autem expertus, „ fateor, ait (5), me Oratorem, fi „ mo-

(1) quae recenfet III. 38. conf. *de Finib.* IV. 2. 3.

(2) ita Crasfus *de Orat.* l. c. c. 28.

(3) Conf. porro de meritis Aristotelis, eiusque fuccesforum, circa dicendi ornatum et praecepta, loca laudata in Cap. I. § 4.

(4) *de Orat.* III. 36.

(5) *Orat.* c. 3.

„ modo ſim, aut etiam quicunque ſim, non ex
„ Rhetorum officinis, ſed ex Academiae ſpatiis
„ extitisſe. Illa enim ſunt curricula multipli-
„ cium, variorumque ſermonum, in quibus
„ Platonis primum impresſa ſunt veſtigia; ſed
„ et huius et aliorum philoſophorum disputa-
„ tionibus et exagitatus maxime Orator est et
„ adiutus. Omnis enim ubertas, et quaſi ſilva
„ dicendi, ducta ab illis est": et (1) „ cum
„ hoc genere philoſophiae, quod nos ſequimur,
„ magnam habet Orator ſocietatem: ſubtilita-
„ tem enim ab Academia mutuatur, et ei vi-
„ cisſim reddit ubertatem orationis, et orna-
„ menta dicendi".

Apparet igitur, Ciceronem ex uberrimis Philoſophiae Academicae et Peripateticae fontibus hauſisſe praecepta reip. ſapienter tractandae: ſeque ad eamdem philoſophiam contulisſe, unde dicendi facultatem augeret, inſtrueret, atque ornaret: quod utrumque egregie faciebat ad magnitudinem illius viri civilis, cuius cogitationem animo fuerat complexus, condendam et perficiendam. Quo facto totum ſe accommodavit ad ſententiam Crasſi, praecipientis (2): „ ſi illam praeclaram
„ et eximiam ſpeciem Oratoris perfecti et pul-
„ chri-

(1) *de Fato.* c. 2.
(2) *de Orat.* III. 19.

„ chritudinem adamastis; aut vobis haec Car-
„ neadia, aut illa Aristotelia vis comprehen-
„ denda est". Et confirmavit eadem ratione, instituto suo, et exemplo (1), eiusdem Crassi iudicium (2), inter ceteras Philosophorum familias, non coniunctas satis Oratori, aut accommodatas inveniri.

Cumulare hanc Oratoris Ciceronis descriptionem liceat, et contractam includere verbis Auctoris Dial. de Orat. (3). „ Refert Cicero, se
„ apud Q. Mucium ius civile didicisse, apud
„ Philonem Academicum, apud Diodotum Stoï-
„ cum, omnes philosophiae partes penitus hau-
„ sisse: neque his doctoribus contentum, quo-
„ rum ei copia in Urbe contigerat, Achaiam
„ quoque et Asiam peragrasse, ut omnem om-
„ nium artium varietatem complecteretur. Ita-
„ que hercule in libris Ciceronis deprehendere
„ licet, non Geometriae, non Musicae, non
„ Grammaticae, non denique ullius ingenuae
„ artis scientiam ei defuisse. Ille Dialecticae
„ subtilitatem, ille moralis partis utilitatem,
„ ille rerum motus, causasque cognovit. Ita
„ enim est, — ita, ex multa eruditione, ex
„ plu-

(1) quod verbis fecit *de Finib.* IV. 9.
(2) *de Orat.* III. 16–20.
(3) c. 30.

„ pluribus artibus, et omnium rerum ſcientia, „ exundat et exuberat illa admirabilis eloquen„ tia" (1).

Expoſita igitur Oratoris perſona, quam Cicero primum cogitatione, dein doctrina et uſu asſecutus est, minus ad nos pertinere videtur, ut ostendamus, quomodo in ipſa Rep. hanc perſonam tuitus fuerit. Haec enim, cum a conſilio et ſcriptionis terminis nimis longe nos abducerent, tum aliunde nota, explicatione non indigent: denique ea continerent, quae fuerunt Ciceroni cum ceteris, qui ſummos in rep. honores gesſerunt, communia, ac non diverſa, niſi pro diverſa a ceteris Ciceronis indole, inſtitutione, doctrina et conſilio, quae ex dictis ſatis intelliguntur.

At vero illud est huius inſtitutae ſcriptionis ac temporis, obſervare, quam praeclare conveniat haec Ciceroniana imago cum Crasſiani Oratoris ſpecie: ita ut haec non magis ex ſummi et perfecti Oratoris idea, quam ex Ciceronis exemplo informata et expresſa esſe videatur. Qui conſenſus ita patet, et in omnium oculos in-

(1) „ Dum fatetur C i c e r o (*de Off.* I. 44.), „ nos „ quicquid ad remp. attulimus, (ſi modo aliquid at„ tulimus), a doctoribus, atque a doctrina inſtructi „ ad eam, et ornati accesſimus".

incurrit, ut indicare non sit necesse; sed persuadere nobis certo certius videatur, Crassum in Libris *de Orat.* inductum esse, qui disputaret ex sententia Ciceronis, quandoquidem Tullius suum iudicium, cum Crassi auctoritate coniunctum, nullo alio melius argumento, quam suo ipse exemplo, confirmare potuit.

CAPUT TERTIUM.

CICERONIS DE PERFECTO ORATORE SENTENTIA.



Vidimus, quae ex perſona Craſſi de perfecto Oratore diſſeruntur, continere ipſam Ciceronis ſententiam. Eam igitur iam Craſſi verbis exponere poterimus. Cum vero ex Cap. II. ſuperſit ea confirmationis pars, quae ducitur ex iis locis, ubi ex ſua ipſius perſona diſputans Tullius, ſententiam, quae Craſſi dicitur eſſe, ſuam facit, quemque tertium fontem eſſe diximus efficiendae Ciceronis ſententiae, eam partem Craſſi ſermoni paſſim inſeremus.

Distinguitur autem materia Eloquentiae et forma, ſive inſtrumentum: ut cognovimus, cardo diſputationis de ſummo Oratore proprie verti-

titur in controversia de parte priori: de qua igitur Ciceronis sententia constituenda est: si quae vero partes aut quaestiones cum parte etiam posteriori coniunctae, et in Libris de Oratore tractatae, maiore aliqua illustratione indigeant, de iis ultimo loco dicamus.

Considerandum itaque erit loco primo, quasnam rationes ex historia et antiquitatis memoria Crassus hauriat, ex quibus suam de Oratore sententiam efficiat et tueatur.

Duplex enim in hac re valet argumentationis genus: unum, ductum ex ipsa Eloquentiae natura, et communi artium atque doctrinarum nexu, unde divelli fere non possunt: alterum derivatum, ut ita dicam, ab experientia, sive ab ipsorum Oratorum historia, origine, forma, antiquiori et recentiori, progressibus; ex quibus quali quantoque apparatu instructi fuerint Oratores, et esse potuerint, constet.

Eloquentiae (1) „ vis — scientiam complexa
„ rerum, sensa mentis et consilia sic verbis ex-
„ plicat, ut eos, qui audiant, quocunque in-
„ cubuerit, possit impellere: quae, quo maior
„ est vis, hoc est magis probitate iungenda,
„ summaque prudentia: hanc (2), inquam, co-
„ gi-

(1) verba sunt Crassi *de Orat.* III. 14.
(2) *de Orat.* l. c. c. 15.

„ gitandi pronuntiandique rationem, vimque
„ dicendi, veteres Graeci *ſapientiam* nomina-
„ bant".

Itaque (1) „ ſeptem fuisſe dicuntur uno
„ tempore, qui *Sapientes* et haberentur, et vo-
„ carentur. Hi omnes, praeter Mileſium Tha-
„ len, civitatibus ſuis praefuerunt". Antiqui
autem (2) πασὰν τεχνὴν σοφίαν ἔλεγον: unde
etiam σοφιςὴς univerſe invaluit pro ſapiente (3).
Ab hac vero, quam antiqui vocabant, *ſapien-
tia* (4), „ illi Lycurgi, hinc Pittaci, hinc So-
„ lones, atque ab hac ſimilitudine Coruncanii
„ noſtri, Fabricii, Catones, Scipiones fue-
„ runt, non tam fortasſe docti, ſed impetu
„ mentis ſimili et voluntate". Quibus verbis
cum Crasſus antiquam ſapientium civilium for-
mam, tum ex historia Graecorum, tum ex Rep.
Romana, in rem ſuam trahat, eumdem ordinem
ſecuti, ſententiam eius perſequamur.

„ Ve-

(1) ibid. c. 34.

(2) ut H e ſ y c h i u s ait.

(3) quo priore nomine primum dictum esſe S o l o-
n e m, probat V o s ſ i u s *de Nat. Rhet.* c. I. et c. X.
initio. Conf. L. C r e ſ o l l i u s *in Theat. Rhet.* Lib.
I. c. 7.

(4) *de Orat.* III. 15. Conf. quae de *ſapientia* ve-
terum dicta ſunt in c. II. § 1.

„ Vetus (1) quidem illa doctrina, eadem vi-
„ detur et recte faciendi et bene dicendi ma-
„ gistra, neque disiuncti doctores, sed iidem
„ erant vivendi praeceptores, atque dicendi;
„ ut ille apud Homerum Phoenix, qui se a
„ Peleo patre Achilli iuveni comitem esse da-
„ tum dicit ad bellum, ut illum efficeret *Ora-*
„ *torem verborum*, *actoremque rerum*";

μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων (2).

Ab his temporibus si recesseris, perveniemus ad septem sapientes, qui „ omnes (3), prae-
„ ter Milesium Thalen, civitatibus suis praefue-
„ runt. Quis doctior iisdem illis temporibus,
„ aut cuius eloquentia literis instructior fuisse
„ traditur, quam Pisistrati? qui primus Home-
„ ri libros, confusos antea, sic disposuisse di-
„ citur, ut nunc habemus. Non fuit ille qui-
„ dem civibus suis utilis, sed ita eloquentia flo-
„ ruit, ut literis, doctrinaque praestaret (4).
„ Quid Pericles? de cuius dicendi copia sic ac-
„ cepimus, ut, cum contra voluntatem Atheni-
„ en-

(1) ita Crassus *de Orat.* III. 15.

(2) quae sunt ipsa verba Phoenicis apud Homerum, *Iliad.* IX. vs. 443.

(3) inquit Crassus *de Orat.* III. 34.

(4) Conf. *in Brut.* c. 7. 10.

„ ensium loqueretur pro salute patriae, seve„ rius tamen id ipsum, quod ille contra popu„ lares homines diceret, populare omnibus et „ iucundum videretur: cuius in labris veteres „ comici (etiam cum illi maledicerent, quod „ tum Athenis fieri licebat) leporem habitasse „ dixerunt, tantamque in eo vim fuisse, ut in „ eorum mentibus, qui audissent, quasi acule„ os quosdam relinqueret. At hunc non cla„ mator aliquis ad clepsydram latrare docuerat, „ sed ut accepimus, Clazomenius ille Anaxago„ ras, vir summus in maximarum rerum scien„ tia. Itaque hic doctrina, consilio, eloquen„ tia excellens, quadraginta annos praefuit „ Athenis, et urbanis eodem tempore et belli„ cis rebus (1). Quid Critias? quid Alcibia„ des?

(1) Conf. *in Brut.* c. 7. 11. et non abhorrens iudicium Antonii *de Orat.* II. 22. Quod autem *in Brut.* c. 11. dixit Cicero, Periclem primum adhibuisse doctrinam, intelligendum est de eruditione, quam ab Anaxagora discendo perceperat, cum antiquiorum magis fuisset sapientia, ex usu et exercitatione hausta, quam doctrina, dum artes et scientiae nondum fere seorsim excoli et tractari coeptae erant. „ Siquidem etiam in Phaedro Platonis, hoc „ Periclem praestitisse ceteris dicit Oratoribus „ Socrates, quod is Anaxagorae Physici fuerit „ au-

„ des? civitatibus suis quidem non boni, sed „ certe docti atque eloquentes, nonne Socrati- „ cis erant disputationibus eruditi (1)? Quis „ Dionem Syracusium doctrinis omnibus expo- „ livit? non Plato? atque eum idem ille non „ linguae solum, verum etiam animi ac virtutis „ magister, ad liberandam patriam impulit, in- „ struxit, armavit (2). Aliisne igitur artibus „ hunc Dionem instituit Plato, aliis Isocrates „ clarissimum virum Timotheum, Cononis prae- „ stantissimi Imperatoris, filium, summum ip- „ sum Imperatorem, hominemque doctissimum? „ aut aliis Pythagoreus ille Lysis Thebanum „ Epaminondam, haud scio, an summum virum „ unum omnis Graeciae? Aut Xenophon Age- „ silaum? aut Philolaum Archytas Tarentinus? „ aut ipse Pythagoras totam illam veterem Ita- „ liae Graeciam, quae quondam Magna vocita- „ ta est (3)? Equidem non arbitror. Sic enim

„ vi-

„ auditor: a quo censet, eum, cum alia praeclara „ quaedam, et magnifica, didicisset, uberem et foe- „ cundum fuisse, gnarumque, (quod est eloquentiae „ maximum) quibus orationis modis, quaeque ani- „ morum partes pellerentur". (*Orat.* c. 4).

(1) Conf. *in Brut.* c. 7. *de Orat.* II. 22.

(2) Conf. *de Off.* I. 44. Corn. Nep. *in Dione* c. 3. ibique V. V. D. D.

(3) conf. *de Off.* l. c.

„ video, unam quamdam omnium rerum, quae
„ essent homine erudito dignae, atque eo, qui
„ in rep. vellet excellere, fuisse doctrinam;
„ quam qui accepissent, si iidem ingenio ad
„ pronuntiandum valuissent, et se ad dicendum
„ quoque, non repugnante natura, dedissent,
„ eloquentia praestitisse".

Huic egregio loco nihil addi posse videtur, ut ex historia Graeca et antiquitate informetur antiquus vir civilis: praesertim cum iam antea in cap. II hunc Oratorem attigerimus: liceat tamen quaedam in maiorem illustrationem adiicere.

Ut ordine procedamus, quantopere antiquissimis temporibus omnis sapientia cum sapientia civili coniuncta fuerit, patet ex septem, quos Cicero protulit, sapientibus; nec Thales merito excipitur; qui si civitati suae non praefuit, certe principibus, e. g Croeso de rebus civilibus consilii auctor extitit (1). Eadem ratione in sequentibus Philosophis, unice ceterum naturae contemplationi intentis, Pythagora, Democrito, Anaxagora (2), Xenophane, Parmenide, Empedocle, aliis, plures videmus uno alterove modo

(1) Conf. Heeren *Ideën* Th. III. Abth. I. Abschn. XIII. p. 384.

(2) quos nominat Crassus *de Orat.* III. 15.

do cum rebus civilibus connexos: ita v. g. Anaxagoras instituit Periclem, inter viros civiles principem, eique civitatem gubernanti perpetuo affuit: de Empedocle testimonium est Diogenis Laertii (1), eum libertatem Agrigentinorum tuitum fuisse: de Pythagora autem, quis non novit, qualis fuerit in rerum publicarum scientia (2)? Quantaque Platoni, fere divino, debere Demosthenem Cicero putarit, declaravit in Oratore Cap. IV. Brut. c. 31.

Quod attinet ad Solonem, conditionemque scientiae civilis horum temporum, non praetermittendus est insignis locus Plutarchi (3): qui ostendens Anaxagorae auditorem Themistoclem non fuisse, *μᾶλλον*, inquit, *οὖν ἄν τις προσέχοι τοῖς* Μνησιφίλου *τὸν Θεμιστοκλέα τοῦ Φρεα-*

(1) Lib. VIII. p. 607. seqq. Edit. Stephani 1593.

(2) Qualia autem, quantaque de ratione Politica fuerint merita Pythagorae, perspectum habebit, qui legerit Heeren l. l. Abschn. XIV. p. 427. seqq. conf. W. Tr. Krug *Gesch. der Phil. alt. Zeit.* § 36. p. 100. seqq. et quos ibi laudat auctores.

(3) In Themistocle p. 112. D. Edit. Francofurt. 1599.

Φρεαρίου (1) ζηλωτὴν γενέσθαι λέγουσιν, οὔτε ῥήτορος ὄντος, οὔτε τῶν Φυσικῶν κληθέντων Φιλοσόφων, ἀλλὰ τὴν καλουμένην σοφίαν, οὖσαν δὲ δεινότητα πολιτικὴν, καὶ δραςήριον συνέσιν, ἐπιτήδευμα πεποιημένου καὶ διασώζοντος, ὥσπερ αἵρεσιν ἐκ διαδοχῆς ἀπὸ Σόλωνος, ἣν οἱ μετὰ ταῦτα δικανικαῖς μίξαντες τεχναῖς, καὶ μεταγαγόντες ἀπὸ τῶν πράξεων τὴν ἄσκησιν ἐπὶ τοὺς λόγους, σοφιςαὶ προσηγορευθήσαν. τούτῳ μὲν οὖν ἤδη πολιτευόμενος ἐπλησίαζεν. Unde apparet disciplinae civilis instituendae, quasi quamdam familiam et scholam conditam fuisse a Solone, quam velut hereditariam acceperit Mnesiphilus et servarit: ex qua prodiit etiam Themistocles. Heerenius (2) Vir cl. cogitat, de amicorum sodalitio quodam, quibus cum suas de principiis et ratione sapientiae civilis Solon sententias communicaverit: quas rursus a natu maioribus iuniores acceperint traditas, et propagarint.

Egregie porro idem Heerenius (3) tria tempora distinguit; primum, in quo dux anteponebatur viro civili; cuius exemplum et caput statuit Themistoclem: alterum, in quo duce depres-

(1) ubi legendum videtur τοῖς τὸν Θεμιστοκλέα Μνησιφίλου τοῦ Φρεαρίου etc.

(2) *Ideën* l. c. Abschn. XIV. p. 435, 436.

(3) l. l. Abschn. XIII. p. 387.

presso, vir civilis priorem tenebat locum, sive aetas Periclis: tertium, in quo vir civilis agebat seorsim a duce, quod tertium tempus est Demosthenis. In omnibus illis aetatibus eadem regnat vis politica coniuncta semper cum facultate dicendi, sed diversis rationibus auctoritatem nanciscebatur in Rep. In prima aetate omnis auctoritas viri civilis nitebatur laude militari; neque poterat quis in Rep. cum consilii dignitate versari, nisi rebus in bello gestis inclaruisset; quibus aditu sibi parato, sapientia civili, munita vi dicendi minus adhuc dum exculta, rebus magis et sententiis, quam ornatu verborum insigni, animis civium imperabat: ita *sapientissimum virum* Athenienses agnoscebant Themistoclem (1). Iu aetate altera, civitate magis ad pacem et conditionem suam internam conversa, primas partes occupabat illa δεινότης civilis, philosophiae et doctrinae apparatu magis iam instructa, et dicendi genere grandi quodam et compresso, et crebro sententiis (2), adiuta; cum mallent iam homines sibi verbis persuaderi, quam sapientiae non exornatae auctoritate duci et abripi. „ Pacis enim est comes, „ otiique socia, et iam bene constitutae civita- „ tis

() Conf. Thucyd. I. 138.
(2) Conf. Cic. *in Brut.* c. 7.

„ tis quasi alumna quaedam eloquentia" (1). Huius ex secunda aetate viri civilis effigiem conspicimus Periclem, profectum illum ex disciplina Anaxagorae et elegantiis Aspasiae! Denique in aetate tertia vim civilem videmus utentem illa regina rerum et animorum domina, eloquentia, plena illa et cumulata: quae cum iam multo ante in civitate Atheniensium regnasset, quid efficere posset, iam velle experiri videbatur in Demosthene! Eloquentiae artificiosae et copiosae auxilio satis nunc se scientia civilis tuebatur, neque alio adminiculo egebat ullo, et virum civilem videmus eumdem atque Oratorem, dignissimum qui proprie hoc nomine appelletur: quique exorsus a caussis privatis, defendendo aut accusando in iudiciis, per actiones et caussas publicas cum ipsa reip. administratione coniungebatur (2).

Sequitur ut, duce Crasso, videamus de forma viri civilis ex Historia Romana.

„ Equidem (3) saepe hoc audivi de patre et de
„ socero meo, nostros quoque homines, qui ex-
„ cellere *sapientiae* gloria vellent, omnia, quae
„ qui-

(1) *in Brut.* c. 12.

(2) Caeterum de diverso harum aetatum ingenio vid. omnino Heeren l. c. p. 387. seqq.

(3) inquit Crassus, *de Orat.* III. 33.

„ quidem tum haec civitas posset, solitos esse
„ complecti. Meminerant illi Sex. Aelium, M'
„ vero Manilium nos etiam vidimus transverso
„ ambulantem foro; quod erat insigne eum,
„ qui id faceret, facere civibus omnibus consilii
„ sui copiam: ad quos olim et ita ambulantes,
„ et in solio sedentes domi, sic adibatur, non
„ solum ut de iure civili ad eos, verum etiam
„ de filia collocanda, de fundo emendo, de
„ agro colendo, de omni denique aut officio
„ aut negotio referretur. Haec fuit P. Crassi
„ illius veteris, haec Ti. Coruncanii, haec pro-
„ avi generi mei, Scipionis, prudentissimi ho-
„ minis, *sapientia*, qui omnes Pontifices Ma-
„ ximi fuerunt, ut ad eos de omnibus divinis
„ atque humanis rebus referretur: iidemque et
„ in *Senatu*, et apud *Populum*, et in *causis*
„ amicorum, et domi et militiae, consilium
„ suum fidemque praestabant. Quid enim M.
„ Catoni, praeter hanc politissimam doctrinam
„ transmarinam atque adventitiam defuit? Num
„ quia ius civile didicerat, causas non dicebat?
„ aut quia poterat dicere, iuris scientiam ne-
„ gligebat? At utroque in genere et laboravit
„ et praestitit. Num propter hanc ex privato-
„ rum negotiis collectam gratiam tardior in rep.
„ capessenda fuit? Nemo apud populum forti-
„ or, nemo melior senator: idem facile opti-

„ mus

„ mus imperator, denique nihil in hac civitate
„ temporibus illis sciri, discive potuit, quod
„ ille non cum investigarit et scierit, tum etiam
„ conscripserit" (1). Idem tuetur ipse Cicero (2): „ contendo," ait, „ cum ad naturam
„ eximiam atque illustrem accesserit ratio quaedam, conformatioque doctrinae: tum illud
„ nescio quid praeclarum ac singulare solere
„ existere. Ex hoc esse hunc numero, quem
„ patres nostri viderunt divinum hominem, Africanum: ex hoc C. Laelium, L. Turium,
„ moderatisfimos homines, et continentisfimos:
„ ex hoc fortisfimum virum, et illis temporibus doctisfimum M. Catonem, illum senem,
„ qui profecto, si nihil ad percipiendam colendamque virtutem, literis adiuvarentur, nunquam se ad earum studium contulisfent".

Efficit igitur Cicero ex historia cum Graecorum, tum Romanorum, virum civilem, sive Oratorem, (de cuius forma plura diximus in C. II.) antiquisfimis temporibus fuisse omni doctrina, quae tum erat, instructum, et cum dicendi, tum imprimis sapientiae laude floruisse. Non erant illis temporibus, certe non multi (3), qui

(1) Conf. *de Orat.* I. 37.
(2) pro *Archia* c. 7.
(3) Vid. *de Orat.* III. 15

qui ab agendo remoti, unice in ſcientiis aetatem conſumerent: ſed omnes artes et ſcientiae, ex ſolo fere uſu et experientia rerum hauſtae, non niſi hoc ipſo uſu poterant percipi: et quandoquidem praeterea (ut animadverſum iam antea) omnia ad remp. referebantur, mirari non posſumus, qui illis temporibus celebrantur ſapientes et docti, omnes fuiſſe viros politicos, ſumma dignitate et honoribus claros, qui, quam acquiſiverant, rerum peritiam, non in docto otio atque in literatis recesſibus custodiebant abditam, et conſenescere ſinebant, ſed in ſolem et in pulverem et in ipſam aciem deducentes, ad communem civium utilitatem expromebant.

Hac igitur ratione omnis ſcientia et doctrina, quae una *ſapientia* continebatur, antiquitus ad virum civilem ſive Oratorem pertinuit fere unice: unde poterant queri Cicero et Quinctilianus, depulſos esſe de ſua ditione Oratores, et alios alias eius ditionis partes ſibi iniustisſime vindicasſe: de qua re postea accuratius videbimus.

„ Fuerunt ita haec, ut Cicero apertisſime „ colligit, quemadmodum iuncta natura ſic of„ ficio quoque copulata: ut iidem ſapientes at„ que eloquentes haberentur": ſunt verba Quinctiliani (1), qui alio loco (2), „ Cicero," in-

(1) In Prooem. (2) *I. O.* XII. 2. p. 681.

inquit, „ pluribus libris et epiſtolis testatur, „ dicendi facultatem ex intimis ſapientiae fon- „ tibus fluere: ideoque aliquamdiu praecepto- „ res eosdem fuisſe morum atque dicendi". Quibus Quinctiliani testimoniis ſimul ſententiam Ciceronis habemus confirmatam.

Sed audiamus Crasſum exponentem, quomodo forma Oratoris ab antiqua illa ratione paulatim deflexerit.

„ Quod erant (1) quidam, iique multi, qui „ aut in rep. propter ancipitem, quae non po- „ test esſe ſeiuncta, faciendi, dicendique ſa- „ pientiam florerent, ut Themistocles, ut Peri- „ cles, ut Theramenes, aut qui minus ipſi in „ rep. verſarentur, ſed huius tamen eiusdem „ ſapientiae doctores esſent, ut Gorgias, Thra- „ ſymachus, Iſocrates: inventi ſunt, qui cum „ ipſi doctrina et ingeniis abundarent, a re „ autem civili, atque a negotiis, animi quodam „ iudicio, abhorrerent, hanc dicendi exercita- „ tionem exagitarent atque contemnerent: quo- „ rum princeps Socrates fuit, is, qui omnium „ eruditorum testimonio, totiusque iudicio „ Graeciae, cum prudentia, et acumine, et ve- „ nustate et ſubtilitate, tum vero eloquentia, „ varietate, copia, quam ſe cunque in partem

„ de-

(1) *de Orat.* III. 16.

„ dedisſet, omnium fuit facile princeps. In „ iis, qui haec, quae nos nunc quaerimus, „ tractarent, agerent, docerent, cum nomine „ appellarentur uno, quod omnis rerum opti„ marum cognitio, atque in iis exercitatio, „ philoſophia nominaretur, hoc commune no„ men eripuit. ſapienterque ſentiendi et ornate „ dicendi ſcientiam, re cohaerentes, disputa„ tionibus ſuis ſeparavit (1). Hinc discidium „ il-

(1) Quod autem Cicero h. l. et *in Brut.* c. 8. Iſocratem et Sophistas, qui vocantur, a viris civilibus videtur ſecernere, id non intelligendum est, quaſi hi viri in una dicendi exercitatione et inſtitutione conſenuerint, nihilque ad eos pertinuerit ratio civilis. Iſocrates quidem, cum ipſe ad remp accedere non auderet, ſe non minus ſcientiae civilis, quam dicendi doctorem profesſus est, idque cum testantur eius orationes, tum viri civiles ex eius disciplina profecti. Conf. Heeren *Ideën* l. l. Abſchn. XIII. p. 409. 410. Tum vero Sophistae, Gorgias, Thraſymachus, et quos ceteros nominat Cicero *in Brut.* c. 8, non tantum inſerviebant adolescentibus iis rebus inſtituendis, quae ad virum civilem requirebantur, i. e. dicendi facultate et cogitandi, ſed etiam a civitatibus ſuis ad legationes obeundas, aliasque publicas res gerendas, utpote ſapientes viri adhibebantur, ut e. g. de Gorgia et Prodico tradit Plato *in Hippia mai.* T. III. p. 282. B.

„ illud extitit quasi linguae atque cordis, ab-„ surdum sane, et inutile et reprehendendum, „ ut alii nos sapere, alii dicere docerent". Dein recensitis variis philosophorum familiis ex Socratis multiplici disputatione profectis, pergit (1): „ haec autem, ut ex Apennino flumi-„ num, sic ex communi sapientium iugo, sunt „ doctrinarum facta divortia, ut Philosophi „ tanquam in superum mare Ionium defluerent, „ Graecum quoddam et portuosum: Oratores „ autem in inferum hoc Tuscum et barbarum, „ scopulosum atque infestum laberentur, in quo „ etiam ipse Ulysses errasset". — „ Si igitur ve-„ terem illum Periclem, aut hunc etiam, qui „ familiarior nobis propter scriptorum multitudi-„ nem est, Demosthenem, sequi vultis, et si illam „ praeclaram et eximiam speciem Oratoris perfe-„ cti et pulchritudinem adamastis, aut vobis haec „ Carneadia aut illa Aristotelia vis comprehen-„ denda est. Namque, ut ante dixi, veteres il-„ li

B. C. Recte igitur Cicero *de Orat.* III. 16. et illos et Isocratem *dicendi, faciendique doctores* vocat. Ceterum de ortu, ratione, doctrina Sophistarum, conf. Heeren *Ideën* l. c. Abschn. XIV. p. 438. seqq. de Geer *Diatr.* c. I. Sect. I. p. 3. sqq. et ll. ll. Sect. II. § 4. p. 55. not. 1.

(1) *de Orat.* l. c. c. 19.

„ li usque ad Socratem, omnem omnium re„rum, quae ad mores hominum, quae ad vi„tam, quae ad virtutem, quae ad Remp. per„tinebant, cognitionem et ſcientiam, cum di„cendi ratione iungebant: poſtea disſociati (ut „expoſui) a Socrate diſerti a doctis, et dein„ceps a Socraticis item omnibus, philoſophi „eloquentiam deſpexerunt, Oratores ſapienti„am: neque quidquam ex alterius parte tetige„runt, niſi quod illi ab his, aut ab illis hi mu„tuarentur, ex quo promiscue haurirent, ſi „manere in pristina communione voluisſent. „Sed, ut pontifices veteres, propter ſacrifi„ciorum multitudinem tres viros epulones esſe „voluerunt, cum esſent ipſi a Numa, ut etiam „illud ludorum epulare ſacrificium facerent, „inſtituti: ſic a ſe cauſarum actores et a com„muni philoſophiae nomine ſeparaverunt, cum „veteres dicendo et intelligendi mirificam ſo„cietatem esſe voluisſent".

Rationem, cur Socrates, quem ſophistarum disputationes quaſi genuerunt (1), artem dicendi exagitarit, indicavit Cicero (2) et recte perſpexisſe videtur Quinctilianus (3). „ Ut pri-

„mum,"

(1) de quo vid. Heeren l. l. Abſchn. XIV. p. 444. ſeqq.

(2) *in Brut.* c. 8. (3) in Proöem.

„ mum," inquit, „ lingua eſſe coepit in „ quaestu, inſtitutumque bonis eloquentiae ma„ le uti, curam morum, qui diſerti habeban„ tur, reliquerunt". Sophistae ſcilicet, tempore Socratis, Gorgias, Thraſymachus, alii venalem habere coeperant eloquentiam (1), eamque ad malum quemque uſum convertere. Igitur Socrates hunc dicendi uſum primus oppugnavit (2), et ſibi ſumens ſapientiam, quam illi ab artificio dicendi ſeparaverant et ſecluſerant, dicendi illis magistris (3) omni ratione ſe oppoſuit. Neque enim Gorgias, Prodicus, caeteri, rerum omnium ſcientiam, cum disputandi facultate non coniungebant (4), ſed inſtructo illo dicendi apparatu tam male utebantur, ut mirum non ſit, illam pernicioſam eloquentiam deſpexiſſe Socratem, Platonem adeo ex civitate ſua arcuiſſe (5).

A

(1) quod ipſa arguit *Sophiſtarum* deſcriptio Aristotelis *de Sophiſt. Elench.* c. 1. et Ciceronis *Acad. Q.* II. 23.

(2) *de Orat.* III. 16.

(3) „ quos λογοδαιδάλους appellat in Phaedro Socrates" (*Orat.* c. 12.)

(4) Vid. quae modo diximus, et *de Orat.* III. 32.

(5) Quae est ſententia Quinctiliani *I. O.* II. 15. et Voſſ. *de Nat. Rhet.* c. II. conf. etiam c. III.

et

A Socrate igitur inde, haec ars dicendi sapientiae et philosophiae penetralibus quasi exclusa est, cum antea sine sapientia exercitatio dicendi ne subsisteret quidem, quae avulsio peperit illas calamitates, de quibus queruntur Scaevola (1) et Cicero (2). „ Sic (3) eloquentia haec „ forensis spreta a philosophis et repudiata, mul„ tis quidem illa adiumentis magnisque caruit: „ sed tamen ornata verbis atque sententiis, iacta„ tionem habuit in populo, nec paucorum iu„ dicium, reprehensionemque pertimuit. Ita „ et doctis eloquentia popularis, et disertis, „ elegans doctrina defuit". Philosophiae enim tres partes, doctrina disserendi, cognitio naturae, et pars ea, quae versatur in vita et moribus,

et Fenelon *Gesprekken over de Welsprekenheid*, vertaald door J. M. Schrant p. 59. seqq.

(1) *de Orat.* I. 39.

(2) *de Invent.* I. 3. seqq. Quae inanis verborum volubilitas Sophistis relicta commovit etiam Aristotelem, ut disciplinae dicendi institutionem, et quasi patronatum susciperet, quemadmodum tradit Crassus *de Orat.* III. 35. vid. *de Invent.* II. 2. 3 *Orat.* c. 51. et conf. quae annotavit I. M. Schrant ad Fenelonium l. l. p. 12. not. 5. annotat. p. 8. 9. Aliter rem exponit Diogenes Laert. lib. V. init. p. 301.

(3) Cic. *in Orat.* c. 3.

bus, quam maxime Oratori ſunt neceſſariae.
„ Ad (1) has tot, tantasque res adhibenda
„ ſunt ornamenta innumerabilia, quae ſola tum
„ quidem tradebantur ab iis, qui dicendi nu-
„ merabantur magistri. Quo fit, ut veram il-
„ lam et abſolutam eloquentiam nemo conſe-
„ quatur, quod alia intelligendi, alia dicendi
„ disciplina est: et ab aliis rerum, ab aliis
„ verborum doctrina quaeritur": et „ tam-
„ quam (2) ab animo corpus, ſic a ſententiis
„ verba", divelluntur. Unde eloquentia „ in-
„ firmioribus ingeniis velut praedae fuit" (3).

Hac Oratoris historia magna ex parte innititur ſententia Ciceronis de ſummo Oratore. Ad hanc antiquam formam, quam ex illo deſcripſimus, provocabat, quoties de ditione Oratoris agebatur. Hanc reſpiciens Crasſus ait (4); exercitatio de univerſo genere in utramque partem disſerendi „ nunc propria duarum Philoſo-
„ phiarum, de quibus antea dixi (Peripatecicae et Academicae) „ putatur, apud *antiquos* erat
„ eorum, a quibus omnis de rebus forenſibus
„ dicendi ratio et copia petebatur. De virtute
„ enim

(1) Ibidem c. 5.
(2) *de Orat.* III. 6.
(3) Quinctil. *I. O.* in prooemio.
(4) *de Orat.* III. 27.

„ enim, de dignitate, utilitate, honore, igno-
„ minia, praemio, poena, ſimilibusque de re-
„ bus, in utramque partem dicendi animos, et
„ vim et artem habere debemus. Sed quoniam
„ de nostra posſesſione depulſi, in parvo et eo
„ litigioſo praediolo relicti ſumus, et aliorum
„ patroni, nostra tenere, tuerique non potui-
„ mus: ab iis, quod indignisſimum est, qui
„ in nostrum patrimonium irruperunt, quod
„ opus est, nobis mutuemur. Nostra (1) est
„ enim (ſi modo nos Oratores ſumus, ſi in ci-
„ vium disceptationibus, ſi in periculis, ſi in
„ deliberationibus publicis adhibendi auctores et
„ principes ſumus) nostra est, inquam, omnis
„ ista prudentiae doctrinaeque posſesſio, in
„ quam homines, quaſi caducam atque vacuam,
„ abundantes otio, nobis occupatis, involave-
„ runt: — quae quoniam iam aliunde non pos-
„ ſumus, ſumenda ſunt nobis ab iis ipſis, a
„ quibus expilati ſumus, dummodo illam ad
„ hanc civilem ſcientiam, quo pertinent, et
„ quam intuentur, transferamus". Scilicet illa
rerum omnium doctrina, ex Philoſophis, me-
ditando, non agendo, intentis, longe aliam
formam acquiſiverat, atque habuerat, cum ad-
huc in ditione erat virorum civilium: igitur
trans-

(1) *de Orat.* III. 31.

translata, debet rursus ab Oratore ad illam antiquam formam redigi.

Ceterum hos locos, et praecipue priorem, fere commentatus est Quinctilianus (1): non „ frustra, inquit, „ in tertio de Oratore libro L. Crassus cuncta, quae de aequo, iusto, vero, bono, deque iis, quae sunt contra posita, dicuntur, propria esse Oratoris affirmat: ac philosophos, cum ea dicendi viribus tuentur, uti rhetorum armis, non suis. Idem tamen confitetur, ea iam esse a philosophia petenda, videlicet, quia magis haec illi videtur in possessione earum rerum fuisse. Hinc etiam illud est, quod Cicero pluribus libris et epistolis testatur, dicendi facultatem ex intimis sapientiae fontibus fluere: ideoque aliquamdiu praeceptores eosdem fuisse morum atque dicendi. — Quia igitur deserta ab iis, qui se ad eloquentiam contulerunt, studia sapientiae, non iam in actu suo, atque in hac fori luce versantur, sed in porticus et gymnasia primum, mox in conventus scholarum recesserunt, id, quod est Oratori necessarium, nec a dicendi praeceptoribus traditur, ab iis petere nimirum necesse est, apud quos remansit. Evolvendi penitus auctores, qui „ de

(1) *I. O.* XII. 2. princip.

„ de virtute praecipiunt, ut Oratoris vita cum „ ſcientia divinarum rerum ſit humanarumque „ coniuncta. Quae ipſae, quanto maiores ac „ pulchriores viderentur, ſi illas ii docerent, „ qui etiam eloqui praeſtantisſime posſunt? Uti- „ namque ſit tempus unquam, quo perfectus „ aliquis (qualem optamus) Orator hanc par- „ tem, ſuperbo nomine et vitiis quorumdam bo- „ na eius corrumpentium, inviſam, vindicet „ ſibi, ac velut rebus repetitis, in corpus elo- „ quentiae adducat". — Quem locum cum egregie illustret Ciceronis ſententiam, facere non poteramus, quin adſcriberemus. Eamdem illam Oratorum ſegnitiem in tuendo regno ſuo incuſat idem Quinctilianus (1) his verbis; „ a „ philoſophorum lectione, ut esſent nobis „ multa petenda, vitio factum est Oratorum, „ qui quidem illis optima ſui operis parte ces- „ ſerunt". Idem facit in prooëmio, ubi prae- „ clare hac de re exponitur". Contra, Oratorem inſtituens perfectum, nihil magis cupit, quam ut antiqua illa forma reducatur: „ illum „ enim, inquit (2), „ quem inſtituo, Roma- „ num quemdam velim esſe *ſapientem*, qui non „ ſecretis disputationibus, ſed rerum experimen- „ tis,

(1) *I. O.* X. 1. p. 566. vid. et II. 21. p. 144.
(2) *I. O.* XII. 2. princip.

„ tis, atque operibus, *vere civilem virum* ex-
„ hibeat".

Has igitur rationes ſententiae Ciceronianae et Quinctilianeae qui habuerit perſpectas, non ſtatim, ut mihi videtur, asſentietur Vosſio (2), graviter culpanti Ciceronem et Quinctilianum, quaſi intelligendi et dicendi disciplinas distinguere a ſe invicem non potuerint.

Hoc modo Cicero ſuam de ſummo Oratore ſententiam hauſit ex antiquitatis exemplis, ex quibus, qualis debeat esſe forma Oratoris, appareat: alterum demonſtrandi genus repetiit ab ipſa rei natura, ita ut ex ipſa Oratoris deſcriptione et munere conſtet, quaenam ſummo Oratori tribuenda ſint. Ante omnia igitur conſtituenda est, ex qua velut fonte omnis de Oratore disputatio ducitur (2), *deſcriptio ſummi Oratoris:* nam de *ſummo* Oratore quaeri, necesſe non est ut moneam (3).

Iudice Cicerone (4) „ vis (5) Orato-
„ ris, profesſioque ipſa bene dicendi, hoc
„ fus-

(1) *de Nat. Rhet.* c. II.

(2) Conf. *de Orat.* I. 48.

(3) Vid. *de Orat.* I. 16. 17. 26. 28. 44. 46. III. 20. 22. *Orat.* c. 2. 3. 29.

(4) *de Orat.* I. 26.

(5) „ Quam autem *vim* quaeque res habeat, de-
„ finitio explicat". *de Orat.* III. 29.

„ suscipere ac polliceri videtur, ut *omni de re*, „ quaecunque sit proposita, ab eo ornate, co- „ pioseque dicatur": et per Crassi perso- nam (1): „ *Oratorem* plenum atque perfectum „ esse eum dicit, qui *de omnibus rebus* possit „ varie copioseque dicere"; ex cuius senten- tia (2): „ Orator erit — hoc tam gravi dignus „ nomine, qui, *quaecumque res inciderit*, quae „ sit dictione explicanda, prudenter et composi- „ te, et ornate et memoriter dicat, cum quadam „ etiam actionis dignitate": quae est etiam *elo- quentis* definitio Antonii (3).

Sed ratio huius descriptionis reddenda est: quam indicare liceat verbis Quinctilani (4): an „ dubitabitur, ubicunque vis ingenii et copia „ dicendi postulatur, ibi partes esse Oratoris „ praecipuas?" (5) Scilicet de quacunque re, in quacunque scientia aut arte, quaestio inci- dat, ea certe inventione, dispositione, proba- tione, refutatione, elocutione, adhibitis, expli- can-

(1) *de Orat.* I. 13.

(2) ibid. c. 15.

(3) Vid. *de Orat.* I. 21. conf. c. 49. Eamdem sententiam profitetur Cicero *de Orat.* II. 2. conf. III. 19. 20. 21.

(4) In Prooem.

(5) Conf. Quinctil. l. l. II. 21. p. 144.

canda est: igitur ubicunque res clare et dilucide et ornate exponenda est, ibi certe ſunt partes eius, ad quem illa unice pertinent. Illas igitur partes, quae inter varias artes ac disciplinas disperſae ſunt, ſi quis in unam perſonam colligat, efficitur perfectus Orator, omnium artium orationis minister, qui a nulla ſcientia aut doctrina alienus esſe potest: „ dicendi enim vir-
„ tus, niſi ei, qui dicit, ea, de quibus dicit,
„ percepta ſint, exſtare non potest (1): dice-
„ re (2) namque bene nemo potest, niſi qui
„ prudenter intelligit. Quare, qui eloquentiae
„ verae dat operam, dat prudentiae. Sunt (3)
„ autem aliae quaſi ministrae, comitesque ſa-
„ pientiae: quarum altera, quae ſint in dispu-
„ tatione vera atque falſa, quibusque poſitis
„ quid ſequatur, distinguit et iudicat: quae
„ virtus omnis in ratione, ſcientiaque dispu-
„ tandi ſita est: altera autem Oratoria. *Nihil est*
„ enim *aliud Eloquentia*, *niſi copioſe loquens*
„ *ſapientia:* quae ex eodem hausta genere, quo
„ illa, quae in disputando uberior est, atque
„ latior, et ad motus animorum, vulgique
„ ſenſus accommodatior".

Il-

(1) *de Orat.* I. 11.
(2) *in Brut.* c. 6.
(3) *de Part. Orat.* c. 23.

Illud itaque principium, *Eloquentiam* nihil aliud *esse*, nisi *copiose loquentem sapientiam*, quam firmissime est tenendum: ex qua demum ratio sententiae Ciceronis, Quinctiliani et universe veterum, de Eloquentia, recte poterit intelligi, exponi, atque illustrari.

Neque hoc principium non egregie confirmatur, si ad originem Eloquentiae (1) revertimur: nihil enim aliud est Eloquentia, nisi perfectio illius facultatis, qua una praestamus vel maxime feris (2) „ conciliatricis humanae ma-„ xime societatis (3): quod nimirum colloqui-„ mur inter nos, et quod exprimere dicendo „ sensa possumus" (4). Erit igitur is perfectus Orator, qui optime sensa et cogitationes exprimat, et aliis tradat: quae cum variis sint artibus atque scientiis distinctae et distributae, ad omnem illam artium et doctrinarum multiplicitatem, Oratoris vis se extendere debet: quis enim hoc non ultro intelligit, sine rerum scientia verborum volubilitatem inanem esse et irridendam? quocum convenit illud Horatii (5):

Scri-

(1) de qua praeclare disserentem vid. Ciceronem *de Invent.* I. 1. seqq.

(2) Conf. *de Invent.* I. 4.

(3) *de Legg.* I. 19.

(4) *de Orat.* I. 8.

(5) *de Art. Poët.* vs. 309.

Scribendi recte, ſapere est et principium et fons."

Iure itaque Cicero", mea quidem ſententia, inquit (1), „ nemo poterit esſe omni „ laude cumulatus Orator, niſi erit omnium re„ rum magnarum atque artium ſcientiam conſe„ cutus. Etenim ex rerum cognitione efflo„ reſcat et redundet oportet oratio; quae niſi „ ſubest, res ab Oratore percepta et cognita „ inanem quamdam habet elocutionem et pene „ puerilem (2). Cenſet autem (3) hoc praecipue esſe huius de Oratore inſtitutae ſcriptionis et temporis, „ neminem Eloquentia, non „ modo ſine dicendi doctrina, ſed ne ſi omni „ quidem ſapientia florere unquam et praeſtare „ potuisſe. Etenim ceterae fere artes ſe ipſae „ per ſe tuentur ſingulae; bene dicere autem, „ quod est ſcienter, et perite et ornate dicere, „ non habet definitam aliquam regionem, cuius „ terminis ſepta teneatur: omnia, quaecumque in „ hominum disceptationem cadere posſunt, bene „ ſunt ei dicenda, qui hoc ſe posſe profitetur, „ aut eloquentiae nomen relinquendum est".

Huic de eloquentia magnifice ſentiendi rationi auxiliabatur alia veterum de intimo omni-

um

(1) *de Orat.* I. 6.

(2) Conf. *de Orat.* I. 11. 12. 14.

(3) *de Orat.* II. 1.

um artium et doctrinarum consensu, non nisi ad tantam, quantam in Platone et aliis antiquis suspicimus, animi et divini fere spiritus magnitudinem, adaptata cogitatio (1): de qua exponentem audiamus Crassum: mihi quidem veteres „ illi maius quiddam animo complexi, multo „ plus etiam vidisse videntur, quam quantum „ nostrorum ingeniorum acies intueri potest: „ qui omnia haec, quae supra et subter, unum „ esse, et una vi, atque una consensione natu„ rae constricta esse dixerunt. Nullum est enim „ genus rerum, quod aut avulsum a ceteris per „ se ipsum constare, aut, quo cetera si careant, „ vim suam, atque aeternitatem conservare pos„ sit. Sed si haec maior esse ratio videtur, quam „ ut hominum possit aut sensu, aut cogitatione „ comprehendi: est etiam illa Platonis vera vox, „ omnem doctrinam harum ingenuarum et hu„ manarum artium uno quodam societatis vin„ culo contineri. Ubi enim perspecta vis est „ rationis eius, qua causae rerum atque exitus „ cognoscuntur, mirus quidam omnium quasi „ consensus doctrinarum concentusque reperi„ tur. — Etenim (2) omnes artes, quae ad hu„ ma-

(1) *de Orat.* I II. 5.

(2) Ita Cicero Crassi sententiam confirmans, pro *Archia.* c. 1.

„ manitatem pertinent habent quoddam com-
„ mune vinculum, et quasi cognatione quadam
„ inter se continentur".

Ea ratione veteres dicendi facultatem non distraxerunt a rerum scientia; sed quia Orator in omni re debebat esse eloquens, ideo ei quoque subiiciebant omnium rerum scientiam: hanc enim illam *sapientiam* intelligebant, omnium rerum divinarum atque humanarum doctrinam, cuius et dilucide et graviter et copiose eloquendo tradendae, Oratorem habere facultatem oporteret. „ Nunquam enim negabo (1), esse
„ quasdam artes proprias eorum, qui in his
„ cognoscendis atque tractandis studium suum
„ omne posuerunt: sed Oratorem plenum atque
„ perfectum eum dicam, qui de omnibus rebus
„ possit varie copioseque dicere". Crassi scilicet sive Ciceronis non fuit ratio eiusmodi, ut ullam artem doctrinamve contemneret, sed ut omnes comites ac ministras Oratoris esse diceret (2). „ Ceterarum igitur rerum, „ quae
„ sunt in Oratore, partem aliquam sibi quisque
„ vindicat: dicendi autem, i. e. eloquendi ma-
„ xima vis, soli huic conceditur" (3): qui ita
„ pri-

(1) Ita Crassus *de Orat.* I. 13.

(2) Quemadmodum fatetur Scaevola *de Orat.* I. 17.

(3) Cic. *in Orat.* c. 19.

„ primus sit eius artis antistes, cuius cum ipsa
„ natura magnam homini facultatem daret, tamen
„ esse Deus putabatur, ut et ipsum, quod
„ erat hominis proprium, non partum per nos,
„ sed divinitus ad nos delatum videretur" (1).

Nemo enim hoc detractum velit Eloquentiae, quod unice ei est proprium, „ oratio gra„ vis et ornata, et hominum sensibus ac men„ tibus accommodata (2): nam (3) unum erit
„ profecto, quod id, qui bene dicunt, affe„ rant proprium; compositam orationem et or„ natam et artificio quodam et expositione dis„ tinctam". Perfectum nempe Oratorem
„ hoc (4) uno excellere, i. e. oratione, cete„ ra in eo latere, indicat nomen ipsum. Non
„ enim inventor aut compositor, aut actor haec
„ complexus est omnia, sed et Graece ab elo„ quendo *ῥητὼρ*, et latine *eloquens* dictus est.
„ Quam obrem (5), si ornate locutus est, sicut
„ fertur, et mihi videtur, Physicus ille Demo„ critus, materies illa fuit Physici, de qua di„ xit, ornatus vero ipse verborum, Oratoris
„ pu-

(1) *de Orat.* I. 46.
(2) ibidem c. 12.
(3) l. l.
(4) *Orat.* c. 19.
(5) *de Orat.* I. l. cap. 11.

„ pudandus est. Et si Plato de rebus a civili-
„ bus controversiis remotissimis, divinitus est
„ locutus, quod ego concedo: si item Aristo-
„ teles, si Theophrastus, si Carneades in rebus
„ iis, de quibus disputaverunt, eloquentes et
„ in dicendo suaves, atque ornati fuerunt: sint
„ hae res, de quibus disputant, in aliis qui-
„ busdam studiis: oratio quidem ipsa propria
„ est huius unius rationis, de qua loquimur et
„ quaerimus. Nam (1) si quae est ars alia,
„ quae verborum aut faciendorum, aut diligen-
„ dorum scientiam profiteatur: aut si quisquam
„ dicitur, nisi Orator, formare orationem, eam-
„ que variare et distinguere, quasi quibusdam
„ verborum, sententiarumque insignibus: aut si
„ via ulla, nisi ab hac una arte traditur, aut
„ argumentorum, aut sententiarum, aut deni-
„ que descriptionis atque ordinis: fateamur aut
„ hoc, quod haec ars profiteatur, alienum es-
„ se, aut cum aliqua alia arte esse commu-
„ ne: — quamobrem certius nihil esse potest,
„ quam quod omnes artes aliae sine eloquentia
„ suum munus praestare possunt, Orator sine
„ ea nomen suum obtinere non potest: ut ce-
„ teri si diserti sint, aliquid ab hac habeant:
„ hic

(1) In hac enim re Antonium Crassus habet sibi assentientem *de Orat.* II. 9.

„ hic nisi domesticis se instruxerit copiis, aliun-
„ de dicendi copiam petere non possit (1). —
„ Una (2) est enim, quod et ego hesterna die
„ dixi, et aliquot locis antemeridiano sermone
„ significavit Antonius (3), eloquentia, quas-
„ cunque in oras disputationis regionesve dela-
„ ta est. Nam sive de coeli natura loquitur,
„ sive de terrae, sive de divina vi, sive de hu-
„ mana, seu ex inferiore loco, sive ex aequo,
„ sive ex superiore, sive ut impellat homines,
„ sive ut doceat, sive ut deterreat, sive ut con-
„ citet, sive ut reflectat, sive ut incendat, si-
„ ve ut leniat, sive ad paucos, sive ad mul-
„ tos, sive inter alienos, sive cum suis, sive
„ secum, rivis est deducta oratio, non fonti-
„ bus, et quocunque ingreditur, eodem est in-
„ structu, ornatuque comitata". Igitur „ cete-
„ rarum — rerum, quae sunt in Oratore, par-
„ tem aliquam sibi quisque vindicat, dicendi
„ autem, i. e. eloquendi, maxima vis soli huic
„ conceditur" (4)

At vero si Crassi vel Ciceronis de ditione
elo-

(1) ll. ll. c. 10. 11. et reliqua cap. 9.

(2) verba sunt Crassi *de Orat.* III. 6.

(3) Vid. *de Orat.* II. 15. 16.

(4) confirmante iudicium suum Cicerone *in Orat.* c. 19.

eloquentiae ſententiam recte volumus habere perſpectam et cognitam, res ſimili quodam declaranda est. Igitur cogitatione informandus est campus, amplisſimis et pene inmenſis finibus circumſcriptus; in quo omnes artes atque ſcientiae ſuam ſingulae ditionem posſideant, ſibi tributam et ſuis terminis coërcitam, quaſi materiem: at nulla provincia asſignata est eloquentiae; haec certam ſedem non habet, neque ullis continetur finibus; „ neque enim Ora„ toris vis et facultas ſicut ceterarum rerum, „ angustis et brevibus terminis cluditur" (1); aut habet „ definitam aliquam regionem cuius terminis ſepta teneatur" (2): vagatur per totum campum, cum ei liceat, „ ubicumque „ conſtiterit, conſiſtere in ſuo" (3): nam omnes ſingularum artium ditiones lustrans et inviſens, in quamcunque deferatur, in ea regnat una, hac adveniente artes et ſcientiae omnes obſtupescunt, mirantur, ſuum imperium iam magis proprium adventanti Eloquentiae, quam ſibi antiquis et legitimis posſesſoribus, videri: ſed invitae coguntur palmam et principatum in ſuo ſingulae regno concedere Eloquentiae. Quae adeo

(1) Auct. dial. *de Orat.* c. 30.

(2) iudice Cicerone *de Orat.* II. 2.

(3) *de Orat.* III. 31.

adeo omne omnium artium et doctrinarum patrimonium et imperium ſibi vindicat; et dum provinciae iure ad ſuos quaeque posſesſores et dominos referantur, his tamen ipſis posſesſoribus et dominis, i. e. artibus et ſcientiis, imperat. — Eamdem plane rationem ſequitur Ariſtoteles (1): Ἔϛω δὴ ῥητορικὴ δύναμις περὶ ἕκαϛον τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχομένον πιθανόν. Τοῦτο γὰρ οὐδεμιᾶς ἑτέρας ἐϛι τεχνῆς ἔργον. τῶν γὰρ ἄλλων ἑκάϛη, περὶ τὸ αὑτῇ ὑποκείμενὸν ἐϛὶ διδασκαλικὴ, καὶ πιϛική· οἷον ἰατρικὴ περὶ ὑγιεινὸν καὶ νοσερόν· καὶ γεωμετρία περὶ τὰ συμβεβηκότα πάθη τοῖς μεγέθεσι· καὶ ἀριθμητικὴ περὶ ἀριθμόν· ὁμοίως δὲ καὶ αἱ λοιπαὶ τῶν τεχνῶν καὶ ἐπιϛημῶν. Ἡ δὲ ῥητορικὴ περὶ τοῦ δοθέντος, ὡς εἰπεῖν, δοκεῖ δυνάσθαι θεωρεῖν τὸ πιθανόν. διὸ καὶ φαμὲν αὐτὴν, οὐ περὶ τι γένος ἴδιον ἀφωρισμένον ἔχειν τὸ τεχνικόν. (2).

Ex Oratoris deſcriptione, quam expoſuimus, ultro itaque conſtat, quaenam ipſi ditio tradenda ſit; utente Cicerone ea argumentandi ratione, ut initium ſumatur ab eo, quod omnes ſponte Oratori concedunt, loquendi nimirum graviter et ornate, et copioſe facultate; et deinde oſtendatur, quaenam cum hac dicendi vi, longe lateque patenti, ita necesſario ſint con-

(1) *Rhet.* Lib. I. c. II. § 1–5.

(2) Conf. Voſſ. *in Nat. Rhet.* c. IV.

coniuncta, ut unum fine altero tribui Oratori non posfit.

Ex hac ampla et ad omnia pertingenti, Oratoris fpecie, intelligitur etiam ratio, cur tam pauci Oratores boni reperiantur (1).

Hanc autem univerfam vim dicendi, quae ad omnes artes et fcientias aeque pertinet, tamquam orationis et fermonis administra, Cicero fummum Oratorem inftituens, non ita coarctat, fed magis ad unum virum civilem potisfimum et res civiles convertit, cuius rei variae funt causfae.

Primum inter has caufas locum obtinet illa, quam tradit Cicero *de Orat.* I. 6. et Crasfus ibidem I. 15: ne nimis infinitum ac vagum, et videretur, et esfet, fi Oratoris officium ad omnes omnino res univerfe referretur. Et vero necesfarium fere erat, ut Cicero fua aetata paululum recederet et remitteret de forma virorum civilium antiqua, a quibus nulla ars, nulla doctrina, quae quidem eorum temporibus fciri, discive potuit, aliena erat: fed iis artium et fcientiarum incrementis, quibus auctae florebant tempore Ciceronis, maius pene erat, quam quod ab ullo homine, iure humanitatis, posfet ex-

(1) de qua re vid. Cic. *de Orat.* I. 2—6. 21. III. 22. *in Brut.* c. 6. feqq.

exſpectari, ſi eae omnes Oratori attingendae et comprehendendae esſent. At Cicero, dicat quis, ſummum et perfectum Oratorem informare voluit; — ſed nec illud ſummum aut perfectum nimis abhorrens et remotum esſe debet ab hominis cuiusquam facultate: et proclivius humana natura, in ipſo illo perfecto effingendo, ad ea relabitur, quae ſe ſaltem aliquando asſequi posſe ſperet.

Cum hac cauſa coniuncta est alia, quam item Cicero memorat *de Orat.* I. 6. et Crasſus III. 15. ſeqq. Nimirum Graeci ob illud longius prolatum artium pomoerium, partitionem quamdam fecerant, quae iubebat ſua ſe potius ditione, eaque ampla, continere, quam in alias omnes, aliis addictas, evolare: cum praeſertim post illam diviſionem inductam, confitendum esſet, quasdam artes et ſcientias esſe proprias eorum, qui in iis excolendis ſtudium ſuum ponerent omne, et aetatem conſumerent (1): eamque ob cauſam formam acquiſivisſe, ſibi ſingulas propriam, ſaepiusque a ratione civili longius remotam (2).

Tertio Eloquentia, quamvis, ut pronuntiandi vis et inſtrumentum, ad omnes artes aeque pertinens, tamen ab omni inde aevo, praecipue ſem-

(1) Conf. *de Orat.* I. 13. 18.

(2) Conf. omnino *de Orat.* III. 31.

ſemper floruit, et viguit, in rerum civilium et publicarum adminiſtratione: quo factum eſt, ut reip. quam maxime, et quaſi unice propria viſa ſit, et velut conſecrata; quod Cicero exprimens, „ foro," dixit, „ natam eſſe Eloquenti„ am" (1). Porro cum ex omnibus laudibus conſtat, quibus veteres Eloquentiam celebrarunt, tum imprimis etiam ex oratione Craſſi et Antonii (2).

Quoniam porro Eloquentia quam arctisſimis vinculis connexa erat, cum omni veterum vita publica, eaque rurſus cum vita privata, dum univerſe antiqui vitam agerent magis publicam quam privatam, non mirandum eſt, Ciceronem omnem Eloquentiae ditionem facilius convertisſe ad virum civilem. Vidimus in Cap. II. nullam aliam fuisſe rationem et viam, niſi Eloquentiae, excellendi inter cives, adque remp. accedendi. Igitur ad ea, quae ibi dicta ſunt, provocamus.

Dein vere etiam dici poteſt, Eloquentiae materiem, quam tractet, digniorem eſſe nullam, quam remp. et civium ſalutem. Illud demum eſt curriculum, dignum, in quo omnes facul-

(1) *in Brut.* c. 82.

(2) Vid. *de Orat.* I. 8. et II. 8. 9. *de Offic.* II. 14.

cultates ſuas exerceat, et prodat vires. „ Quid „ enim est tam potens, tamque magnificum, „ quam populi motus, iudicum religiones, ſe„ natus gravitatem, unius oratione converti? „ Quid tam porro regium, tam liberale, tam „ munificum, quam opem ferre ſupplicibus, „ excitare afflictos, dare ſalutem, liberare peri„ culis, retinere homines in civitate? Quid au„ tem tam neceſſarium, quam tenere ſemper „ arma, quibus vel tectus ipſe eſſe poſſis, vel „ provocare improbos, vel te ulciſci laceſſi„ tus? — Ut vero ad illa ſumma veniamus, „ quae vis alia potuit aut diſperſos homines „ unum in locum congregare, aut a fera, „ agrestique vita ad hunc humanum cultum, „ civilemque deducere, aut, iam conſtitutis „ civitatibus, leges, iudicia, iura, deſcribe„ re" (1).

Postremo loco non omittendum est, Ciceronem ipſum fuiſſe virum civilem, qui Eloquentiae civili omnia ſe debere, libenter profiteretur. Illa enim novum hominem ad ſummas dignitates et honores evexerat; illa amorem et auctoritatem ipſi apud cives, famam apud exteros, gloriam immortalem apud posteros pepererat. Illa denique Reip. administrationem ip-

(1) *de Orat.* I. 8.

ipsi commendaverat; cui se plane ab ineunte adolescentia devoverat, quamque animo certe non dimisit ad extremum vitae spiritum: in qua proinde mirifice sibi placebat, et ad quam, quandocunque fieri poterat, etiam in scriptis philosophicis, libenter sermonem dirigebat.

Nec tamen Cicero his causis induci potuit, ut coärctaret summi Oratoris ditionem, et forensis dictionis limitibus circumscriberet: sed potius Oratorem maxime considerabat virum civilem; ad quem conformandum, praeter ipsam vim dicendi, concurrere debebant omnes fere artes et doctrinae, sed ea ratione, ut has quidem non ita dedita opera (1) excoleret Orator atque tractaret, sed earum usum et fructum ad sapientiam civilem, quae, tamquam incunabula et natale solum, Oratoris propria est, transferat, omnem illum ceterarum rerum ornatum conferens ad virum civilem bene tuendum: ita tamen instructus et harum ceterarum copia rerum, ut ubertatem dicendi et ornamenta, si res ita ferat, ad eas quoque facile convertere possit, in iisque regnare. Nam extra curiam etiam et rostra, et tribunal, vult eum esse in omni genere sermonis et humanitatis perfectum. Quem Quinctilianus, qui egregie intellectam sententiam Ciceronis,

(1) Vid. *de Orat.* III. 23. 31.

nis, ſuam plane fecerat, inſtituens, „ Roma„ num quemdam," inquit (1), „ velim esſe „ ſapientem, qui non ſecretis disputationibus, „ ſed rerum experimentis atque operibus vere „ civilem virum exhibeat (2): auctorem pu„ blici conſilii, et gerendae civitatis ducem, „ et ſententiae atque Eloquentiae principem in „ ſenatu, in populo, in cauſis publicis".

Hunc igitur ex mente Crasſi et Ciceronis Oratorem conſtituamus, variasque eius partes et munera exponamus: quae ſcilicet pertineant ad rerum ditionem, viro civili ſubiectam: nam de orationis inſtrumento, non videtur mens quaestionis exigere, ut dicamus. Ceterum tenebimus eam rationem, quae quaestionis menti maxime videatur conſentanea, ut Libros *de Orat.* tamquam principem, ex quo hauriamus, fontem adhibeamus: et deinceps cetera Ciceronis opera conſulamus; quo magis etiam de ſententia eius conſtet, et ſatisfiat parti demonſtrationis tertiae, quam relictam Cap. II. in hoc Caput distulimus. Denique in perfecto Oratore deſcribendo eo breviores esſe poterimus, quo plura iam ante in hac eadem re dicenda erant.

Cras-

(1) *I. O.* XII. 2.

(2) deſcribente C r a s ſ o *de Orat.* III. 17.

Crasſus „ ſic — ſtatuo, inquit (1), „ per-
„ fecti Oratoris moderatione et ſapientia
„ non ſolum ipſius dignitatem, ſed et priva-
„ torum plurimorum, et univerſae reip. ſa-
„ lutem maxime contineri". Ex quo loco primum videmus, Ciceronem perfecti Oratoris munus et ſcientiam, ad res civiles omnem convertere, atque illas ſpatium iudicare, in quo vires exerceat: deinde non dicere, Reip. ſalutem contineri illius Oratoris *facundia* aut *vi dicendi;* ſed ne male intelligatur, eam vult contineri Oratoris *ſapientia* et *moderatione*; ſignificans, ſe quaerere cum Quinctiliano Romanum quemdam ſapientem, qui rerum experimentis atque operibus vere civilem virum exhibeat: quique non oratione modo regnet, et dein in otio et remotis receſſibus delitescat, in declamatorio tantum opere ſe iactans, ſed rebus ipſis interſit atque praeſit; atque, ut Crasſus (2), ſit „ om-
„ nium ſapientisſimus atque eloquentisſimus,
„ neque in libellis, ſed in maximis cauſis, in
„ hoc domicilio imperii et gloriae, conſilio,
„ linguaque princeps". Cui reſpondet ille, quem Crasſus definit *de Orat.* III. 17. (3): cui

(1) *de Orat.* I. 8.

(2) *de Orat.* I. 23.

(3) cuius loci verba modo laudavimus. Conf. defini-

cui (1) „ ſubeundus uſus omnium, et pericli-
„ tandae vires ingenii. — Legendi Poëtae,
„ cognoscenda historia, omnium bonarum ar-
„ tium ſcriptores ac doctores et legendi, et
„ pervolutandi, et exercitationis cauſa laudan-
„ di, interpretandi, corrigendi, vituperandi,
„ refellendi: disputandumque de omni re in
„ contrarias partes, et quidquid erit in quaque
„ re, quod probabile videri posſit, eliciendum
„ atque dicendum. Perdiscendum ius civile,
„ cognoscendae leges, percipienda omnis anti-
„ quitas, ſenatoria conſuetudo, disciplina
„ reip., iura ſociorum, foedera, pactiones,
„ cauſa imperii cognoscenda est: libandus etiam
„ ex omni genere urbanitatis, facetiarum qui-
„ dam lepos: quo, tamquam ſale, perſpergatur
„ omnis oratio". — Cuius loci ordinem, tam-
quam ducem aliquem, ſequamur.

Primo autem loco Oratori ſuo civili Cicero putavit *iuris civilis* cognitionem esſe necesſariam.

„ Quid enim (2) hoc fieri turpius, aut dici
„ potest, quam eum, qui hanc perſonam ſusce-
„ perit, ut amicorum controverſias cauſasque
„ tue-

finitio viri politici, quam dedit Antonius, *de Orat.* I. 48.

(1) *de Orat.* I. 34.

(2) ait Crasſus *de Orat.* I. 37.

„ tueatur, laborantibus ſuccurrat, aegris me-
„ deatur, afflictos excitet, hunc in minimis
„ tenuisſimisque rebus ita labi, ut aliis miſe-
„ randus, aliis irridendus esſe videatur". Iuris
ergo civilis ſcientia nudatos „ non (1) dubita-
„ bo primum inertiae condemnare, ſententia
„ mea, post etiam impudentiae. Nam volitare
„ in foro, haerere in iure ac praetorum tribu-
„ nalibus, iudicia privata magnarum rerum
„ obire, in quibus ſaepe non de facto, ſed de
„ aequitate ac iure certetur; iactare ſe in cauſis
„ centumviralibus, in quibus uſucapionum,
„ tutelarum, gentilitatum, agnationum, allu-
„ vionum, circumluvionum, nexorum, man-
„ cipiorum, parietum, luminum, ſtillicidio-
„ rum, testamentorum ruptorum aut ratorum,
„ ceterarumque rerum innumerabilium iura
„ verſentur, cum omnino quid ſuum, quid
„ alienum, quare denique civis aut peregri-
„ nus, ſervus aut liber, quispiam ſit, ignoret,
„ inſignis est impudentiae. Illa vero deridenda
„ arrogantia est, in minoribus navigiis rudem
„ esſe ſe confiteri, quinqueremes, aut etiam
„ maiores, gubernare didicisſe". Confirmat
autem haec Crasſus plurimis exemplis (2),
quae

(1) ibidem c. 38.
(2) l. l. c. 36 — 45.

quae cum turpitudinem ignorati, tum praestantiam et necessitatem bene cogniti et percepti demonstrent: ad Catonem inter alios provocans, qui dicendi prudentiam cum iure civili coniunxerit (1). „ Haec igitur (2) iura suae „ civitatis ignorantem, erectum et celsum, „ alacri et promto ore ac vultu, huc atque illuc „ intuentem, vagari magna cum caterva toto „ foro, praesidium clientibus, atque opem ami- „ cis, et prope cunctis civibus lucem ingenii et „ consilii sui porrigentem atque tendentem, „ nonne imprimis flagitiosum putandum est"?

Itaque „ si esset ista cognitio iuris magna ac „ difficilis, tamen utilitatis magnitudine deberet „ homines ad suscipiendum discendi laborem „ impellere" (3): sed cum et sibi, et Scaevolae nullius artis facilior cognitio videatur, castigat Crassus (4) segnitiem etiam hominum atque inertiam: „ omnia (5) enim sunt „ posita ante oculos, collocata in usu quo- „ tidiano, in congressione hominum, atque „ in foro: neque ita multis literis aut volu-

„ mi-

(1) Ibidem c. 37. Conf. Quinctil. *I. O.* XII. 3.

(2) *de Orat.* I. 40.

(3) l. l. c. 41.

(4) Ibidem.

(5) l. l. c. 43.

„ minibus magnis continentur. — Accedit vero, quo facilius percipi cognoscique ius „ civile posſit, (quod minime plerique arbitran„ tur) mira quaedam in cognoscendo ſuavitas „ et delectatio". — Ait igitur Crasſus (1) patriae nostrae „ primum nobis mens, mos, dis„ ciplina, nota esſe debet; vel quia est patria, „ parens omnium nostrum, vel quia tanta ſa„ pientia fuisſe in iure conſtituendo putanda est, „ quanta fuit in his tantis opibus imperii com„ parandis". Quam ſentiam ſuam de facili et iucundo iuris civilis ſtudio pluribus probat Cap. 41 — 45.

His de cauſis dixerat Crasſus iis, qui perfecti Oratores esſe vellent, iuris cognitionem esſe necesſariam (2): quam ſententiam, ex ſua perſona confirmat Cicero (3): Orator „ ius civi„ le teneat, quo egent cauſae forenſes quoti„ die. Quid est enim turpius, quam legitima„ rum et civilium controverſiarum patrocinia „ ſuscipere, cum ſis legum, et iuris civilis „ ignarus? Itaque ius civile cenſet (4) esſe „ rem,

(1) l. l. c. 44.

(2) *de Orat.* I. 44.

(3) *de Orat.* c. 34. conf. ibidem c. 41.

(4) *in Brut.* c. 39. Idem probat Quinctilianus *I. O.* XII. 3.

„ rem, ad privatas caufas, et ad Oratoris pru-
„ dentiam maxime necesfariam".

Quae autem Crasfus (1) disputat de dignitate et gratia refpondendi de iure, id non pertinet ad ipfum Oratorem, cuius munus a iurisconfulto disiunctum est, fed ad fenem, honoribus et Reip. administratione perfunctum: de quibus conferatur *de Legg.* I. 6. *de Off.* II. 19. Quinctilianus *I. O.* XII. 11. Quod vero Cicero in Oratione pro L. Munera c. 9. feqq. iuris fcientiam deprimere videtur, id ceteris locis non repugnat, ut vidimus in Cap. II.

Praeter ius civile, ex Crasfi fententia (2), Oratori cognoscenda historia, ediscendae leges, percipienda omnis antiquitas, fenatoria confuetudo, disciplina Reip., iura fociorum, foedera, pactiones, caufa imperii cognoscenda est.

„ Quaero (3) enim, num posfit aut contra
„ Imperatorem, aut pro Imperatore dici, fine
„ rei militaris ufu, aut faepe etiam fine regio-
„ num terrestrium aut maritimarum fcientia:
„ num apud populum de legibus iubendis, aut
„ vetandis: num in fenatu de omni Reip. ge-
„ nere fine fumma rerum civilium cognitione
„ et prudentia"?

Ex-

(1) *de Orat.* I. 45.
(2) l. l. I. 34.
(3) l. c. c. 14.

Explicat haec et confirmat Crasſus (1): „ iam vero illa non longam orationem deſide- „ rant, quamobrem existimem, publica quoque „ iura, quae ſunt propria civitatis atque impe- „ rii, tum monumenta rerum gestarum, et ve- „ tustatis exempla, Oratori nota esſe debere. „ Nam ut in rerum privatarum cauſis atque iu- „ diciis depromenda ſaepe oratio est ex iure ci- „ vili, et idcirco, ut ante diximus, Oratori „ iuris civilis ſcientia necesſaria est: ſic in cau- „ ſis publicis iudiciorum, concionum, ſena- „ tus, omnis haec et antiquitatis memoria, et „ publici iuris auctoritas, et regendae Reip. „ ratio ac ſcientia, tamquam alia materies, iis „ Oratoribus, qui verſantur in Rep., ſubiecta „ esſe debent. Non enim causſidicum, nescio „ quem, neque proclamatorem aut rabulam, hoc „ ſermone nostro conquirimus, ſed eum vi- „ rum, — qui ſcelus fraudemque nocentis pos- „ ſit dicendo ſubiicere odio civium, ſupplicio- „ que conſtringere: idemque ingenii praeſidio „ innocentiam iudiciorum poena liberare: idem- „ que languentem labentemque populum aut ad „ decus excitare, aut ab errore deducere, aut „ inflammare in improbos, aut incitatum in bo- „ nos mitigare: qui denique, quemcunque in

„ ani-

(1) *de Orat.* I. 46.

„ animis hominum motum res et caufa postu-
„ let, eum dicendo vel excitare posfit, vel fe-
„ dare". — Historiam commendans Cicero (1):
Orator, „ cognoscat, inquit, „ rerum gesta-
„ rum, et memoriae veteris ordinem, maxime
„ fcilicet nostrae civitatis; fed et imperioforum
„ populorum, et regum illustrium. — Nescire
„ autem quid antea, quam natus fis, accide-
„ rit, id est femper esfe puerum. Quid enim
„ est aetas hominis, nifi memoria rerum vete-
„ rum, cum fuperiorum aetate contexitur?
„ Commemoratio autem antiquitatis exemplo-
„ rumque prolatio, fumma cum delectatione et
„ auctoritatem orationi affert et fidem".

Quidni autem *Philofophiam* imprimis Oratori necesfariam esfe Cicero iudicaret, qui, ut antea vidimus, quae nunc a philofophis petuntur, ea omnia propria esfe Oratorum affirmet?

„ Apparatu (2) nobis opus est, et rebus
„ exquifitis undique et collectis, arcesfitis,
„ comportatis". „ Non (3) enim folum acu-
„ enda, neque procudenda lingua est, fed one-
„ randum, complendumque pectus maximarum
„ rerum et plurimarum fuavitate, varietate, co-
„ pia

(1) *Orat.* c. 34.

(2) Auctore Crasfo *de Orat.* III. 24.

(3) l. 1. c. 30.

„ pia (1). Nostra est enim — omnis ista pru-
„ dentiae doctrinaeque posſeſſio": — et ſunt illa propria „ rhetorum, quae ab aliis de iusti-
„ tia, de officio, de civitatibus inſtituendis et
„ regendis, de omni vivendi, denique etiam de
„ naturae ratione dicuntur. Quae quoniam iam
„ aliunde non poſſumus, ſumenda ſunt nobis
„ ab iis ipſis, a quibus expilati ſumus; dum-
„ modo illa ad hanc civilem ſcientiam, quo
„ pertinent et quam intuentur, transferamus".
Quo loco non tantum moralem Philoſophiae partem, ſed ea etiam, quae de naturae ratione dicuntur, comprehendenda eſſe Oratori arbitratur. Quae plane est Ciceronis ſententia: qui, Orator „ habeat", inquit (2), „ omnes Phi-
„ loſophiae notos et tractatos locos. Nihil
„ enim de religione, nihil de morte, nihil de
„ pietate, nihil de caritate patriae, nihil de
„ bonis rebus aut malis, nihil de virtutibus aut
„ vitiis, nihil de officio, nihil de dolore, nihil
„ de voluptate, nihil de perturbationibus animi
„ et erroribus, quae ſaepe cadunt in cauſſas,
„ ſed ieiunius aguntur, nihil, inquam, ſine ea
„ ſcientia, quam dixi, graviter, ample, co-
„ pioſe, dici et explicari potest". — Oratorem

(1) l. l. c. 31.
(2) *Orator* c. 33.

rem (1) „ etiam, quo grandior ſit, et quodam-
„ modo excelſior (ut de Pericle dixi ſupra.) (2)
„ ne Phyſicorum quidem esſe ignarum volo.
„ Omnia profecto, cum ſe a coeleſtibus refe-
„ ret ad humanas, excelſius, magnificentius-
„ que et dicet, et ſentiet". Vere igitur
Theo (3): οἱ μὲν, inquit, παλαιοὶ τῶν ῥητόρων, καὶ μάλιςα οἱ εὐδοκιμηκότες, οὐκ ᾤοντο δεῖν ἐφικέσθαι τρόπον τινὰ τῆς ῥητορικῆς, πρὶν ἁμωσγέπως ἅψασθαι φιλοσοφίας, καὶ τῆς ἐκεῖθεν ἐμπλισθῆναι μηγαλονίας (4).

Igitur (5) „ quid dicam de natura rerum,
„ cuius cognitio magnam orationis ſuppeditat
„ copiam: de vita, de officiis, de virtute, de
„ moribus, ſine multa earum ipſarum rerum
„ disciplina, aut dici, aut intelligi poteſt. De
„ virtute (6) enim, de officio, de aequo et
„ bono, de dignitate, utilitate, honore, igno-
„ minia, praemio, poena, ſimilibusque de re-
„ bus, in utramque partem dicendi, animos et
„ vim, et artem habere debemus (7). Nam
„ quis

(1) *Orat.* c. 34.
(2) Vid. *Orat.* c. 4. conf. *in Brut.* c. 11.
(3) Init. *Progymnasm.*
(4) *Auct. Dial. de Orat.* c. 31.
(5) *Orat.* c. 4.
(6) inquit Craſſus *de Orat.* III. 27.
(7) conf. *de Orat.* I. 11.

„ quis (1) — nescit, maximam vim existere „ Oratoris in hominum mentibus vel ad iram, „ aut ad odium, aut dolorem incitandis, vel ab „ hisce iisdem permotionibus ad lenitatem, mi- „ fericordiamque revocandis? quare, nifi qui „ naturas hominum, vimque omnem humanita- „ tis, caufasque eas, quibus mentes aut inci- „ tantur, aut reflectuntur, penitus perfpexerit, „ dicendo, quod volet, perficere non pote- „ rit (2). — Quaero enim (3) — num admo- „ veri posfit oratio ad fenfus animorum atque „ motus vel inflammandos, vel etiam extingu- „ endos, (quod unum in Oratore dominatur) „ fine diligentisfima pervestigatione earum om- „ nium rationum, quae de naturis humani gene- „ ris ac moribus a philofophis explicantur". Et adeo coniunctam esfe Crasfus illam philofophiae partem, quae de vita et moribus agit, cum Oratore cenfuit, ut vel fi relinquant, et inertiae fuae largiantur Oratores duas partes reliquas, il-

(1) *de Orat.* I. 12.

(2) Conf. *de Orat.* I. 13. ubi philofophis relinquit, ut de his rebus omnibus in angulis, confumendi otii caufa, tenui quodam exfanguique fermone disferant: Oratori autem tribuit, ut de iis cum omni gravitatere iucunditate explicet.

(3) l. l. c. 14.

illud, quod ſemper Oratoris fuit, niſi teneatur, nihil relictum putet Oratori, in quo magnus esſe posſit: „ quare hic locus de vita et moribus „ totus est Oratori perdiscendus" (1). Iudice autem Cicerone (2), duo ſunt, quae bene tractata ab Oratore, admirabilem Eloquentiam faciant, quorum alterum est, quod Graeci ἠθικὸν vocant, ad naturas et ad mores, et ad omnem vitae conſuetudinem accommodatum; alterum, quod iidem παθητικὸν nominant, quo perturbantur animi et concitantur, in quo una regnat oratio. Unde colligitur, ex ſententia Ciceronis illam tertiam philoſophiae partem cum Oratore quam maxime esſe coniunctam: qui ei non minus disſerendi rationem asſignavit: ponit enim imprimis (3), ſine philoſophia non posſe effici, quem quaerimus, Eloquentem: nam nec latius, nec copioſius, de magnis variisque rebus ſine philoſophia potest quisquam dicere. — Nec vero ſine philoſophorum disciplina genus et ſpeciem cuiusque rei cernere, neque eam definiendo explicare, nec tribuere in partes posſumus: nec iudicare, quae vera, quae falſa ſint, neque cer-

(1) l. l. c. 15.
(2) *Orat.* c. 37.
(3) *Orat.* c. 4.

cernere consequentia, repugnantia videre, ambigua distinguere (1). Cum a Socrate inde multiplex sententiarum diversitas orta sit, quaerit Crassus (2), quaenam philosophia sit Oratori coniuncta maxime, Epicureos quidem et Stoïcos ab Oratore dimovet (3); unice probat philosophiam Peripateticorum et Academicorum: cum ob ipsas sententias et philosophandi rationem egregie Oratori accommodatas; tum ob elegantem dicendi exercitationem (4).

Ceterum sententiam Ciceronis hac in re ita aperte nobis videmur effecisse in Cap. II. § 2., ut non opus sit, his diutius immorari.

Et universe iam eo perductam esse rem arbitramur, ut de sententia Ciceronis nullum dubium supersit, quin Cicero eam Crassi personae mandarit exponendam.

Igitur, quae in universa scriptione diximus de iudicio Crassi, ea nunc omnia in Ciceronem possunt transferri: quo facto et omnibus in unum col-

(1) Vid. omnino ibidem c. 32. 33. 34. et de toto hoc loco M. Ant. Mureti Oratio, *de Philosophiae et Eloquentiae coniunctione* Orat. IV.

(2) *de Orat.* III. 17. 18.

(3) Conf. *in Brut.* c. 30. 31. 35. *de Finib.* IV. 9. Quinctil. *I. O.* XII. 2. p. 685.

(4) Conf. *de Orat.* III. 21. *in Brut.* c. 31. *Orator* c. 3. 4. 5. 6. quibus add. *Auct. Dial. de Orat.* c. 31.

collectis, ex mea virium tenuitate nihil addendum habeo, ut constituatur ea summi Oratoris imago, de qua quaesivisse Quaestionem putavi. Nam cum innumeris artis Rhetoricae, tamquam illius Oratoris instrumenti, praeceptis, rem mihi non esse ratus sum.

Restat, ut de capitibus quibusdam, quae, quoniam cum ipsis disputationis in libris *de Oratore* momentis minus coniuncta sunt, instituto ordine satis apte includi non poterant, sententiam Ciceronis paucis exponamus.

Tangunt autem haec capita ipsam Eloquentiae naturam et formam Oratoris: quam ob caussam nobis, libros *de Oratore*, velut ducem sequentibus, non omittenda videbantur.

Primo loco memoranda quaestio, *quis sit finis Eloquentiae*, saepius tentata illa et agigata magnis virorum doctorum controversiis (1).

Ci-

(1) Plato *in Gorgia* (quem secutus est Cicero *in Brut.* c. 15.) *Rhetoricam* ait esse πειθοῦς δημιουργὸν, καὶ τὴν πραγματείαν αὐτῆς ἅπασαν, καὶ τὸ κεφάλαιον εἰς τοῦτο τελευτᾷν· et τὴν πειθὼ distinguit duplicem, alteram διδασκαλικὴν, quae fit docendo ἐπιστημονικῶς, more scientiarum, alteram πιστικὴν, quae probat δι' ἐνδόξων, ex probabilibus argumentis, quibus fidem facit Orator non tam docendo, quam persuadendo. Conf. Sext. Emp. *adv. Math.* II. § 2—9. 61. 62. Aristoteles (*Rhet.*

Cicero vero, ut vidimus, per L. Crassi personam, aut universam Eloquentiae vim, ad omnem quamcunque rem pertinentem, complectitur, aut vagam hanc dicendi facultatem ad virum imprimis civilem convertit.

Eloquentiae priore ratione consideratae finis, cuius causa omnia fiunt, patet latissime et pro diversis suis partibus ac muneribus, plurimos e varios fines alios sibi habet subiectos: quemadmodum enim Cicero statuit (1), quot officia Ora-

(*Rhet.* I. 2.) Rhetoricae finem facit simpliciter τὸ πειθεῖν: quam sententiam Aristotelis Vossius, ut solet, tuetur ac defendit (*de Nat. Rhet.* c. v. *Institut. Orat.* Lib. I. C. I. Sect. 1.) Alias veterum de fine Rhetorices opiniones exponit Quinctilianus *I. O.* II. 15, ex cuius sententia, summum et ultimum, τέλος, artis est ipsum bene dicere (conf. etiam II. 17. p. 135 seq.). Hanc Quinctiliani sententiam suam etiam facit princeps in nostratibus Eloquentia Vir Cel. J. H. van der Palm, in Oratione sua *over den waren aard der Welsprekendheid* (*Redevoer. en Verhand. door* J. H. van der Palm 1810. p. 56 sq.) et quem nonnulli *persuadendi* tradunt finem Eloquentiae, exagitat, et ab Eloquentia dimovet (p. 49 seqq.) Aliam rursus rationem init Fenelonius, *Gesprekk. over de Welsprekendheid*, *vert. door* Schrant p. 8 sqq. p. 15 seqq.

(1) *in Orat.* c. 21. conf. c. 29.

Oratoris, tot esse genera dicendi: ita aliis dicendi generibus et partibus aliud *τέλος* est propositum: nam sive loquitur, ut impellat homines, sive ut doceat, sive ut deterreat, sive ut concitet, sive ut reflectat, sive ut incendat, siue ut leniat (1), quamvis una eademque sit Eloquentia, tamen ad diversa consilia dirigitur. Alio proposito summus Orator dicendi facultatem confert ad historiam conscribendam; alio ad Philosophicas disputationes explicandas: alio ad causas forenses; alio ad alia. Huius igitur universae Eloquentiae finem disertis quidem verbis Cicero non expressit: sed tamen eo modo de ea est locutus, ut eius sententia hac in re exinde facile intelligatur. Quotiescunque autem de Eloquentia, hoc latissimo sensu, sermo est, statuit eius finem universe, ut ab eo ornate, et graviter et copiose dicatur: vim scilicet Oratoris professionemque ipsam bene dicendi hoc suscipere ac polliceri dixit (2), ut omni de re, quaecumque sit proposita, ab eo ornate copioseque dicatur (3): et multis in locis (4) asseverat, Oratoris imprimis propri-

am

(1) *de Orat.* III. 6.
(2) *de Orat.* I. 6.
(3) Conf. ibid. c. 11. 12. 15.
(4) de quibus diximus antea.

am esse orationem gravem et copiosam et ornatam: ex quibus ultro efficitur, Ciceronem Eloquentiae summum et ultimum constituisse, ipsum illud bene et ornate et copiose dicere.

Sed variat illud bene dicere, pro varia rerum et personarum ratione: nam alias tum bene dicitur, cum docetur; alias, cum delectatur: alias, cum movetur: igitur, simulac certis quibusdam officiis vel casibus Oratoris munus coarctatur, aut ad unam officii rationem obeundam praecipue convertitur ac dirigitur, vagum illud, *bene dicere*, describendum est fine subiecto quodam et accuratius et certius definito.

Igitur Cicero, quem ostendimus semper fere virum civilem eximie commendasse, tamquam Eloquentiae antistitem et custodem, ad civilem scientiam omnem dicendi vim convertens et referens, vagam *bene dicendi* notionem consilio Oratoris civilis accommodavit. Uti enim (1) *officium* Oratoris dixit, dicere ad persuadendum accommodate (2), ita ultimum Eloquentiae illud tribuit, delectandi, docendi, movendi (3): quod

(1) *de Orat.* I. 31.

(2) Conf. ibidem II. 10. 15. *de Invent.* I. 5.

(3) ut e. g. per Antonii personam *de Orat.* II. 77. quod confirmavit *in Brut.* c. 49. *Orat.* c. 21. conf. *in Brut.* c. 23.

quod intelligendum est de facultate viri civilis, cuius imago Ciceronis animo perpetuo obversabatur.

Itaque *huic* Eloquentiae finem asſignavit illum triplicem, aut hunc, quo caetera continentur, et cuius non niſi ſunt vehicula, ſimplicem, *perſuadere dictione* (1): qui praeclare viro civili convenit.

Quodſi omnes, aeque diligenter ac Cicero, pro alia Eloquentiae ſubiecta ditione aut notione, alium finem distinxisſent, non ea, ut videtur, ſententiarum disſenſione viri docti discreparent.

Altera quaestio, eaque maxime cum Oratore coniuncta, est, *utrum Orator vir bonus esſe debeat* (2): quod ex definitione Catonis ſaepisſime et vehementer urget Quinctilianus (3). Attigit eam quaestionem Cicero nonnumquam, ſed nul-

(1) *de Invent.* I. 5. *in Brut.* c. 15.

(2) de qua vid. I. F. L. Schröder Vir Cl. *de redekunſtige voorſchriften van* Cicero, *getoetst aan die der Zedewet: Werken der Holl. Maatſch. van fraaije Kunſten en Wetenſchappen*, D. III. p. 475 ſeqq. Fenelon *in Libr.* ſaepius laud. p. 34 ſeqq.

(3) Vid. *I. O.* prooëm. p. 3. Lib. I. c. 2. p. 15. 16. c. 15. p. 123. 128. c. 16. p. 131. c. 17. p. 136. 138. c. 21. p. 144. III. 7. p. 183. XII. 11. p. 717. et praecipue Lib. XII. c. 11.

nullibi fuse tractavit (1). Verumtamen illud sane aperte satis declaravit, se Oratorem, nisi virum bonum, habere neminem. Professus est hanc sententiam ex persona Crassi (2), Eloquentiae dicens „ quo maior est vis, hoc est magis „ probitate iungenda, summaque prudentia: „ quarum virtutum expertibus, si dicendi copi- „ am tradiderimus, non eos quidem Oratores „ effecerimus, sed furentibus quaedam arma „ dederimus". Idem quam maxime tuetur in Lib. *de Invent.* I. c. 1 seqq. Atque hoc praeterea etiam sponte fluit ex munerum et officiorum ratione, quae Cicero ab Oratore vult obiri: de quibus exposuimus antea. Quem enim, nisi virum bonum, constituere potuisset, auctorem et custodem legum ac iudiciorum, civibus consilii fontem ac principem, totius Reip. conservandae et regendae ducem? Hanc igitur sententiam, quamvis disertis verbis aliquoties tantum expresserit, tamen universae rationi et constitutioni doctrinae de summo Oratore ita illigavit et intexuit, ut Oratorem Ciceronianum nisi virum bonum informare non possimus. At maiorem Cicero Oratori licentiam concessisse vide-

(2) cuius rei caussas quasdam proposuit Vir Cl. Schröder l. l. p. 478 seq.

(2) *de Orat.* III. 14. conf. I. 46.

detur in usu artificiorum et viarum, quibus consilia possit consequi: horum enim bonitas et praestantia et liberiorem rationum ineundarum optionem iure sibi sumere videbatur (1).

Cum hac quaestione arctissime cohaeret tertia: *utrum virtus sit Eloquentia:* orta illa ex Stoïcorum disputationibus (2). Quam quaestionem si cum Quinctiliano (3) in eo verti definiamus, utrum Eloquentia ex mediis sit artibus, quae neque laudari per se, neque vituperari possunt, sed utiles aut secus secundum mores utentium fiunt, an moralis quaedam sit facultas; non tam abhorrens et absurda eius institutio videbitur, atque quibusdam visa est, ratione habita veterum de Eloquentiae natura sententiae.

Sed si, iudice Cicerone, Orator, nisi vir bonus, nemo esse possit, coniungitur Eloquentia cum disciplina morali: praesertim cum Eloquentia non cogitanda sit nuda dicendi facultas; sed intime coniuncta ea cum rerum scientia, omni sentiendi et agendi ratione; quae merito et

(1) Vid. quae disseruit Quinctil. *I. O.* XII. 1. imprimis p. 678 seqq. Ceterum ad hanc partem vid. quae plura disputavit Schröder Vir Cl. in dissert. laud.

(2) Vid. *de Orat.* III. 18. princip.

(3) *I. O.* II. 20.

et proprie *fapientia* dicitur. Illam igitur cogitandi faciendique vim et praestantiam, instructam et munitam eloquendi instrumento, communi Eloquentiae nomine insignitam, veteres perfectionem aliquam moralem esse voluerunt (1). Atque in hunc sensum per personam Crassi Cicero censuit (2): „ est — Eloquentia una „ quaedam de summis virtutibus, quamquam „ sunt omnes virtutes aequales et pares, sed „ tamen est species alia aliâ magis formosa et „ illustris: sicut haec vis, quae scientiam com„ plexa rerum, sensa mentis et consilia sic ver„ bis explicat, ut eos, qui audiant, quocun„ que incubuerit, possit impellere; quae quo „ maior est vis, hoc est magis probitate iun„ genda, summaque prudentia: quarum virtu„ tum expertibus, si dicendi copiam tradideri„ mus, non eos quidem Oratores effecerimus, „ sed furentibus quaedam arma dederimus". Ex quo loco facile colligitur, Ciceronem non dicendi facultatem, quod quidam male putarunt, inter virtutes retulisse; eam scilicet mali etiam et scelesti homines sibi comparaverunt: sed eam proprie mentis probitatem et agendi prudentiam, quae ad summum Oratorem eximie requiritur,

(1) Conf. definitio *virtutis* apud Cicer. *Acad.* I. 5.
(2) *de Orat.* III. 14.

tur: qua destituta Eloquentia, hoc tam gravi nomine non amplius digna est (1).

Porro quaeritur, utrum *ars ſit dicendi:* de qua re paulo uberius in Libris *de Oratore* exponitur. Triplex in hac re iudicium distinguit Sulpicius (2), de Eloquentiae loquens ſive *ſtudio*, ſive *artificio*, ſive *facultate:* Cicero (3) *ſtudio* ſubſtituit *exercitationem*, Eloquentiam faciens ſive *artis*, ſive *exercitationis*, ſive *naturae:* utrumque ceteris adiungit, quadruplicem Eloquentiae fontem indicans (4), ſive *ſtudii*, ſive *artis*, ſive *exercitationis* cuiusdam, ſive *facultatis* a natura profectae. Cicero autem ſententiam ſuam per Craſſi perſonam expoſiturus (5), ne ſit tota res in verbi controverſia poſita, orditur ab *artis* definitione, quam in eo conſtare dicit, ut ea, quae obſervata ſint in uſu ac ratione dicendi, haec ab hominibus callidis ac peritis animadverſa ac notata, verbis deſignata, generibus illustrata, partibus distribu-

(1) Conf. *de Orat.* I. 18. Quinctil. II. 20. ex quo magis etiam de ſententia Ciceronis conſtat. Conf. etiam *Acad.* I. 2. et ll. ll. a Daviſ. ad h. l. *not.* 4. *de Offic.* II. 14.

(2) *de Orat.* I. 21.

(3) *de Invent.* I. 1.

(4) ibid. l. l.

(5) *de Orat.* I. 23.

buta ſint (1). Quo ſenſu facile intelligimus eſſe artem quandam dicendi (2), quae Rhetorica vocatur. Huius autem artis ea est ratio, ut negligenda quidem non ſit, ſed tamen alia ſint ad conſequendam Eloquentiam maiora (3). Naturam enim primum atque ingenium cenſet Craſſus (4), ad dicendum vim afferre maximam: et quae donavit atque inſeruit natura, ea arte poſſe accendi aut commoveri; quae naturalem facultatem potest limare, acuere aliquomodo, et corrigere, et habet quaedam, quaſi ad commonendum Oratorem, quo quidque referat, et quo intuens, ab eo, quodcunque ſibi propoſuerit, minus aberret (5). Quod igitur condidit natura, excitarunt et rexerunt artis praecepta, id, iudice Cicerone, cumulatur ac perficitur exercitatione et uſu (6). Hanc vero ſententiam Cicero plurimis locis explicatam, ſuo exemplo, quod deſcripſimus, praeclare confirmavit (7).

De-

(1) *de Orat.* l. l. conf. omnino. c. 32. 41. 42. et c. 20. II. 7. 8. 57. conf. c. 41.

(2) Vid. *de Orat.* I. 23. 24.

(3) *de Orat.* I. 23.

(4) l. l. c. 25. conf. c. 28.

(5) l. l. c. 32.

(6) Vid. l. l. c. 32 — 35.

(7) Ceterum de hac controverſia vid. Quinctil. *I. O.* II. 17. Voſſ. *de Nat. Rhet.* c. VIII.

Denique in Libris *de Oratore* obiter attingitur quaestio: *quaenam affinitas Eloquentiae sit cum Poëtica?* „ Est finitimus", inquit Crassus (1), „ Oratori poëta, numeris adstrictior
„ paulo, verborum autem licentia liberior,
„ multis vero ornandi generibus socius, ac pe-
„ ne par: in hoc quidem certe prope idem,
„ nullis ut terminis circumscribat aut definiat
„ ius suum, quominus ei liceat, eadem illa fa-
„ cultate, et copia vagari, qua velit". Antonius (2) in Oratore requirit *verba* prope *Poëtarum:* et Crassus (3) Oratori Poëtas commendat legendos. Cicero ipse, „ Poëtae", inquit (4), „ quaestionem attulerunt, quid ipsi
„ differrent ab Oratoribus. Numero maxime
„ videbantur antea et versu: nunc apud
„ Oratores iam ipse numerus increbruit". —
„ Itaque video visum esse nonnullis, Platonis,
„ et Democriti locutionem, etsi absit a versu,
„ tamen quod incitatius feratur, et clarissimis
„ verborum luminibus utatur, potius poëma
„ putandum, quam Comicorum Poëtarum, apud
„ quos, nisi quod versiculi sunt, nihil est aliud
„ quo-

(1) *de Orat.* I. 16.
(2) l. l. c. 28.
(3) ibidem c. 34.
(4) *in Orat.* c. 20.

„ quotidiani dissimile sermonis. Nec tamen id „ est Poëtae *maximum:* etsi est eo laudabilior, „ quod virtutes Oratoris persequitur, cum versu „ sit adstrictior. Ego autem, etiamsi quorum- „ dam grandis et ornata vox est Poëtarum, ta- „ men in ea cum licentiam statuo maiorem esse, „ quam in nobis, faciendorum iungendorum- „ que verborum, tum etiam nonnullorum vo- „ luptati vocibus magis, quam rebus inservi- „ unt". Id autem est inter eos simile „ iudi- „ cium, electioque verborum". Cui loco ni- hil in ampliorem explicationem addendum, ut plenissime constet de sententia Ciceronis; cuius est de hac Poëtarum et Oratorum cognatione egregium plane et verissimum iudicium (1).

(1) Conf. van der Palm *in Orat.* laud. p. 57 seqq- Fenelon *in Lib.* saepius laud. p. 63 seqq. et Schrant *in Annot.* 26. Annot. p. 47. 48.

T A N T U M.

